

subdit vetatque turbas et rixas, quia hæc mul-
torum est concupiscentia, nimirum ut in repu-
blica vel communitate concitent turbas et sedi-
tiones, idque vel quia novitatis sunt studiosi; vel
quia pugnaces et rixosi sunt, ideoque quietis
impâientes factiones concitant aut, foveant; vel
quia per eas ad honores et magistratus evadere,
aut certe se ditare ex mercatorum divitumque
rapinis et spoliis satagunt.

Tertio, si plane Latinam versionem Græcæ
modernæ vis adaptare, sic explica: Ne oblecteris
turbis convivantium et compotantium (symposia
enim inter turbas plebeiorum dominari solent,
ideoque turbarum et cæsum multis in locis vi-
dentur esse proprii et individui comites), quia
assidua est *commissio*, id est, collatio eorum ad
symbolum et epulum. Sicut enim dicimus com-
mitti ludos, sic et committi epulas et symbola.
Commissio ergo est læta ex symbolis comessatio.
Rursum *commissio* est scelerum perpetratio, quia
inter epulas et symposia multæ crapulæ, insolent-
iæ, detractiones, scurrilitates, lites et rixæ commit-
tuntur. Quare cave ne ex hac contentione com-
potandi et convivandi fias *mediocris*, id est, pauper
ex *fœnore*, quod tibi sumendum est, ut sump-
tibus symposiorum par esse queas, cum nihil habeas
in *sacculo*, id est, in crumena: sic enim videberis
invidus et iniquus esse vitæ tuæ, dum depaupe-
ratus cogaris famere, misere victitare et erubes-
cere apud homines.

Huic expositioni favet codex quidam manu-
scriptus, quem citat Jansenius, qui ad marginem
ex alia versione sic clare legit, *noli delectari in
multa epulatione, ne egeas ex collatione, ne fias pau-
per collationem faciens ex mutuo*. Vetat ergo adiri
epulas et prandia, ubi multi sunt convivæ, ac
proinde multæ voces et clamores, ut non tam
convivium, quam (ut ille ait) convocium esse
videatur. Ita Lucius Verus imperator, teste Capi-
tolino, aiebat, « septem convivium, novem con-
vitiium facere, » significans in convivium pau-
cos adhibendos esse, alioqui fore tumultuosum
et insuave, juxta illud Horatii:

Locus est et pluribus umbris,
Sed nimis arcta premunt olivæ convivia capræ.

Varro apud Gellium, lib. XIII, cap. II, censet
convivas intra Gratiarum et Musarum numerum
consistere oportere, ne aut plures sint novem,
aut pauciores tribus. Plinius, lib. XXVIII, cap. II,
scribit Servium Sulpitium commentum fuisse
causam, cur ominosum esset mensam relinquere,
quod illis temporibus mundum numerabantur
plures convivæ quam quinque.

Alludit ad illud *Proverb. XIII*, vers. 20 et 21:
« Noli esse in conviviis potato-
rum, nec in comes-

sationibus eorum qui carnes ad vescendum con-
ferunt; » ubi Aquila, Symmachus et Theodotion
habent, *συμβολακίπος*, id est *symbola conferens*; Sep-
tuaginta, *μηδὲ ἐκπέου συμβολαίς*, id est, *ne extendas
te in symbola*, id est, in comessationes et sym-
posia quæ instruuntur ex plurium collatione:
quæ proinde velut gulæ, luxuriæ aliorumque
scelerum irritamenta, imo officinas et aramen-
ta vetat Concilium Laodicenum *Can. LV*: « Non
oportet, inquit, ministros altaris, vel quoslibet
Clericos, vel etiam laicos christianos ex symbolis,
quæ vulgus Comessalia appellat, convivia
celebrare. » Eadem frequentia erant apud Gen-
tiles. Unde Plautus in *Sticho*: « Eo, inquit, con-
dictum symbolum ad cœnam, ac ejus conservum
Sangarium Syrum. » Et in *Curcul*: « Symbolorum
collatores apud forum piscarium. » Terentius
in *Andria*: « Symbolum dedit, cœnavit. » Et in
Eunucho: « Heri aliquot adolescentuli coivimus in
Pyræo in hunc diem, ut de symbolis essemus;
(ederemus) Chæream ei rei præfecimus. »

Aliter Jansenius: « Ne oblecteris, inquit, in tur-
bis, id est, in copia et multitudine ciborum. » Sic
Plinius, lib. XV, cap. XIII: « Turbam prunorum » vo-
cat varia genera prunorum; et lib. XI, cap. XXXVII:
« Turbam vulnerum » vocat multitudinem vul-
nerum; Ovidius VI *Metamorph.* nuncupat « rotarum
turbam; » Cicero *De Claris Orat.*, « turbam volu-
minum. » Verum esto simili phrasi posset dici
« turba ciborum, » pro *eorum copia*, tamen abso-
lute turba sine addito id non significat.

Porro Rabanus alio prorsus abit; secundum
enim versum explicat de studio beneficentiæ,
q. d. « Ne sis mediocris in contentione ex fœ-
nore, » etc., hoc est, ne sis parcus, lentus et pi-
ger in contentione et studio fœnerandi, id est,
benefaciendi et mutuandi aliis, quia si id feceris,
non erit tibi nihil in sacculo, hoc est, semper
aliquid habebis quo vivas, quodque eroges, non
deerunt tibi solatia temporalia; si secus feceris,
eris invidus animæ tuæ, quia ei male consules:
detrahes enim ei merita beneficentiæ, Deique
dona et gratias, quibus ipse beneficos cumulare
et compensare solet.

Denique pro *invidus*, Græca habent *ἐπιβουλος*, id
est *insidiator*, adduntque *λαϊπρός*, id est, *loquelæ
hominum obnoxius*. Unde vertunt, *eris enim insi-
diator propriæ vitæ, incurrens in dicta hominum*;
Tigurina, *alioqui insidiator vitæ tuæ famosus eris*,
q. d. Alioqui male, imo pessime, consules vitæ
tuæ, ut ei videaris insidiari. S. Scriptura enim sæpe
rem æstimat ex facto, non ex mente facientis:
licet ergo mens et intentio accipientis ad fœnus
non sit nocere vitæ suæ, tamen quia de facto ei
nocet, hinc dicitur ei invidus et injurius esse,
scilicet materialiter, non formaliter, ut loquuntur
Philosophi.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recenset damna ebrietatis et fornicationis. Inde, vers. 4, agit de moderamine linguæ, cavenda detractio, et celando secreto; tertio, vers. 13, de correptione fraterna; quarto, vers. 22, de calliditate bona, æque ac mala, sive hypocrisi. Hisce tamen de more nonnulla de sapientia et timore Dei dogmata inserit et admiscet.

1. Operarius ebriosus non locupletabitur : et qui spernit modica, paulatim decidet. 2. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos : 3. et qui se jungit fornicariis, erit nequam : putredo et vermes hæreditabunt illum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus. 4. Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur : et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. 5. Qui gaudet iniquitate, denotabitur : et qui odit correptionem, minuetur vita : et qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam. 6. Qui peccat in animam suam, pœnitebit : et qui jucundatur in malitia, denotabitur. 7. Ne iteres verbum nequam et durum, et non minoraberis. 8. Amico et inimico noli narrare sensum tuum : et si est tibi delictum, noli denudare. 9. Audiet enim te, et custodiet te, et quasi defendens peccatum odiet te, et sic aderit tibi semper. 10. Audisti verbum adversus proximum tuum ? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. 11. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. 12. Sagitta infixæ femori carnis, sic verbum in corde stulti. 13. Corripi amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci ; aut, si fecerit, ne iterum addat facere. 14. Corripi proximum, ne forte non dixerit : et si dixerit, ne forte iteret. 15. Corripi amicum : sæpe enim fit commissio. 16. Et non omni verbo credas : est qui labitur lingua, sed non ex animo. 17. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua ? corripi proximum, antequam commineris. 18. Et da locum timori Altissimi : quia omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum, et in omni sapientia dispositio legis. 19. Et non est sapientia nequitiae disciplina : et non est cogitatus peccatorum prudentia. 20. Est nequitia, et in ipsa exsecratio : et est insipiens qui minuitur sapientia. 21. Melior est homo, qui minuitur sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi. 22. Est solertia certa, et ipsa iniqua. 23. Et est qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo : 24. et est qui se nimium submittit a multa humilitate : et est qui inclinat faciem suam, et fingit se non videre quod ignoratum est : 25. et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. 26. Ex visu cognoscitur vir, et ab occurso faciei cognoscitur sensatus. 27. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. 28. Est correptio mendax in ira contumeliosi : et est iudicium, quod non probatur esse bonum : et est tacens, et ipse est prudens.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. OPERARIUS EBRIOSUS NON LOCUPLETABITUR (sed depauperabitur; est misis: minus enim dicitur, et plus significatur); ET QUI SPERNIT MODICA, PAU- LATIM DECIDET. — Pro *modica* S. Augustinus et alii legunt *minima*, quia minima sunt modica quam maxime; et crebra est enallage graduum com-

parationis in Scriptura, ut positivus vel comparativus ponatur pro superlativo, quia eo carent Hebræi, ut: « Major horum est charitas; » major, id est maxima, I *Corinth.* XIII, 13. « Qui autem minor (id est minimus) est in regno cælorum, major est illo, » *Matth.* XI, 11. Hinc τὸ ἐλάχιστον, id est parvum, modicum, Noster subinde vertit « minimum, » ut *Actor.* XV, 2; *Actor.* XIX, vers. 23 et 24.

Copula et partim comparativa est, partim causalis: comparativa, *q. d.* Sicut operarius ebriosus non locupletabitur, et, id est sic, pariter, quivis alius spernens modica, non locupletabitur, sed paulatim a suo statu, opulentia et substantia decidet. Causalis, *q. d.* Operarius ebriosus non locupletabitur: « et, id est quia, » qui spernit modica, paulatim decidet. » Quia enim ebriosus negligit modica opera et lucra singulorum dierum, ut vacet computationi, hac de causa iterando singulis diebus hunc lucri neglectum, suaque consumens in symposiis, sensim decidit et depauperatur: pauca enim quæ habet cito potando consumuntur, dum eis otiaando nihil addit; qui ex adverso, si sobrie viveret et strenue laboraret, parvis suis quotidie parva lucra adjiciendo, tandem multa accumularet, divesque evaderet. Unde Tigurina vertit, *operarius ebriosus non ditescet, et paulatim sublabetur qui spernit exigua; Syrus, operarius ebriosus non ditabitur; et qui amat carnem (carnis gulam et crapulam), hæreditabit paupertatem.* Nam, ut ait S. Basilius *Ad filium spirit.*: « Ebriosus, cum se putat bibere, bibitur; sicut piscis, cum glutit escam, glutitur hamo. » Hic versus recte cohæret cum lectione Græca versus ultimi et penultimi capituli præcedentis: « Noli delectari in multa epulatione, ne egeas ex collatione. » Cohæret et recte cum lectione Latina (quanquam hi versus sæpe inter se non sunt connexi, uti dixi in proœmio); pergit enim hic epulationis et computationis, quæ in turbis hominum plebeiorum (de quibus cap. præced. vers. 32) frequens esse solet, ait Rabanus, damna assignare, eaque tria enumerat, scilicet paupertatem, libidinem, apostasiam.

Alludit ad *Prov.* XXIII, 21: « Vacantes poculis et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio, » hoc est, qui computationes et cenas symbolas frequentant, substantiam suam abliguriunt; et quia inde sequitur somnus ad vinum et crapulam dirigendam, atque otium ex sommo, hinc ad tantam inopiam rediguntur, ut vilibus lacerisque pannis quasi pannosi mendici vestire se cogantur. Unde Hebræa habent, *bibax et edax pauper efficietur, et scissuras faciet induere dormitatio; Chaldaeus, et pannis ruptis vestietur dormitatio; Septuaginta, omnis ebrius et scortator mendicabit, et induetur disruptis lacerisque omnis somnolentus; S. Ambrosius, lib. De Elia et Jejuniis, cap. IX: « Induet se scissa vestimenta; » Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. II: « Induetur lace-*

ris et pannosis omnis somnolentus. Somnolentus enim est, inquit, qui ad sapientiam non vigilat, sed ab ebrietate in somnum demergitur. Et lace-rius induetur debacchator, et per ebrietatem pudore afficietur propter eos qui aspiciunt. Peccatoris enim foramina sunt ea quæ ex veste carnali sunt lacerata, perforata libidinibus, per quæ dedecus intra animam cernitur, nempe peccatum. »

Symbolice: « Operarius ebriosus est, » qui quæ per bonam operationem colligit, eadem per ebrietatem inanis gloriæ, aut alterius malæ intentionis dissipat: quo fit, ut per illa nullas opes spiritales conquirit, sed omnibus sensim privetur et depauperetur.

Nota: Hæc sententia: « Qui spernit modica, paulatim decidet, » hic applicatur operario ebrioso; sed in se generalis est, unde cuilibet rei aptari potest: ut studioso, qui parva negligit in scholis et studiis, paulatim decidet, nec scientiam acquirit, sed perdet; infirmo, qui morbos modicos negligit, incidet in majores; militi et capitaneo, qui parva in bello negligit, paulatim decidet, seque et exercitum perdet; patrifamilias, qui parva familiæ damna negligit, decidet in magna; mercatori, qui parva lucra spernit, amittet majora. Unde mercatorum ditescere satagentium hoc est axioma: « Nullum lucrum, quantumvis exiguum, negligito. » Idem sibi præfigit mercium spiritalium, puta virtutum, meritorum et coronarum celestium, mercator, ut ne minimam quidem augendæ virtutis, meriti et coronæ occasionem amittat. Quocirca Patres passim hanc sententiam adaptant peccatis levibus, *q. d.* Qui spernit peccata levia et venialia, sensim defluet, et tandem incidet in gravia et lethalia; unde serio monent fideles omnes ut studiose defectus veniales etiam minimos caveant: hoc enim esse fundamentum securitatis conscientiæ et profectus in virtute.

Audi S. Gregorium III *Pastor.* Admonit. 34: « Admonendi sunt, inquit, qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequam quam considerent qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua si despiciunt timere cum pensant, debent formidare cum numerant. Altos quippe gurgites fluminum parvæ, sed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. Et minuta sunt quæ erumpunt in membris per scabiem vulnera, sed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis, sicut unum grave inflictum pectori vulnus necat. Hinc videlicet scriptum est: Qui modica spernit, paulatim decidet. Qui enim peccata minima flere ac devitare negligit, a statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit. »

S. Basilius in *Asceticis*, in Regula translata a S. Basilio, cap. XVIII, docet Superiorem debere castigare etiam parva subditorum delicta, cum affirmaverit Dominus, quia « iota unum, aut unus apex non transiet a lege, donec omnia fiant; »

Ut vi-
tes ma-
gna pec-
cata, ca-
ve par-
va.

Ex S.
Gregorio

et rursus definierit, quia « de omni sermone otioso quem locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii; » quare nihil oportet contemni tanquam parvum. « Qui autem modica spernit, paulatim defluit. » Auctor libri *De Salutar. documentis*, apud S. Augustinum, tom. IV, cap. XXXIV, monet elidendas esse pravas cogitationes, dum modicæ sunt et incipiunt, ne crescant et adolescant. « Ne, quæso, inquit, permittamus in nobis cogitationes pravas, neque tanquam minima negligamus; quia qui minima spernit, paulatim defluit. »

S. Chry-
sostomo. S. Chrysostomus, serm. *De Pericul. levium peccat.*, recensita historia uxoris Lot, quæ, quia retro ad Sodomam conflagrantem respexit, in statuum salis conversa est: « Neque, inquit, leve dicendum est, quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit, cum scriptum sit: Qui modica spernit, paulatim decidet. »

S. Cypri-
ano. S. Cyprianus (vel, ut alii malunt, Origenes), tract. *De Singularit. Cleric.*, docet Clericis vitanda esse omnia contubernia feminarum. « Omnes ergo rimæ, inquit, ne dicam portæ, claudendæ sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrantur; et universa sunt componenda munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas ruat, sicut Salomon repetit, dicens: Qui spernit modica, paulatim cadet. »

S. Hiero-
nymo. S. Hieronymus sive Paulinus, instituens Celantiam matronam, ait: « Neque vero eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt quæ potissimum Dei mandata faciant, quæve quasi vilia et parva, despiciant; nec metunt, ne secundum divinam sententiam minima contemnendo paulatim decidant. »

S. Au-
gustino. S. Augustinus, lib. I *De Morib. Eccles.* cap. XXIV, cum dixisset: « Modicum fermentum totam massam corrumpit, » subdit: « Quid autem proferri manifestius de Veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quam illud quod a Propheta dictum est: Qui spernit modica, paulatim decidet? De qua sententia, si opportunum esset festinantibus, copiosissime disputarem; atque id, si a nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstrarem quam sint alta mysteria, quæ imperitissimi et sacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim jam decidunt, sed magno lapsu præcipites eunt. »

S. Isido-
ro. S. Isidorus, *De Norma bene vivendi*: « Qui, ait, verba mala non reprimit, ad noxia cito transit; et qui minima non respuit, in maxima valde prorumpit: minorum namque culpa majorem generat. Particulatim crescunt vitia, et dum parva non cavemus, in magnis prolabimur. Minora itaque devita, et ad majora non devenies. »

Petro
Damiano. B. Petrus Damianus, *Apolog.* cap. VII, taxans Religiosos qui quippiam pecuniæ apud se retinent,

dicentes rem modicam esse: « Si tenuissima, inquit, veneni stilla pando oleris ahero diffunditur, nonne totum, esculentius licet, edulium prorsus abominabile judicatur? Si ergo perexigua mala, largissima sæpius bona corrumpunt; quo pacto te de lenocinante conscientia jactas, quia minimum est, quod contra professionis tuæ propositum privata proprietate possideas? Nam juxta Apostolum: Modicum fermentum totam massam corrumpit. Et alibi: Qui modica spernit, paulatim decidet. »

Ratio a priori est, *prima*, quia multa parva iterata faciunt quid magnum: sic multe unitates iteratæ faciunt mille; multe guttæ conflant flumen et mare; multe arenæ integrant cumulum. Sic multi actus humilitatis exigui, præter meritum, validum pariunt humilitatis habitum; multi actus vanæ gloriæ, habitum robustum vanitatis efficiunt. Quocirca S. Basilius in *Ascet.*: « Nullam, ait, sit erratum quod parvi pendas, quamvis illud tenuissima bestiola minutius sit. » S. Hieronymus *ad Heliodor.*: « Mens, ait, Christo dedita est in majoribus et in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem. » S. Augustinus, serm. 44 *De Temp.*: « Noli, ait, despiciere peccata tua, quia parva sunt; nam etiam pluviarum guttæ flumina complent, et moles trahunt, et arbores cum suis radicibus tollunt. » Et in illud *Psal.* LXVI: « Gentes in terra dirigit, » docet quotidie orationibus atque jejuniis exhauriendam esse aquam, quæ per rimulas intrat in sentinam animæ, ut navem obruat. Et in *Psal.* XXXIX: « Comprehenderunt me iniquitates, etc., multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Si vitasti, ait, grandia, cave ne obruaris arena. » Idem, tract. *De Decem chordis*, cap. XI: « Noli, ait, ista contemnere, quia minora sunt; sed time, quia plura sunt. Attendite, fratres mei, minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat, sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. Si projiciatur quisque in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Non sunt quidem majores, sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic et modica peccata attendite, quia modica sunt; et cavete, quia plura sunt. Quam minutissima sunt grana arenæ! si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat. Quam minutæ sunt guttæ pluviae! nonne flumina implent et domos dejiciunt? Ergo ista nolite contemnere. » Nazianzenus in *Tetrastichis*:

Scintilla magnas parva flammas excitat,
Ac viperinum semen haud raro necat.
Ob idque noxam, quamlibet parvam, fuge:
Nam parva primum sit licet, crescit tamen.

S. Gregorius, X *Moral.* cap. IX: « Si, inquit, curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetravimus, » juxta illud

Eccle. xi, 34 : « A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis. » Denique peccatum veniale iteratum potest fieri mortale, ut patet in eo qui per parva furta notabilem summam accumulatur. Plures casus recenset Gabriel Vasquez I II, disp. 246, num. 3 et seq.

Secunda.

Secunda, quia parva disponunt ad magna : qui furatus est hodie assem, cras furabitur duos, perendie tres, ac tandem aureum, imo aureos perplures ; sic ex loquacitate facilis lapsus est in detractionem, ex nimia familiaritate in libidinem, ex ambituuncula in fastum. Magna namque et aperta peccata, eo justis minus periculosa sunt, quod vel aspectum eorum satis enormem et tetrum exhorrent ; at minima eo ipso quod minima, periculosiora videntur, quia dissimulante intrant, latenter cor possident, et abscondite ad miserabilem ruinam disponunt. Unde R. Benzai in *Pirke Avoth*, sive in *Sententiis Patrum*, cap. IV : « Festina, ait, ut adimpleas mandatum, quantumvis leve ; omni cura fuge peccatum. Sicut enim mandatum unum alterius mandati est sequela, sic et peccatum unum mox aliud post se trahit, eo quod primum unius præcepti sit aliud præceptum, sicut et peccati unius permissio fieri a Deo solet in pœnam alterius. » Et S. Bernardus tanquam expertus casuum aliorum bene ait : « Mens Deo dicata sic caveat minora vitia, ut majora ; quia a minimis incipiunt, qui in maxima prouunt. » Ita ipse *De Ordin. vitæ*, sub finem. Hoc est quod ait *Eccle. cap. x* : « In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. » In quæ verba Cassianus, *Collat. VI, cap. xvii* : « Eleganter, inquit, mentis incuriam domati comparavit, tectoque neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum ; quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt signa virtutum, et post hæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hiemali, id est, in tempore tentationis, ingruente impugnatione diaboli expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domus propriæ possessione requieverat. » S. Augustinus, *epist. 108 ad Seleuciam*, de venialibus peccatis agens : « Quæ, inquit, si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et opprimunt, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, et per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat? » Neque enim id sanctissimus et sapientissimus Pater dixit, quia putaret multa levia peccata uno gravi coæquari ; sed quia hæc si non navem nostri cordis operiunt, at aperiunt, ut magnum fluctum peccati gravis suscipiat. Levia enim peccata debilitant vires animi et spiritus, ac passiones adaugent et roborant ; quo fit ut irruente gravi tentatione

homo debilis succumbat et consentiat, juxta illud *Cant. II* : « Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. » Et *Psal. cxxxvi, 9* : « Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram. »

Tertia, quia parva subinde multis magnum dant scandalum, faciuntque ut multi unius, utpote viri probi et sapientis imitentur exemplum, itaque disciplina Ecclesiæ vel religionis labefactetur. « Ipsa enim, ut ait S. Anselmus *De Similit.* cap. cxxii, est quasi quædam clausura, vel stagnum vivarii. Quoniam quidem sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur : ita omnis religio monastici Ordinis funditus perit, si custodia ejus pre modicarum contemptum culparum, paulatim a fervore suo tepescit. »

Quarta, quia parva peccata gratiam Dei immittunt et avertunt. Deus enim peccatis venialibus offensus, non toties, nec tantas immittit illuminationes menti, nec tantas pias affectiones voluntati, ut solebat prius ; quo fit ut homo, a gratia desertus, pronus sequatur suas passiones et concupiscentias, ac tandem in gravia peccata corruat. Stimulet illud Christi *Matth. xxv, 21* : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui. » Præclare Salvianus, lib. VI : « Nihil, ait, leve aestimetur, quo læditur Deus ; » omnia peccata offendunt læduntque Deum ; omnia ergo, etiam minima, fugit qui Deum amat, nec vel minimum eum offendere et lædere sustinet.

Quinta, quia dæmon per neglectum minorum fit audacior et robustior, ut tentet homines ad perpetrandum majora. Qui ergo sapit, in minoribus detinet dæmonem, nec sinit eum progredi ad majora. Norat hoc Eusebius Anachoreta, qui, ut scribit Theodoretus in *Histor. Patrum*, cap. IV, zona ferrea in collum injecta curvus incedebat. Causam rogatus, hanc dedit : « Ne malignus dæmon de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam et justitiam, et iram armans, et cupiditatem accendens, et ut fastu efferat, et superbia intumescam, efficiens, et quæcumque adversus meam machinetur animam ; conor hostem ad hæc parva traducere : in quibus, etiamsi vicerit, non magnum affert detrimentum ; et si victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui ne in parvis quidem possit evadere superior. Quoniam ergo novi hoc bellum minus periculosum : non valde enim feritur, qui in his damni aliquid accipit (quod enim damnum est vel videre campum, vel in cælum oculos attollere?) ; ad hoc me genus pugnae transtuli : in hac enim me nec ferire potest, nec perimere. Non sunt enim hæc jacula lethifera, ut quæ illis ferreis carèant aculeis. »

Porro paradoxum videtur quod ait S. Chrysostomus, *homil. 88 in Matth.* : « Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nunquam non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva et vilia ; illa enim ut

Magis vitanda parva peccata quam magna, cur?

aversemur, ipsa natura peccati efficit; hæc autem, hac ipsa re quia parva sunt, desides reddunt; et dum contemuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generose insurgere. Unde cito ex parvis magna fiunt negligentia nostra. Hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Juda maximum proditiōnis malum exortum est; nisi enim putasset parvum esse pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset. Judæi quoque, nisi putassent inanis gloriae delictum minimum esse, usque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelera fieri videbis; nemo enim repente ad extremam improbitatem insiliit. Habet quippe insitum quendam animam pudorem atque innatum, quem subito calcare atque projicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentia perit.»

Exemplum
Plura
nisi
via

Huc facit mirum nivis exemplum, quod refert Olaus Māgnus, lib. II, cap. XIII. «Parum nivis, inquit, pede commovit avicula quædam in summo Defrinorum montium vertice; quod deorsum sensim descendens, et in pilæ formam sese revolvens et conglobans, semper auctum crevit in tantam amplitudinem, ut rotatum in imum montis, vastissima sua mole oppida destruxerit: ita parvi defectus, si negligantur, crescunt in immensum, et animam non unius, sed multorum sepe millium perdunt.»

Ubi
rigor,
ibi
vigor.

Quocirca notanda est aurea sententia S. Anselmi epist. 6 ad Monach. Cistere. : «Certissimum, ait, signum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor monachorum inviolabilis manet; ibi pax inter fratres, et in Capitulo proclamaciones conquiescunt. Ubi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur et destruitur.» Idem per umbram videre et docuere Philosophi. Plutarchus De Profectu virtutum : «Non mediocre, ait, argumentum est nos in virtute progredi, si nullum jam peccatum leve et exiguum putemus, sed omnia studiose vitemus atque observemus, etc. Talis enim ostendit se purum aliquid sibi jam comparasse, quod inquinari nullo modo velit.» Plinius, lib. XI, cap. II : «Rerum natura, ait, nusquam magis quam in minimis tota est.» Quocirca Tertullianus, lib. I Contra Marcion. cap. XIV, vetat in modicis despici Creatorem, qui maximus artifex «animalia minutiora de industria, ingeniis et viribus ampliavit.» Plura vide apud nostrum Julium Nigrōnium Ascetico De Cura minimorum.

Vers. 2.

2. VINUM ET MULIERES APOSTATARE FACIUNT SAPIENTES (a sapientia, puta a sua prudentia, dignitate, officio, virtute, ac tandem a fide, religione et Deo), ET ARGUENT SENSATOS, — q. d. Ideoque vinum et mulieres redargutione et reprehensione dignos faciunt viros prudentes et sensatos, adeoque eos faciunt imprudentes et insensatos. Ita Rabanus. Jungit vinum mulieribus, quia ventri, inquit S. Hieronymus Contra Jovin., vicina sunt genitalia,

et venter mero æstuans despumat in libidines.» Ecce hic gradationem vitiorum, quæ ostendit quam paulatim decidat in abyssum is qui modica spernit. Ex vino enim itur in crapulam, ex crapula in fornicationem, ex fornicatione in apostasiam. Ita Rabanus. Sic vina et mulieres Salomonem regem sapientissimum infatuarunt, ut apostataret, fieretque idololatra. Eadem infatuarunt Calvinum, Lutherum, Bucerum cæterosque nostri ævi Novatores, eosdemque apostatas, imo hæreticos et hæresiarchas effecerunt, uti etiam multos efficiunt. Syrus verit, vinum et mulieres lascivire faciunt cor; Tigurina, vinum et mulieres etiam cordatos auferunt, suggillantque sapientes. Alludit ad Osee cap. IV, 11 : «Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor,» ubi multa hæc de re dixi. Porro Palacius arguent sensatos aliter explicat, q. d. Mulieres arguunt et reprehendunt sensatos, quia cum illis corrixantur, quæ non modica est ipsorum pœna et stultitia. Porro S. Ambrosius, De Elia et Jejunio, cap. XVIII : «Si vinum, inquit, et mulieres discedere a Deo faciunt, quod vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ sint; si singula ac separata hæc faciunt, quid faciunt unita?» Unde non immerito ait Sapiens (Eccli. cap. XXVI) : «Mulier ebriosa, ira magna, et turpitudinem suam non celabit.»

3. ET QUI SE JUNGIT FORNICARIIS ERIT NEQUAM. — Vers. 3.

Fornicariis, id est meretricibus : sic enim clare habent Græca, ὁ κολλώμενος πόρνοις, id est, qui agglutinatur meretricibus, τοῦ αὐτοῦ, id est audax. Ita Complutenses. Sed Clemens Alexandrinus, lib. II Pædag. cap. X, et alii legunt, τοῦ ἀποτότερος ἐστίν, id est audacior erit, ad alia graviora facinora et scelera perpetranda, quod Noster aliis verbis dicit, «erit nequam.» Fornicatio enim adimit homini frontem et pudorem, qui homines a sceleribus advocare solet; eumque facit impudentem et effrontem, ut quidvis audacter aggredi et designare audeat : qualis sane est nequam, id est, malignus et perversus, qui non nisi nequitas cogitat et somniat. Unde Tigurina, et qui consuescit meretricibus, evadet confidentior; Syrus, qui adhæret meretrici, peribit. Quid enim non potest jubere tuum quod perditæ amas, scortum? quid tu ei adeo insane adamatæ, adeoque tibi imperanti negare poteris? plane eris comessor, ebriosus, et, si pecunia egeas, fur, ut veneri satisfacias; rixosus, et subinde homicida, magus, veneficus, ait Palacius, ac tandem hæreticus et atheus.

Disputant nonnulli, et inter eos Joannes Mariana lib. De Spectaculis, cap. XVI, an expediat in urbe Christiana permittere meretrices et lupanar. Pro parte affirmante facit quod permittenda sint minora mala, ut vitentur majora. Per lupanar autem vitantur adulteria, incestus, sacrilegia, peccata contra naturam, etc. Favet S. Augustinus, lib. De Ordine, cap. IV : «Quid sordidius, ait, quid dedecoris et turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus dici

An Christianis
permittere
lupanar?
Affirmant alii
qui.

potest? Aufer meretrices de rebus humanis, tur-
baveris omnia libidinibus. » Augustinum secutus
S. Thomas, lib. IV *De Regim. Princ.* cap. XIV, ait
tolerari meretrices, ut, sentinae instar, in eas om-
nes sordes confluant. Sic et Lyranus, in cap. XIX
Genes. et in cap. XXIV *Deuter.*

Negant
al. i. pro-
languae.
Primo.
In partem negantem facit, primo, quod Deus
Judæis olim vetuerit meretrices, *Deut.* XXIII, 17 :
« Non erit, ait, meretrix de filiabus Israel, nec
scortator de filiis Israel. » Unde Origenes, lib. IV
Contra Celsum : « Nullæ, inquit, fuere meretrices
juventutis pestes in eorum republica. » Idem do-
cet Clemens, lib. III *Strom.* Et Philo, lib. *De Special.*
leg., ait apud Judæos capitale fuisse corpore quæs-
tum facere. Quod si sanctitas Judaismi non patie-
batur meretrices, multo minus eas patietur sanc-
titas Christianismi, præsertim cum in eo majora
suppetant gratiarum, Sacramentorum, concio-
num, exemplorum auxilia ad caste vivendum,
quam in Judaismo.

Secundo. *Secundo*, quia per lupanaria non cavetur, sed
augetur libido quælibet, etiam contra naturam,
uti liquet in urbibus ubi ea permittuntur. Una
enim libido inflammat aliam; libido enim vaga
quasi cancer serpit, et quia insaturabilis, alios et
alios quærit et excogitat voluptatis modos et spe-
cies, nec ullis finibus se continet; sed metu sup-
pliciorum, et diligentia principum cohibetur ma-
xime.

Tertio. *Tertio*, quia S. Hieronymus *Ad Oceanum* ait,
« Cæsarem, non Christum, Papinianum, non
Paulum, viris impudicitiae frena laxare, et lupa-
naria permittere. » Lactantius, lib. VI, cap. XXXI,
docet a dæmone lupanaria esse invecata : « Ac
ne quis esset, ait, qui pœnarum metu abstineret
alieno, lupanaria quoque constituit, et pudorem
infelicitium mulierum publicavit, ut ludibrio habe-
ret tam eos qui faciunt, quam quas pati necesse
est. » Quin et S. Augustinus ætate et usu sapien-
tior, videtur retractasse sententiam. Nam lib. II
De Civit. cap. XX, lupanaria numerat inter illicita
et exitialia. Et lib. XIV, cap. XVIII : « Usus scort-
torum, ait, terrena civitas licitam turpitudinem
facit, » q. d. Jura Gentilium Roman. scorta per-
mittunt, non jura Ecclesiae.

Quarto. *Quarto*, S. Ludovicus tota Gallia meretrices pub-
licas et lupanaria prohibuit, uti referunt *Galliae*
Annales, Gaguinus et *Emilius* lib. VII. Sic nuper
Philippus IV Hispaniae rex, tota Hispania lupas et
lupanaria publica lege ejecit. Quidni ergo idem
præsent aliae provinciae pari suo honori, et pu-
blico pudoris commodo?

Quinto. *Quinto*, lupanaria, æque ac Bacchanalia, sunt
reliquæ Gentilismi et probrum Christianismi.
Sane Hussitæ Catholicos acriter accusant, quod
lupanaria tolerent, teste *Ænea Sylvio*, lib. II
Histor. Bohem. cap. L. Jam multis in locis viri
Religiosi Bacchanalia verterunt in Christianalia,
diesque pietatis; utinam idem facerent de lu-
panariis. Sane lupanar, in quod ducta fuit

S. Agnes, sed protecta ab Angelo, Romæ in ec-
clesiam nomine S. Agnetis conversum intuemur.
Hæc fere Mariana loco citato.

Sexto, Navarrus in *Manuali*, cap. XVII, num. 195, **Sexto**,
novem rationibus probat non esse permittenda
lupanaria, inter quas sexta est, quod videamus
occasione lupanarium pueros vel sua sponte, vel
aliorum invitatu ad ea accurrere, noxiæque libidine
enervare vires, ac inflammata semel cupiditate
in omne deducus ruere. Omnino ubi lupanaria
non sunt, multo continentiores sunt juvenes,
pauciora adulteria existunt, castior est civitas;
quia sicut nullum vitium ita accenditur occasione
data, ac libido, sic pariter nullum ita reprimitur
occasionum fuga, ac libido. Fugite fornicatio-
nem, ait S. Paulus. Ratio est clara, quia sicut
flamma non exstinguitur, sed accenditur flamma:
ita libido accenditur libidine, perinde ut rixa
accenditur rixa.

Septimo, lupanaria serviunt plebeiis duntaxat; **Septimo**.
honestiores enim honestas quærunt, iisque insi-
diantur. Accedit, quod ex meretricibus, flore
ætatis transacto, fiunt lenæ, quæ mille nocendi
artes norunt. Audi Navarrum loco citato : « Finis
per lupanaria prætextus, puta ne honestæ sol-
licitentur, non attingitur; viri enim prudentes
aiunt eos, qui ad eas sollicitandas sunt apti, non
adire meretrices, imo postquam eis male sunt as-
sueti, tanto magis honestas sollicitant, quo ma-
jore impetu naturæ et vitii feruntur.

Octavo, quod mares majore vigore sunt ad **Octavo**.
resistendum libidini, quam feminae : cap. *indig-
nantur*, XXXII, *Quæst.* VI; feminis autem nusquam
hac permissione succurritur.

Nono, quod verum remedium contra libidinem **Nono**.
est ardens amor castitatis, vitatio occasionis ejus
perdendæ, vigilantia ad resistendum, abstinencia,
labor assiduus, et super omnia gratia Dei;
quorum omnium contraria, lupanaria requirunt.
Hucusque Navarrus.

Denique hoc videtur significare hic Sapiens :
« Qui se jungit fornicariis, erit nequam, » Græce
audax ad omne facinus, ut alios multos nequitiae
suae complices efficiat. Sicut enim qui tangit pi-
cem inquinatur ab ea, sic necesse est ubi abund-
ant fornicariæ et fornicarii, iis eorumque ma-
chinationibus inquinari virgines, juvenes, nobi-
les, plebeios, omnemque ætatem et sexum.

Quare sicubi ob inveteratam consuetudinem lu-
panaria statim omnino tolli nequeunt, certe res-
tringenda sunt, ut pauca sint, paucasque con-
tineant, sintque a civium domibus separata. In
hospitiis ergo lupæ non permittendæ, et quæ
nocte concubia per plateas venali corpore dis-
currunt, quæque in privatis domibus habitant,
supplicio sunt coercendæ. Multo minus concubi-
natus iis qui conjugati non sunt, permittendus est.
Audio in Hispania ne magnatibus quidem parci,
sed eos in castrum aliquod amandari, concubi-
nas vero in pistrinum, quod Hispani vocant tri-

remes meretricum, detrudi. Ita sistitur libido; hisce patronis pudor et decus triumphant.

Exem-
plum
Pii, V.

Memorable est exemplum Pii V, qui Roma omnique Statu Ecclesiastico meretrices intra quindecim dies excedere jussit; paucas tantum permisit, easque loco separato juxta mausolæum recludit, sanxitque ne inde egrederentur, ac per urbem nocte vel die vagarentur; sacellum eis attribuit, in quo concionem audirent; quæcumque contra facerent, acriter diverberabantur. Obstitit initio Pontifici Conservator populi Romani dictitans id cesserum in Romæ detrimentum, quæ cum sit civitas libera, meretrices semper permisit, ideoque numero et gente accrevit. Respondit Pius, nosse se quanta hæc peccati sit illecebra, tum populo, tum Clero, ac quantum per hoc apud externos probrum Romæ et Sedi Apostolicæ, puta Pontifici, qui ejus est princeps tum sæcularis, tum Ecclesiasticus, ereetur. Hæreticos enim perpetuum illud Romanis objicere; ac proinde se in conscientia teneri hoc scandalum et probrum tollere. Urgente Conservatore hanc fore ruinam Romæ, respondit: « Si per hoc sum futurus ruina Romæ, ea excedam, et Sedem Apostolicam mecum in aliam urbem transferam, ac Romanis suas lupas relinquam. Cessit Conservator; ac Pontifex rigide sanctionem suam executioni mandans, Romam hoc scandalo et probro liberavit. Ita habet ejus Vita.

Et Du-
cis Lo-
tharin-
gicæ.

Pium V æque ac S. Ludovicum imitatus est recenter hoc anno 1624, inauguratus Lotharingiæ Dux, qui primordia Ducatus sui a Deo, Deique cultu auspiciatus, legem tulit et severe sanxit, ut blasphemis lingua perforetur, lenones suspendantur, meretrices flagellentur et in exilium expellantur. Hoc sui regiminis pii sanctique præbens auspiciam, dedit prælustre futuri specimen et omen. Felix tali Duce Lotharingia. Felix tanta religione et castimonia Dux.

PUTREDO ET VERMES HEREDITABUNT ILLUM, ET EXTOLLETUR IN EXEMPLUM MAJUS, ET TOLLETUR DE NUMERO ANIMA EJUS. — Libido enim corrumpit humores, spiritus, sanguinem totamque hominis complexionem, ideoque carnes putrescere facit, ut vermes ex eis ebulliant, ac jure dicat scortator: « Putredini dixi, Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus. » *Job. cap. xvii, 14.* Ubi jam venter phasianis et falernis odoratis saburratus? ubi majestas frontis, et oculorum lucernæ? ubi suave vocis plectrum, et sonora aurium tympana? Omnia facta sunt lurida sordium congeries, bufonum crypta, et cloaca vermium ac serpentum. Quare scortator extolletur, id est, cito auferetur ex hac vita, ut statuatur in παράδεισῳ, id est in exemplum insigne et majus cæterorum, uti statutus fuit Salomon, quem hic notare videtur Siracides; idque ad hoc, ut singuli talis vindictæ exemplo perculti, sibi a scortatione caveant. « Et tolletur de numero viventium, » tam hic quam in cælis « anima ejus. » Scortatio enim, quia san-

guinem, spiritus et succum exhaurit, corpusque exsiccat, enervat, infirmat, hinc abbreviat vitam hominis, mortemque accelerat. Ita Rabanus, Lyranus, Jansenius, Palacius et alii. Unde pro ἐξαρθίεται, id est extolletur, Complutenses legunt ἐξηρθίεται, id est exsiccabitur, arescet. Pro putredo Noster legit σήψις, et sic habet vetustus codex. Jam legunt σήψες, id est tineæ. Unde Tigurina vertit, caries et vermes occupabunt eum, et anima confidens (audax) auferetur, gravique supplicio contabescet; Syrus pro his omnibus hoc tantum habet, anima impudens perdet Dominum suum.

Porro, putredo, vermis et tineæ sunt symbola et periphrasis mortis, ut patet *Job. cap. xiii, 28,* et *cap. xvii, 14, Isaïæ xiv, 11.* Nam quod putrescit, emoritur; fornicatores ergo corrumpentes corpus putrescunt sensim, corrodingi deinde a vermibus, qui ex putribus eorum cadaveribus creantur. Congrua et justa est hæc fornicantium pœna, ut in quo peccaverunt, in eo et puniantur; ut carnis deliciis succedat putredo, voluptati dolor, lasciviæ mors, ac post mortem putredo et vermes, qui eos corrodant. Quo enim delicatius caro nutritur, eo mortua magis putrescit et foetet, eoque avidius eam depaseuntur bufones et serpentes. Id hoc sæculo magis quam prioribus experientia liquet, quo Deus ad castigandam fornicationem novum genus morbi in fornicarios immisit, puta morbum Gallicum, vel, ut alii vocant, Neapolitanum, qui eos ita foedat et cruciat, ut seipso ferre et sustinere vix valeant. Multo magis foetet eorum anima, ac cruciatur verme conscientia, ibitque in cruciatus gehennæ. Quocirca S. Hilarion, S. Catharina Senensis aliique Sancti, dum cum quopiam scortatore occulto loquerentur, tantum ex eo sentiebant emanare fetorem, ut nares comprimere, faciemque avertere cogentur.

Porro quot quantique morbi ex libidine, quasi turpissimæ voluptatis stipendia, promanent, recenset Actius, lib. III *De Atra Bil.*, nimirum: « Exsolutio virium, cruditates, hebetudo sensuum, oblivio, tremor, articulorum dolor, renum et vesicæ morbi, oris graveolentia, dentium dolor, gurgulionis inflammatio, ulcera in membris, phthisis. » Denique mala omnia. Quod eleganter S. Chrysostomus, homil. *Quod nemo læditur nisi a seipso*, significavit: « Hi (inquit) qui in deliciis et luxuria vitam degunt, resoluta quidem corpora et omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta; quibusque ad cumulum malorum podagræ tremor, et immatura senectus succedit, et est eis vita semper cum medicis et medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graves, obtusi, quodammodo jam sepulti. » Idem, homil. 5^o *ad Popul. Antiochensem*, ipsis primis verbis: « Non tam vehementer pluralium aquarum cursus ipsas ripas corrodingi solet, sicut deliciæ et luxus omnia valetudinibus nostræ firmamenta facile subruere. »

Libidi-
nis dam-
na et
morbi.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE CAVENDA LOQUACITATE ET DETRACTIONE.

Vers. 4. 4. QUI CREDIT CITO, LEVIS CORDE EST, — qui scilicet credit cuilibet quidlibet sine justa ratione vel auctoritate asserenti. Unde Arabicus, *qui ducitur cito ad acceptionem verborum, est modicus mente*, id est, parvi iudicii. Loquitur Siracides de credendo per fidem tum divinam (nemo enim potest credere fide divina quippiam, nisi habeat evidentia signa credibilitatis), tum potius humanam, qua credimus alteri sua narranti, et maxime proximo suo detrahenti; tali enim cito credere levis est animi, non sedati, maturi et cordati. Hic enim scit homines sæpe decipi et decipere, detractores invidia et passione agi, ideoque rem exaggerare, et ex musca facere elephantum, multa prave suspicari, multa male interpretari, multa fingere, multa mentiri; ac proinde eis non facile esse adhibendam fidem, sed ut minimum suspendendum esse iudicium, donec rei veritas examinetur et probetur. Vere Comicus: « Vix hodie fidei fides fit sine fidei dispendio. » Quare « qui cito credit, minorabitur, » tum sapientia, tum fama et nomine; habebitur enim levis, imprudens, et subinde insipiens, ac, ut Syrus vertit, *amens*; idcirco poenitebit eum, præsertim ubi viderit se deceptum et falsum. Unde Seneca in *Proverbiis*: « Ad poenitendum properat, inquit, cito qui iudicat. » Est hæc generalis sententia, quæ proinde in qualibet cita credulitate locum habet. Unde S. Ignatius epist. ad *Heronem*, monet eum ne cuius veram fidem profitenti vel simulanti credat: « Multi enim, inquit, ministri sunt satanæ; et qui cito credit, levis est corde. » Porro S. Bernardus, epist. 190 ad *Innocentium*, *Pontificem* taxat Petrum Abailardum, qui volebat mysteria fidei, ut SS. Trinitatis, mente et ratione comprehendere: « Denique, ait, exponere volens illud Sapientis: Qui credit cito, levis corde est: Cito credere est, inquit, adhibere fidem ante rationem, cum hoc Salomon (multi enim hunc librum Sirach vocant Salomonis; causas dedi in proœmio) non de fide in Deum, sed de mutua inter nos dixerit credulitate; nam illam quæ in Deum est fidem, B. Papa Gregorius negat plane habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum. » Insuper noster Pineda in *Job*. cap. xxx, vers. 2, hanc sententiam refert ad eos qui credunt deliciis et vanis promissis carnis et mundi, puta gulæ et veneris; de his enim sermo præcessit: « Agit, inquit, de his qui facile rebus visibilibus sua desideria committunt, et promissis fallacibus hujus mundi cito ac leviter credunt: hujusmodi enim ambitiosus et cupidus semper minorabitur, id est, decrescet, et ibit in deterius; facitque et delinquit contra animam suam, id est, contra vitæ suæ jucundi-

tatem et tranquillitatem; ac præterea insuper habebitur, id est, inutilis erit, et, quod vulgo dici solet, impertinens. »

Exempla sunt in Josue, cap. ix, qui cito credens Gabaonitis deceptus fuit. In Constantino Magno, qui cito credens uxori suæ filium Crispum accusanti, quod se ad incestum sollicitasset, eum licet innocentem occidit. Hippolytus occisus est, quia novercæ creditum, teste Seneca. Illustre est quod refert Phædrus libertus Augusti Cæsaris, libro III, *fabula* 9: Libertus, inquit, ut heros perderet, et eorum hæres fieret, apud herum accusavit uxorem de adulterio. Herus ut crimen deprehenderet, simulavit se proficisci foras; dein noctu domum subito repetiit. Adiit cubile in tenebris, palpavit lectum; invenit in eo cubantem virum, quem suspicans adulterum, occidit. Lucerna allata aspicit esse filium; quare dolore percitus in poenam tanti erroris eodem ferro, quo filium, seipsum transfigit. Uxor Romam ad Centumviros rea duplicis parricidii, quod scilicet tam filium quam maritum occidisset, pertrahitur. Augustus Cæsar re vestigata et veritate cognita, hanc tulit sententiam: « Luat poenas libertus, qui omnis mali causa exstitit. Namque uxorem orbatam filio simul et viro, miserandam potius quam damnamdam existimo. » Unde hoc elicit dogma morale:

Nil spernat auris, nec tamen credat statim;
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Sic per errorem nimis citæ credulitatis, S. Julianus Hospitator patrem ignorans occidit; unde miram deinde egit poenitentiam. Idem fecit S. Ursius, uti refert Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italiae*, ad diem 3 maii.

ET QUI DELINQUIT IN ANIMAM SUAM, INSUPER HABEBITUR. — *Primo*, Janseñus refert et nectit hæc cum eo quod præcessit, *q. d.* Qui cito credit, levis est corde; et qui hac levitate credendi detractoribus delinquit in animam suam, hic « insuper habebitur, » id est, talis reputabitur, puta levis, parvi iudicii et cerebri, qui scilicet peccet non tantum in proximum suum male de eo sentiendo, et mala audita leviter credendo, sed et « in animam suam, » quam hac levitate et detractione commulcat, quamque leviter decipi permittit, et multorum malorum periculo exponit; animæ ergo suæ injuriam facit, sibi quæ ipsi injurius est. Unde Tigurina hæc omnia connectens in unum, ita ex Græco vertit, *qui facile credit, levis est animo; et peccando delinquit in animam suam*. Sic et Lyranus: « *Insuper habebitur*, inquit, id est, exterius

Qui cito credit, decipitur.

Exemplum.

Nimis cita credulitatis facinus.

æstimabitur talis, qualis occulte interius est, scilicet quod delinquat in animam suam. » Verum Græcum *πλημελίσσει* non significat, *talem reputari, sed peccare*. Unde

Secundo, alii, *insuper habebitur*, id est, inquam, pejus indies habebit et habebitur. Aut *insuper habebitur*, id est, præterea capietur et tenebitur, *q. d.* Qui peccat, non tantum in animam suam peccat, sed et *insuper* peccato suo *habebitur*, id est, capietur et tenebitur, ejusque vinculis constringetur.

Tertio, Palacius : Græce, inquit, est *imundabit*, id est, erit in modum undæ et fluitantis aquæ, quam scilicet levis aura movet. Talis est, qui ex levi rumore a bona amici opinione movetur. Verum Græcum *πλημελίσσει* non significat *imundabit*. Videtur ipse, vel ejus Græcus anagnostes legisse *πλημμύρισει*, id est *imundabit* : *πλημμύρι* enim est inundatio, æstus maris. Unde Virgilius lib. III *Æneid.* : « Plemmyrium undosum. »

Insuper habere, quid?

Quarto, proprie et genuine, *q. d.* Qui cito credit, levis est corde; at qui peccat et delinquit in animam suam, hic *insuper*, id est, supra numerum *habebitur*, quasi qui frustra sit in orbe. Ita Palacius et Pineda in *Job. cap. xxx, 2, q. d.* Hic habebitur supernumerarius, supervacuius, frustraneus, otiosus, iners, inutilis, imo noxius, et pondus inutile terræ, juxta illud :

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati.

Peccator enim inutilis est sibi, aliis totique mundo; nulli enim quid boni facit, sed omnibus grave malum peccando creat. Talis præsertim est levis qui cito credit, dicit, detrahit, de quo sermo præcessit et sequitur. Hic enim nullius est frugis, nullius usui. Quis enim levi fidat? quis futili utatur? Qui enim animæ suæ, id est sibi, æque ac proximo injurius est, cui bonus erit? Quare si de tali rogeris : Quis ille est? respondebis : Est unus *insuper*, est auctarium mensæ, est qui turbæ auget numerum, est ciphra, est umbra. Sicut enim umbra sequitur corpus, sic ille sequitur dicentem et detrahentem, illi applaudit, et cum illo mutatur in omnem ventum. Unde Syrus vertit, *qui credit cito, amens est; qui peccare facit animam suam, qui justificabit eum?* Id ita esse liquet ex Græco *πλημελίσσει*, quod alii vertunt, *errabit, peccabit*; Noster vero sagaciter ad verbum vertit, *incurius, deses, iners erit et habebitur* : *πλημελίσσει* enim dicitur quasi *πλημύρισει*, id est, sine cura, ut idem sit quod *ἀμέλεια*; aut a *πάλιν μέλει*, videlicet quod injuria posteriore meliorem cura, ut habet proverbium, sit sarcienda; velut *μετάνοια* a *μετανοεῖν*. Unde delictum per incogitantiam, incuriam et inertiam commissum, vocatur *πλημελίσσει*, uti dixi *Levit. cap. vii, 1*. Hinc et cap. præced. vers. 27 : « Et in diebus delictorum, inquit, attendet ab inertia. » Græce *πλημύρισει*. Forte etiam Noster pro *πλημελίσσει*, legit *πλεῖστον ἔσται* vel *ἔσται*, id est, plus, amplius, insuper erit vel habebitur.

Denique hoc sensu *insuper* usurpat Papinianus leg. *Sunt personæ, ff. de Relig. sumpt. fun.*, ubi cum agit de sepultura in proprio fundo, cujus ususfructus alicujus esset, alteri danda, quod stricto jure non poterat, ait : « Propter publicam utilitatem, ne insepulta cadavera jacerent, strictam rationem insuper habendam (id est, contemnendam, tanquam supervacaneam rejiciendam), quæ nonnunquam in ambiguis religionum questionibus omitti solet. »

In hanc gnomen lepidum vulpis et corvi apologum scripsit Cyrillus, lib. I *Apologorum moral. cap. xiii*, cujus titulus : *Sis ad audiendum velox, ad credendum tardior.* « Ad vulpem, inquit, absconditam famescentem, cum amicus corvus non minus sibi quam illi compatiens, gallinas in securo manentes fraudis vi studeret adducere; ad eas se contulit, et salutatione prodigionis proposita dixit : Affero vobis nuntium lætissimum, quoniam vulpes monialis facta est, et deposuit feritatem : venite de cætero securæ, et videte id quod est mirabile, quoniam in oratorio velata vulpes cantat Horam devotis laudibus vespertinam. Mox illæ cordis levitate credentes, cum pergerent, inventum gallum secum ducere conabantur. At ille mira dotatus intelligentia, quantocius verbi dolum percipiens, uxoribus suis dixit : Audite me, insensatæ et credulæ. Quo enim tenditis, nisi ducæ fraudis in mortem? Nempe si in corvo fore creditis veritatem, et speratis de vulpe bonitatem, lucem putatis esse tenebras, et in vitis inesse virtutem. Sed hoc impossibile est, quoniam splendor solum de lumine rutilat, et virtutis stilla de venâ bonitatis tantum distillat. Non audistis adhuc, ut video, sententias sapientum. Veloci siquidem aure audiendum est, et gravi corde credendum. » Deinde ostendit quæ et quibus credere oporteat, quibus non : « Revera, inquit, minus provide amico et inimico pariter creditur, cum amoris et odii linguæ libra fallacis affectionis pondere in obliquum trahatur. Verum nulli securius quam amico de malis, et inimico de bonis accommodatur auditus. De te vero nunquam credas inimico tuo in æternum. Quia si bene dicit, sophista est, de bono tendens ad malum; si maledicit, facit quod suum est. » Subdit deinde, non esse credendum multiloquo, delatori, mendaci et fallaci, nec iracundo, ac deinde subdit : « Nulli minus quam tibi de bonis credas; naturaliter enim laudem appetimus, et majora de nobis communiter æstimamus, etc; tantum credendum est quod fieri potest, atque conveniens est. » Unde concludit, « quod fallaci credere corvo stultum est, et omnino dementia vulpem deposita feritate cantare velatam. Hæc enim vulpinæ caudæ non convenit, et omnino veritas a circumstantiis ipsius dissentit. Quandoquidem igitur multa cautela in credendo adhibenda est, et rei veritas omni diligentia inquirenda; certe stultissimum est cito credere, et periculosum post

Cito credens est levis, Apologus.

Quibus credendum, quibus non.

levem credulitatem citius moveri. Quibus dictis, dimisso corvo; gallum gallinæ secutæ sunt. »

Vers. 5.

5. QUI GAUDET INIQUITATE, DENOTABITUR : ET QUI ODIT CORREPTIONEM, MINUETUR VITA : ET QUI ODIT LOQUACITATEM, EXTINGUIT MALITIAM. — Pro iniquitate Complutenses legunt *κακῆτις*, id est malo habitu, vel mala actione; unde vertunt, qui letatur in male agendo, condemnabitur; at resistens voluptatibus, coronat vitam suam. Sic et Tigurina, qui gaudet mala habitudine (Vatablus, qui corpus supra modum macerat), meretur reprehensionem; qui vero voluptatibus resistit, coronat vitam suam. Romana vero legunt *καρδία*, vertuntque, qui gaudet corde, denotabitur; et qui odit loquacitatem, minuitur malitia. Noster et alii legunt *καρδία*, id est iniquitate, malitia. Vides hic ut Græca varient, ac proinde standum esse Latinæ Vulgatæ, in quam omnia exemplaria consentiunt. Sensus ejus ergo est: « Qui gaudet iniquitate, » ac præsertim iniqua loquela et detractio, « denotabitur, » id est, vituperabitur et condemnabitur (hoc enim significat Græcum *καταγραφῆσθαι*. Unde Syrus vertit, qui letatur de malo, erit confractio vel præda sui); qui vero odit loquacitatem, ideoque impedit detractioem, « extinguit malitiam, » id est, sopit multa mala, puta lites, odia, rixas, cædes, quæ ex loquacitate, dicacitate et maledicentia oriuntur: lingua enim est universitas iniquitatis, ait S. Jacobus cap. III *epist.*

Quod vero in medio Noster intexit: « Et qui odit correptionem, minuatur vita, » significat eum qui ita amat iniquitatem et loquacitatem, ut nolit ab eo qui eam detestatur, corripri, brevis fore vitæ, quia Deus eum puniet immatura et cita morte: ideo enim odit correptionem, quia vult in scele-ribus suis perseverare, in eisque obstinatus est. Deus autem obstinatos, ceu gigantes, siderare et fulminare solet. Id sæpe facit, at non semper; sed tum in futura vita acrius puniet. Adde, *iniquitas*, id est, injuria quæ detrahendo vel lædendo proximo irrogatur, sæpe morte punitur et vindicatur, vel a iudice, vel a læso, vel ab ejus cognatis, qui lædentem vel necant, vel in eas angustias redigunt, ut miseris et mærorum contabescat. Unde S. Athanasius, *Apolog. pro fuga*, sic legit et citat: « Tollentur immaturæ animæ impiorum. »

Jansenius pro *minuetur vita*, opinatur legendum *minuet vitia*, sicque exponit: « Qui odit correptionem, » id est detractioem, « hic minuet vitia, » quæ ex detractioe nascuntur, ut idem sit cum eo quod sequitur: « Et qui odit loquacitatem, extinguit malitiam; » quasi ex alia versione hæc duæ partes conjunctæ, et in unum conflatæ sint. Verum tam hæc lectio est contra communem codicum fidem, quam ejus expositio contra communem hominum sensum. Quis enim per correptionem intelligat detractioem? Complutenses et alii nonnulli addunt, *qui continens est lingua, convivet difficili*, Græce *ἀμαχῆς*; Romana, *inexpugna-*

bili; Vatablus, *moroso*, importuno, pervicaci; alii legunt *ἀμαχῆς*, id est *citru rixam* et pugnas, hoc est, pacifice cuivis convivet. Unde Tigurina vertit, *qui linguæ temperat, etiam difficili convivet*.

6. QUI PECCAT IN ANIMAM SUAM, POENITEBIT : ET QUI JUCUNDATUR IN MALITIA, DENOTABITUR. — Hoc est, notam infamiæ et censuram judicii subibit, id est condemnabitur, ut paulo ante dixi.

Ili ergo sunt tres peccati vermes, qui illi quasi pomo vitio innascuntur, scilicet poenitentia, infamia, condemnatio. Idem pene dicit hic quod vers. præced. : unde hic versus in Græco et Syro jam deest. Nota *τὸ γαυδῆσαι* et *jucundatur*. Justi enim aliquando ex fragilitate peccant, sed illico dolent, gemunt, suspirant; at vero improbi et reprobi peccant ex malitia, in eaque velut sues in luto voluntantur et jucundantur, ideoque condemnabuntur. Magnum ergo prognosticum suæ reprobationis et damnationis futuræ habet, qui in suo scelere gaudet.

Tres peccati vermes.

7. NE ITERES VERBUM NEQUAM ET DURUM, ET NON

MINORABERIS. — *Primo*, simpliciter, *q. d.* Si dixisti proximo « verbum nequam et durum, » puta iracundum, minax, mordax, detractorium, calumniosum, noli illud iterare, ac per hoc non minoraberis, nec in honore, nec in quiete, nec in amicitia, nec in cæteris bonis; sed potius hæc omnia tutaberis et augebis, si verbum nequam et durum a te prolatum revoces et retractes, aut excuses, mitiges et emollias, vel verbis blandis, vel ipso silentio. Dum enim non repetis verbum durum, videris de eo poenitere, illudque non ex animo, sed ex lapsu linguæ dixisse. Sin repetas, ex maligno animo id dixisse censeberis, ac proinde amicum amittes, et malignus judicaberis. *Secundo*, et magis genuine, *q. d.* Si audisti « verbum nequam et durum, » id est, injuriosum proximo tuo, noli illud aliis narrando iterare, id est, iterum referre, spargere et propalare, ac per hoc non minoraberis, sed accresces per opinionem prudentiæ, discretionis et charitatis.

Hunc sensum exigunt Græca, *nunquam iteraveris verbum, et nihil tibi erit in diminutione*, id est, ut Romana, *nunquam iteres verbum, et nihil tibi minuetur*; Tigurina clare, *ne quid tibi dictum effutius alteri, ut ne quid detrimenti cupias*; Syrus, *qui repetit verbum, amens est. In æternum non repetas verbum, et nemo tibi improperebit*; alii, *ne unquam sermonem iteres, et nihil tibi incommodabitur*.

Nota: *Iterare verbum* Hebr. idem est quod *detrahere*, quia qui detrahit vitia alterius quæ audit, iterum aliis et aliis narrat, spargit et propalat; quin et nonnulla amplificat, immutat et alterat, id est, aliter quam audivit narrat. Sicut enim aqua dum per venas æris, vitrioli, ferri transit, colorem et saporem mutat, ac sapit æs, vitriolum, ferrum: sic pariter idem verbum, eadem historia et narratio dum per varia corda et

ora transit, suam formam et speciem mutat, ut videatur non esse eadem, sed alia, quia quisque pro suo conceptu et affectu eam, dum enuntiat, efformat et immutat: Hebræum enim *שׂוּב* *scans* significat iterare, mutare, variare, alterare. Sic *Proverb. xvii*, vers. 9 (quo hic alludit *Siracides*), ait *Salomon*: « Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero sermone repetit (Hebraice, *iterans in verbo*; *Chaldaeus*, qui repetit sermonem; alii, qui mutat verbum; *Pagninus*, qui impropertat), separat foederatos. » Et cap. *xxiv*, 21: « Cum detractoribus (Hebr. *שׂוּבִים* *sconim*, id est *iteratoribus*; *Cajetanus*, cum *mutatoribus*) non commiscearis. » Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* 2, num. 3: « Qui denuntiat tibi diffamatoria super aliquo, ipse est diffamator, » *q. d.* *Obtrectator* est, non solum qui motu proprio alicui detrahit, sed etiam qui alienis verbis aliquem defert, eaque iterat et propalat. Magnæ ergo sapientiæ est, audita non iterare, nec aliis enarrare, multa audire, pauca loqui, probra quæ quis audivit, in mente sua sepelire, ne foras prodeant, et magnum foetorem damnaque concitent.

Tropologice *Rabanus*: « Verbum nequam iterare, inquit, est post fletum committere quod rursum necesse sit flere. Iterat verbum nequam, et hoc defendere satagit quod male locutus est, qui hoc quod malitiosa mente concepit, pessimo replicat facto, cujus est certa minoratio, quia post pravum commissum nulla ejus patet emendatio. Unde *Cain* postquam iratus est contra fratrem suum, et eum occidere cogitavit, voce *Dominica* correptus est: sed quia se corrigere noluit, et verbum malitiosum, quod cogitatu conceperat, implevit facto, piaculi sui, *Domino* retribuente, justam recepit vindictam. »

Vers. 8. 8. AMICO ET INIMICO NOLI NARRARE SENSUM TUUM: ET SI EST TIBI DELICTUM, NOLI DENUDARE. — *Primo*, *q. d.* Noli cuivis passim promiscue et sine discrimine narrare arcanos animi tui sensus, conceptus, intentiones, proposita: quia si inimici tui sunt, iis abutentur, ut eos aliis prodant, itaque te perdant, vel in discrimen adducant; si amici hodie sunt, cras fieri possunt inimici, et inter amicos quoque rara est fides, rarior prudentia, rarissimum secretum. Vir ergo prudens dicat cum *Isaia* cap. *xxiv*, vers. 16: « Secretum meum mihi. » Si enim tu tuum secretum tibi proprium et intimum tacere et celare nequivisti, quomodo spes alium de tuo, id est alieno, id facturum? quod ergo alios vis tacere, ipse prior taceto; silentium quod ab aliis exigis, tibi prior impera. Unde: « Si est tibi delictum, noli denudare, » *q. d.* Si quod delictum occulte perpetrasti, noli illud etiam amico denudare, quia ille illud aliis narrabit, itaque tibi periculum famæ, vel etiam vitæ, ut a iudice vel a parte læsa morte plectaris, creabit. Præmittit hoc iis quæ dicit de cavenda detractio, quia qui propria delicta silere nequit, quomodo silebit aliena? Ut ergo aliena sileat, discat primo silere propria. Præclare *Seneca* in

Proverbiis: « Quod tacitum esse vis, inquit, nemini dixeris, quia non poteris ab alio silentium exigere, si tibi ipse non præstas. »

Secundo, *q. d.* Noli cuilibet passim narrare sensus tuos, id est, quid in animo sentias de aliorum moribus, dictis, factis, scriptis, etc.; et si in cognitione tua est aliquod alterius delictum, noli illud aliis denudare. Hunc sensum exigunt Græca *Complutensium*, *amico et inimico* (id est, apud amicum et inimicum) *ne narres vitas alienas, et si non est tibi delictum* (id est, si sine delicto potes tacere, si scilicet non teneris ex officio aut charitate illud revelare), *non reveles*. Hinc et quidam Latini *co-* dices legunt, *si non est tibi delictum, noli denudare*, scilicet sensum tuum, sive quod scis et sentis de alieno proximi peccato; *Tigurina* clare, *nec apud amicum nec apud inimicum vitas alienas enunties; et si non redundat in te peccatum* (*Vatablus*, *si potes absque peccato facere*), *ne detegas*; *Syrus*, *in amico et inimico ne mentiaris; et si habes peccata, deprecare super ea, et in æternum non accusabis quempiam*.

Hanc gnomen elegantî columbæ et corvi apolo- Apolo-
gus se-
cretarii. logo oculis subjicit *Cyrillus*, lib. I *Apologorum moralium*, cap. *xx*, cujus titulus: *Uni tantum delectissimo, si necesse fuerit, pectus trade*. « *Corvus*, inquit, cum ruminaret intra se, cui sui cordis interdum posset communicare secretum, columbâ talia cogitantem aspiciens accessit ad eum, dicens: Quid est quod tanta meditatione cogitas, frater mi? Cui ille: Meditor certe modo (*Eccle.* 1, 15), quod stultorum infinitus est numerus; et sapientum valde parvus. Quippe cogitatus ipsius cordis est intimus: nam qui revelat quod cogitat, is cor demonstrat. Quænam igitur es, ut dem et tradam tibi cor meum, charissimam vitam meam, occultissimam medullam, profundissimam radicem meam? Secretum meum mihi, quia cor meum mihi. Tunc columba, talibus auditis, adjunxit: Scio certe quod callidus es natura tua. Ob hoc ergo, frater, rogo me instruas, quibus, si necesse fuerit, secure possim tradere cor meum. Mox ille libenter annuens: Aut uni, inquit, aut nulli. Electissima enim et rara fides est; ex hac autem fit cordi vas pretiosissimum, in quo salubriter conditur: quia nec a seipso unquam dissolvitur, neque a ferro, vel alia re frangitur, nec mira ejus soliditas a subtilissimo caloris aculeo pertransitur. » Id ipsum deinde similitudine venæ, radicis et medullæ confirmat, dicens: « Quippe venam atream natura telluris in abditis condit, et radicem vivificam in terram profundiorum solida planta mittit, et medulla charissima in ossibus delitescit. Nimirum os sapientum in cordibus ipsorum. Quoniam hoc eis est charissimum, et ut sic celatum foret, et a corde possessum, in arca vitæ positum absconderunt. Sed cor stultorum in ore ipsorum, quia in eis os cordis tenet dominium, quoniam apertum pectus habentes et cor parvipendentes. *levi* cura hoc

levius evomunt : quamobrem citissime pereunt, quia pro nihilo vitæ venam effundunt. Quibus diligenter notatis, illa sic docta discessit. »

Vers. 9.

9. AUDIET ENIM TE, ET CUSTODIET TE, ET QUASI DEFENDENS PECCATUM ODIET TE, ET SIC ADERIT TIBI SEMPER. — Græca brevius, *audivit enim te, et observabit te, et in tempore odiet te.* Juxta priorem expositionem priori versu datam sensus est, q. d. Amicus vel inimicus, cui narras tuos sensus et delicta, attente audiet te quasi fideliter tibi consulturus, et custodiet, id est, notabit et observabit te, ac tuos sensus et delicta simulabit se defendere et excusare ; interius autem odiet te, et sic aderit tibi. Rabanus et Eusebius Pontifex, *epist. 2, legit, et sic semper adhærebit tibi, q. d. Semper adhærebit tibi quasi amicus, revera autem inimicus, cum opportunum erit, gravissime nociturus tibi.* Ita Palacius : « Quotidiana, ait, experientia, glossa hujus textus est : si criminis conscium habes, illum semper vereris, et, ne traducat, pertimescis. » Huc spectat proverbium Arabicum, *Cent. 1, num. 60* : « Possidet animam suam (vel dominatur animo suo) qui occultat secretum suum ab amico suo. » Et num. 59 : « Pectus tuum dilata secreto tuo, » hoc est, « ne detege id ulli. »

ofon A
52 409
1172 713

Juxta secundam expositionem sensus erit similis, q. d. Si delicta alterius reveles alteri, ille libenter audiet te, et arridens observabit omnia tua dicta, ac videbitur tuum hoc detractionis et revelationis secreti peccatum defendere vel excusare, dicens te justas revelandi causas habere, et se gaudere quod illi hæc narres, quibus ipse ad suum et aliorum commodum usus sit ; revera autem te ut detractorem et secreti revelatorem odio prosequetur, et sic aderit tibi semper, simulans se amicum, sed revera inimicus, uti suo tempore declarabit. Quocirca verum est illud : « Detractor multos sui experitur detractores, et talione punitur. » Unde Syrus vertit, *non accusabis quemquam, ne qui te audit odio habeat te, et tanquam maleficum reputet te* ; et Tigurina, *audiet enim ille, et aversabitur te, perque occasionem suam in te odium ostendet.* Huic secundæ expositioni favet quoque id quod sequitur : « Audisti verbum, » etc. Posset quoque *defendens peccatum* sic accipi, q. d. Audiens volet peccatum amici, quod tu detrahendo accusas, defendere, ideoque te ejus accusatorem odiet, tibi que jugiter obstrepet. Idque magis congruum videtur.

sim 2

Vers. 10.

10. AUDISTI VERBUM ADVERSUS PROXIMUM TUUM ? COEMORIATUR IN TE, FIDENS QUONIAM NON TE DIRUMPET. — Sunt nonnulli qui, cum quid mali, præsertim occulti, audierunt, illudque mente gerunt, perinde ac venenum sumpsissent, non possunt illud apud se continere, quasi crepaturi ; unde illud evomunt, et in occurrentes narrando effundunt. Hi sunt similes Eliu dicenti, *Job. xxxii, 18* : « Plenus sum enim sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi

mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit. » Hos redarguit Siracides, dicens : « Audisti malum de proximo, retine illud, retine et sepeli in corde tuo. Ita facies, ut ibi moriatur ; quare non est quod timeas illo te dirumpendum : verbum enim malum non est toxicum, quod faciat te crepare ; aut si in te est toxicum, silendo et obliviscendo desinet esse toxicum. Sicut enim toxici vis et malignitas in aqua dissolvitur et emoritur, itaque ipsum quasi mortuum vires nocendi perdit ac nulli nocet : ita prorsus malum quod audisti, si in mente tua contines, ibi morietur, ac proinde nec tibi nec cuiquam alteri noxam ullam inferet. Unde Syrus, *audisti verbum ? moriatur in corde tuo, et non (erit) sicut sagitta quæ perforabit te et egredietur* ; Tigurina, *sermonem adversus alterum audisti ? fac tecum commoriatur, et securus esto, ut qui non dirumpat te.* Huc facit proverbium Arabicum, *Centur. 1, num. 13* : « Ne jace lapidem in velificantem, id est, ne jace verbum in hominem absentem, quia Dominus ejus audit illud, » q. d. Nemo potest maledicentia hominem absentem lædere, non magis quam lapide ferire eum qui in medio mari velificat ; tamen Deus malitiam linguæ maledicæ ulciscitur.

Moraliter, discce hic quam prava, quamque vitanda et execranda sit detractio. « Non erit criminator, nec susurro in populo, » ait Dominus, *Levit. cap. xix, 16.* Et Paulus susurrone et detractores, Deo odibiles vocat *Rom. 1, vers. 29.* Audi S. Hieronymum, *epist. 2 ad Nepotianum* : « Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Parce a detractione linguæ, custodi sermones tuos, et scito quia per cuncta quæ de aliis loqueris, tua conscientia judicaris ; et in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas ; » et S. Chrysostomum, *homil. 3 ad Populum* : « Fugiamus, dilecti, fugiamus detractiones, docti quod est totum satanicum barathrum insidiarum ejus hæc inessio ; ut enim nostra negligamus, et graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem diabolus duxit. » Paucis autem interjectis : « Si quis (inquit) te prætereunte stercus commoveat, hoc facientem convitio affice : hoc fac et erga detractores ; non enim commotum stercus sic foetore cartilaginem percellit, sicut aliena peccata prodita animos contristare et perturbare solent. » Eleganter vero S. Bernardus, *serm. 3 de Dedicat. Eccles.*, detractores proditoribus similes esse ait : « Proditores (inquit) fiunt, quicumque in hoc Domini castrum inimicos ejus introducere moliantur, quales sunt utique detractores Deo odibiles qui discordias seminant, et nutriunt scandala inter fratres : sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum fieri diabolo manifestum est ; » et *serm. 24 in Cantica* : « Detrahentem (inquit David) secreto proximo suo, hunc persequeris ; nec mirum, cum id præcipue vitium charitatem, quæ Deus est, et quidem cæteris acrius

Moral.
de malo
detrac-
tionis.

impugnare et persequi cognoscatur. Omnis enim qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate. Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is cui detrahit veniat in contemptum, vel odium ipsis apud quos detrahit? Porro, quam hoc vitium sit atrox, eleganter ostendit S. Chrysostomus supra: « Detrahens (inquit), fraternas carnes comedisti, proximi carnem memordisti. Unde et Paulus terruit, dicens: Si autem vos invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledixisti, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis teipsum et alios plures. » Et inferius citans Siracidem: « Hoc vero (ait) magis ridiculum est, quod, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem et adjurant, ne cuiquam alteri amplius dicat, hinc declarantes quod rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum ut nemini dicat rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat. Sed jucundum detrahere: imo jucundum non detrahere. Detrahens enim continenter anxius est, suspicatur et timet, linguam suam mandit, tremens ne forte aliis enuntiatum verbum magnum sibi periculum afferat. Audisti sermonem, ait Sapiens, adversus proximum tuum? commoriatur in te, confidens quoniam non te dirumpet. Quid est, commoriatur in te? Exstingue ipsum, defodito, ne exire permittas, oblivioni trade. Sed maxime stude nec alios quidem dicentes tolerare; quod si quando susceperis, infodito, interime dictum, oblivioni trade, ut his qui non audierint similis fias, et cum multa pace et securitate præsentem transigas vitam. »

Vers. 11. 11. A FACIE VERBI PARTURIT FATUUS, TANQUAM GEMITUS (perperam aliqui legunt, *genitus*) PARTUS INFANTIS. — Græce, *propter sermonem dolet stultus, ut propter infantem quæ parit*, et parturiendo cruciatur et gemit, *q. d.* Stultus mox ut quid novi et occulti mali de proximo audierit, videtur cruciari et parturire ut secretum quod audivit, ceu fœtum qui ventrem ejus gravat, effundat; imo hoc studium ejus et labor enuntiandi, videtur esse quasi gemitus mulieris parturientis in dolore partus, *q. d.* Stultus ita sollicitus, ita anxius est, ita desiderat et gestit effundere secretum, sicut parturiens fœtum. Sicut enim hæc non quiescit a dolore et gemitu, donec pariat infantem: sic nec stultus pruriens se continere potest, donec oculum de proximo malum effutiat. Unde Tigurina, *præ sermone parturiet stultus, ut præ fetu gravis*. S. Chrysostomus in *Psal. cxi*: « A facie infantis puerpera; » Syrus, *a conspectu verbi parturiet stultus, sicut parturit parturiens a conspectu infantis*, id est propter infantem, ut eo se exoneret, eumque effundat et in lucem edat. Nota: Pro *parturit* Græce est *ὀδύνη*, id est dolet, gemit; pro quo Complutenses legunt *ὀδύνη*, id est improperebit; sed minus apte, ideoque minus germane.

Apposite comparat stultum loquentem et parturientem secreta parturienti. *Primo*, quia secretum hoc, et sententia quælibet mente quasi alvo continetur: unde vocatur conceptus vel conceptio mentis; dum vero ore promittitur, quasi proles paritur et in lucem editur. *Secundo*, quia stultus sibi vim infert, ut secretum hoc quod tacere debebat in lucem proferat; proferre autem avet, gliscit et ardet ex mentis levitate. Idem facit parturiens fœtum enitens. *Tertio*, quia stultus importune et ante tempus suos hosce conceptus et secreta prodit et parturit; sapiens vero opportune et congruo tempore. Hanc differentiam parturitionis, sive locutionis, stulti et sapientis assignat Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*: « Quidam, inquit, ante tempus informem et moriturum fœtum pariunt, alii expletis mensibus enituntur. Est enim tempus tacendi et tempus loquendi, » *q. d.* Stulti suum mentis conceptum præpropere effutiendo, non partu, sed abortu edunt; sapientes vero justo tempore expleto, integram vividamque proferunt mentis sententiam. Porro medicis docent mulieres minus sapientes et stultas facile pati abortum, eo quod suis appetitibus agantur, eaque indiscrete comedant et faciant quæ abortum procurant, eo quod ratione suos appetitus frenare nequeant. Similiter et stultus, quia stultum loquendi prurium regere nequit, hinc intempestive sua proloquitur, suasque sententias quasi imperfectos et immaturos fœtus per abortum edit, ideoque parturit; parturire enim est per violentiam, quæ maxima est in abortu, parere. Sapiens vero diu mente conceptam retinet sententiam, eamque lente efformat et maturat, ut plane formatam et maturam opportuno tempore in lucem edat. Stultus ergo secretum quasi prolem se discerpentem et sagittam ferientem existimat, quam nisi pariat, nisi e corde eximat, quiescere nequaquam potest. E contra prudens animus quod secretum est continet, et ab amicissimis, imo et a fratribus sibi dilectis, abscondit. Sic faciebat S. Ambrosius, qui de se et de fratre suo Satyro loquens, orat. *de Obitu Satyri*, hæc ait: « Cum omnia nobis essent nostra communia, individuus spiritus, individuus affectus, solum tamen commune non erat secretum amicorum; non quod conferendi periculum vereremur, sed ut tenendi servaremus fidem. Sane, si consilio pendenda res esset, erat semper commune consilium, non semper commune secretum. »

12. SAGITTA INFIXA FEMORI CARNIS (ita Romana; Vers. 12. alii cum Rabano legunt, *canis*; sed eodem redit sensus; canis enim quia acuti tactus, impatiens et biliosus, illico sagittam excutit), SIC VERBUM IN CORDE STULTI. — Stultum comparavit parturienti, hic comparat eum vulnerato, *q. d.* Sicut qui sagitta vulneratus est in femore, cujus caro est tenera, ideoque valde sensibilis, illico sagittam evellit, nec quiescit donec eam excutiat: sic et stultus

Carrus est quasi parturientis oblogias.

12. 12.

Significat si vulneratus est cur?

verbum quod audivit, perinde ac si sagitta esset quæ eum vulnerasset, illico ex corde evellit, et ore effluit, nec quiescit donec illud propalet et in publicum efferat. Ita Syrus, *sicut sagitta quæ vulnerat coram viri, sic verbum in visceribus stulti*; alii, *quale telum infixum in femore, talis est oratio in ventre stulti*; Tigurina, *quod telum agit defixum in femore corporis, hoc sermo in stulti pectore*. Unde Apuleius, lib. *De Dogmate Platonis*: « Qui leves sunt, ait, futiles et importuni locutores, quique verbis humidis et lapsantibus defluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, et non in pectore. » Id provenit ex debilitate cerebri et iudicii, ac ex animo angusto et minuto, qui proximi defectum, etiam minimum, non fert, nec capit. Inde enim fit, ut stultus perpetuo secretum quod audivit phantasia verset et reverteret, eaque versatione se affligat et cruciet; unde, ut hac afflictione se liberet, illud effutit et enuntiat: perinde ac melancholici, dum quid tristemente volvunt quod eos affligit, ut eo se liberent, illud amicis enuntiant. Idem faciunt scrupulosi, et quivis afflictus; sed hi, si sapiunt, non nisi viris discretis et secretis, qui mederi et consolari possunt, quales

sunt confessarii virique spirituales, illud communicant; stultus vero quibuslibet, ac præsertim sui similibus, indiscretis, loquacibus, et rimarum plenis, sua enuntiat. Unde Plutarchus in *Moral.* de revelatore secreti ait: « Totus transluet, totus effluit, et nullo cogente, veluti si questione (in equuleo et tortura) interrogatus esset, arcana omnia manifestat. » Apposite detractionem comparat sagittationi, ac rem detractionem proditam sagittæ, quia, ut ait S. Bernardus, sermone *de Triplici custodia, manus, lingue et cordis*: « Numquid non est vipera lingua detractoris? ferocissima plane, nimirum quæ lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profecto et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus; gladius equidem anceps, imo triplex est lingua detractoris. » Favet etymon sagittæ. « Sagitta enim dicitur a sagaci jactu, id est veloci ictu; pennis enim fertur quasi avis, ut celeriter mors percurrat ad hominem, » ait S. Isidorus, lib. XVIII *Origin.* cap. VIII. Talis est detractio et secreti proditio.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE CORREPTIONE.

Vers. 13. 13. CORRIPE AMICUM, NE FORTE NON INTELEXERIT, ET DICAT: NON FECI; AUT, SI FECERIT, NE ITERUM ADDAT FACERE. — Est occupatio. Ne quis enim ex eo quod dixit silendum esse proximi peccatum quod quis audivit, inferat: ergo sinendus est proximus peccare, et peccatum impune grassari permittendum, præoccupat, *q. d.* Ita serva secretum, ut aliis illud non enunties; ipsum tamen qui peccavit secreto corripe, tum ut ejus salutem consulas, tum ut Dei offensam et injuriam sarcias et impedias, tum ut scandalum ex proximi peccato, si in eo pergat, nasciturum avertas; mali enim remedium non est detractio, sed correctio. Dicit ergo: Cum quid mali audis spargi de amico, eum mone de sinistro rumore, qui de eo circumfertur, ne forte ipse se excuset, et dicat se de hoc rumore nil intellexisse, addatque se nil tale fecisse, ac proinde se esse innocentem; ut innocentiam hanc suam probet, itaque famæ consulat, ac rumorem falsum de se sparsum, ac scandalum inde natum vel nasciturum sopiet et extinguat. Sin peccatum de quo infamatur revera fecerit, amice a te correptus penitebit, illudque corriget et emendabit. Nominat *amicum*, quia apud inimicum et incognitum parvus sæpe est fructus correptionis, et parva spes emendationis; imo inimicus monitus ab inimico exasperatur et pejora perpetrat, quia suspicatur ex odio proficisci correptionem, utpote ab hoste prolatam, ac

proinde eam non ut medicinam, sed ut vindictam accipit, quam novo scelere, quasi vindicta, ulcisci et compensare destinat.

Secundo, per *amicum* accipe quemvis proximum: hic enim Hebr. vocatur *רֵעַ*, *rea*, id est amicus, quia nobis natura conjunctus et unitus est in uno parente Adamo, et magis per gratiam unitus est in uno Salvatore Christo. Vide dicta *Lect.* XII, vers. 18. Unde quem hoc versu vocat amicum, vers. seq. et vers. 17 vocat proximum. Græca concisius sic habent, *corripe vel argue amicum, ne forte non fecerit; aut, si quid fecerit, ne iterum addat*; Tigurina, *objurga amicum, si quid forte minus faciat; sin fecerit, ne porro pergat facere*. Porro Eusebius Pontifex, *epist.* 2, legit: « Corripe amicum, ne forte, cum fecerit injuriam, et non intellexerit, dicat: Non feci. » Quod ego velut glossam nostri textus accipio, inquit Palacius, *q. d.* Corripe, id est, conveni amicum, quærens rationem ab eo cur te vel alios injuria affecerit. Nam ille, si non intellexit quod te injuria lædebat, respondebit: Non feci tibi injuriam, non intellexi injuriam tibi fieri; ac ita satisfaciet animo tuo. Si vero intellexit, admonitus a te, non iterum eam admittet. Huic sensui accedit Syrus, *reprehende amicum tuum, ne faciat quod malum est; si fecerit, ne addat*.

Porro, amicus amico jure amicitiae debet correptionem. Nam, ut ait Seneca in *Proverb.*: « Amici

vitia si feras, facis tua.» Rationem da S. Gregorius Nazianzenus in *Tetrastichis*.

Oculus, ait, tuetur cætera, at se non videt:

Ergo monitorem rebus in cunctis habe.

Manus requirit nam manum, pes pedem.

Quocirca S. Bernardus, serm. de *Nativitate S. Joannis*: «Arguere, ait, et increpare interdum necesse est. Ferveat ergo in nobis amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimulet nemo; nemo dicat: Numquid ego sum custos fratris mei? Est enim consentire, silere rem cum arguere possis: et scimus, quia similis poena facientes manet et consentientes.»

Hinc patet, qualis debeat esse correptio proximi in peccatum lapsi. Correptio enim has conditiones et dotes habeat oportet. *Primo*, procedat ex amore, non ex odio; ex compassione, non ex ira et indignatione. Corripiens ergo non hostem induat, sed medicum agat, qui contra morbum pugnat, non contra infirmum, sed pro infirmo, ut eum morbo liberet. S. Augustinus, vel quisquis est auctor lib. *De Amicitia*, cap. xxvii: «Quidquid suadendum est, inquit, ab amico facilius recipiatur, et facilius refineatur; cujus magna debet esse in suadendo auctoritas, cum nec fides ei dubia, nec adulatio sit suspecta. Non solum arguendi sunt amici, sed, si opus fuerit, objurgandi. Objurgandus est amicus si veritatem aspernatur, et obsequiis atque blanditiis in crimen appellatur. Sed monitio acerbitate, objurgatio contumelia careat.» S. Ambrosius: «Si quid vitii, ait, in amico deprehenderit, corripe occulte; si te non audierit, corripe palam. Sunt enim bonæ correptiones, et plerumque meliores quam tacita amicitia; et si lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quam adulantium oscula. Debet amicus amico compati et condescendere, vitium ejus suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, et sermo dejectior. Intercipiant verba lacrymæ, ut non solum videat, sed et sentiat correptionem ex amore, et non ex rancore procedere.»

Secundo, sit lenis, et dulcedine vultus ac verborum condiantur, sicut pilulæ amaræ saccharo oblinuntur, juxta illud Pauli *Galat.* cap. vi, 1: «Hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.» Vide ibi dicta. «Si enim, ait Rabanus, disciplina adhibetur cum modestia, generat in eis (qui corripiuntur) de præteritis malis verecundiam atque poenitentiam, de futuris vero exhibet diligentiam atque cautelam.»

Tertio, fiat tempestive et opportune, quando corripiendus rite dispositus est ad correptionem amice excipiendam; quare non fiat in flagrante delicto et fervente ira: qui enim iratum corripit, similis est homini canem per aures tenenti. Sicut enim canis aures excutiens mordebit tenen-

tem, ita iratus corripientem invadet verbis asperis, et subinde verberibus. Hoc est quod monet Salomon, *Proverb.* xxv, vers. 11: «Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Inauris aurea, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem.»

Porro correptio est quasi pharmacum, quod hominem passione ebrium, et quasi dementatum deebriat, sibi que et menti restituit. Quare sapiens qui corripitur, agnoscens suam esse culpam, in se convertet iram, cum stultus eam convertat in corripientem; quinimo sapiens correptus, etsi initio dolorem sentiat, mox correptionis fructum agnoscens, corripienti gratias aget, juxta illud *Proverb.* cap. xxviii, vers. 23: «Qui corripit hominem, gratiam inveniet apud eum;» Septuaginta, *gratias reportabit*. Pulchra similitudine citharæ id declarat Ivo Carnotensis, serm. 26: «Qui citharam, inquit, pulsat, certe singulas chordas intendendo cum temperat, ingratum earum sonum audire solet; at postea cum omnes tensæ et modulatæ sunt ad harmoniam, suavissimum concentum eidem reddunt. Ita etiam doctor aut Prælati, cum subditos suos vel auditores coercent, et quasi laxas citharæ chordas ad virtutis et honestatis observantiam intendit, absurda solet probra et convitia ab eisdem audire; et posteaquam omnes ad honestatem et charitatem modulati sunt, ejusdem aures laude et gratiarum actione demulcent, quas prius vituperando violaverant.»

14. CORRIPE PROXIMUM, NE FORTE NON DIXERIT Vers. 14 (quod temere, iracunde, odiose et noxie dixisse perhibetur): ET SI DIXERIT, NE FORTE ITERET. — Monuit corripiendum esse amicum qui opere peccavit; hic pari modo monet corripiendum esse eum qui verbo et sermone deliquit, sive in Deum, sive in proximum. «Ne forte,» id est *nequando*, ait Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 270, ubi similia hujus phrasid dat exempla. Idem sanxere philosophi. Cicero, lib. *De Amicitia*: «Monendi, ait, amici sæpe sunt, et objurgandi.» Et paulo post: «Monere et moneri proprium est veræ amicitiae.» Quare Clemens Alexandrinus in *Pædagog.* lib. I, cap. viii: «Benevolentiae, inquit, non odii signum est reprehendere.» S. Ambrosius, lib. III *De Officiis*, cap. xvi: «Amicus, inquit, si quid in amico vitii congoverit, debet corripere occulte: si non audierit, corripere palam.» Et S. Chrysostomus, *homil. De ferendis reprehensionibus*, tom. III: «Gratiam habeo his qui me arguunt, amici enim sunt: sive juste, sive injuste arguant, non exprobrare volunt, sed emendare.» Hæc ille. Rationem dat Salomon *Proverb.* xv, 4, dicens: «Lingua placabilis, lignum vitæ;» quia, sicut fructus arboris vitæ hominem servasset incorruptum et immortalem: sic et correptio lenis et amica affert incorruptionem et vitam immortalem.

15. CORRIPE AMICUM: SÆPE ENIM FIT COMMISSIO, — Vers. 15

Monere et moneri proprium amicitiae.

id est, perpetratio peccati, tum ab amico, quæ ab altero amico *corripienda* est; tum ab obtractore, qui amico detrahit, et falsa affingit, sæpe fit perpetratio calumniæ, ut habet Græcus, *g. d.* Admone amicum ut se purget de infamia, quia sæpe committitur calumnia, qua falso aliquis infamatur. Unde sequitur: «Et non omni verbo credas;» Græca Complutensium, *corripe amicum; sæpe enim fit calumnia vana, et non omni sermone credat cor tuum;* Tigurina, *inrepa, inquam, amicum; etenim existit sæpe calumnia; quare non cuius sermonis fidem adhibeas;* Syrus, *corripe amicum, quia aliquoties est accusator vanus; et non omni verbo credat cor tuum.*

Fortè Noster pro *διαβολή*, id est *calumnia*, legit *συμβολή*, id est *commissio*, hoc est collatio. Sic enim cap. xviii, vers. 32, *συμβολή* vertit *commissio*. Sensus ergo erit: Corripe amicum, ut culpam de qua infamatur emendet, si eam admisit; purget, si non admisit: nam crebra est commissio, id est symbolum et collatio tum epulationis, tum detractionis. In symposiis enim cæterisque hominum congressibus, crebro detrahitur famæ absentium, atque tunc quisque quasi in symbolo confert suum iudicium et dicerium; in qua varietate multæ a multis committuntur calumniæ. Alii enim joci causa fingunt crimina, alii lapsu linguæ et loquacitate, aut ex studio placendi, et timore displicendi sociis detrahentibus, iis applaudunt, adduntque auctarium crescenti mendacio; alii malevolentis causa amplificanti; alii addunt circumstantias, quæ rem probabilem faciant; alii similia dicta vel facta sinistre interpretantes in eandem rem detorquent. Hinc subdit: «Et non omni verbo credas.» Ita S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. xiv, mystice explicans illud *Proverb.* xiiii, vers. 21: «Quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur: Potibus, inquit, vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ sese inebriant. Symbolum vero dare est, sicut unusquisque solet pro arte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre.» Et paulo ante: «Carnes ad vescendum conferre, est in colloctione derogationis vicissim proximorum vitia dicere.» Ecce hoc est uti epulationis, ita detractionis symbolum; hæc obtractationis *commissio*, id est, collatio et quasi commessatio. Unde liquet hanc *συμβολή* reipsa esse *διαβολή*, scilicet hanc commissionem et collationem reipsa esse calumniam.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus de suo quædragenerarii jejunii silentio scribens: «Linguam, inquit, non homo, non nix, non torrens, non scopulus, non denique res ulla coercere potest: nihil est quod a linguæ sagitta tutum atque immune sit; quam quisquis domuerit, is nimirum sapientiæ arcem et principatum tenet.» Vide S. Augustinum, lib. X *Confessionum*, cap. xxxvii, et serm. 3 in *Mattheum*: «Domat, inquit, homo feram, non domat linguam; domat leonem, et non

refrenat sermonem; domat ipse, et non domat seipsum; domat quod timebat, et ut se domet non timet quod timere debebat.»

16 et 17. EST QUI LABITUR LINGUA, SED NON EX ANIMO. Vers. 16 et 17. QUIS EST ENIM QUI NON DELIQUERIT IN LINGUA SUA? — Dicit hoc partim ad ostendendum quam facile lapsu linguæ peccetur, tum ab amico, ea de causa leniter corripiendo; tum a detractoribus, præsertim apud socios in symbolis, quibus proinde non facile est credendum, uti jam dixit. Nam non ex animo idem est quod non ex studio, non ex proposito, non ex mente et intentione detrahendi, calumniandi, aut quomodolibet lædendi. Syrus posteriorem partem legit sine interrogatione, ideoque contrarium dat sensum: *Est enim, inquit, qui peccat, et non ex corde; et est qui offendit, et non lingua sua.* Verum Latina et Græca lectio uti communior, ita aptior est et verior, ad quam proinde allusit S. Jacobus, cap. iii, 2: «Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir,» etc. Vide ibi dicta.

17 et 18. CORRIPE PROXIMUM ANTEQUAM COMMNERIS. Vers. 17 et 18. ET DA LOCUM TIMORI ALTISSIMI. — Sunt qui accusato delicto, præsertim si contra se admissum sit, aut esse dicatur, illico excandescunt, fremunt, minantur, et in verba aspera, quin et verbera præcipiti ira prosiliunt, itaque ordinem prudentiæ et charitatis invertunt. Hos monet Siracides, ut prius leniter corripiant proximum (sic enim ipse se probabiliter vel purgabit, vel emendabit), itaque in se dent «locum timori» Dei, qui hanc lenitatem in corripiendo proximo præcipit. Ejus ergo timore, amore et reverentiâ leniter corripiamus, tum ut a nobis spiritum iræ, impatientiæ et vindictæ excludamus; tum ut proximum hac lenitate emendemus; tum ut Dei lenitatem et benevolentiam emereamus, ne ipse nostrâ acerbitati et duritiæ offensus permittat nos in similia, imo graviora labi, juxta illud *Galat.* vi, 1: «Hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris;» ut tuo lapsu discas tentatis compati. Unde Tigurina vertit, *amicum (vel proximum) tuum redargue priusquam mineris, itaque posita da locum legi Altissimi;* Syrus prorsus alio abit, *corripe, ait, malum, quia multos fraudavit, et non ad omne verbum credas ei.*

Græci codices Complutenses et cæteri multa hic addunt, nimirum, *timor Domini initium assumptionis; sapientia autem ab eo dilectionem præstat (vel acquirit); cognitio mandatorum Domini, disciplina vitæ; qui autem faciunt quæ placita sunt ei, immortalitatis arborem decerpunt (vel arbore fruuntur): quæ Tigurina ita clare vertit, religio Domini primus, quo ad eum recipiariis, gradus est; anorem vero demeretur sapientia. Cognitio præceptorum Domini, eruditio vitæ est: et qui morem gerunt, ipsi fructum carpent immortalitatis; alii, timor Domini principium est doctrinæ, etc., et rectius, ut idem sit quod illud crebro usurpatum in Scriptura a Siracide, Salomone et Davide: «Princi-*

pium sapientiae timor Domini. » Nam Hebr. *massa*, Graece *ἄρμα*, vel *πρόληψις*, Latine *assumptio*, vocatur doctrina et prophetia, quia hanc discipulus vel Propheta assumit et accipit a magistro, vel Deo, uti dixit *Isaia* cap. XIII, 1. Verum editio a Caraffa et Romanis emendata, haec omnia praeterit et omittit.

QUIA OMNIS SAPIENTIA TIMOR DEI, ET IN ILLA TIMERE DEUM, ET IN OMNI SAPIENTIA DISPOSITIO LEGIS. — Dat causam cur dandus sit locus timori et legi Altissimi, iubenti proximum corripi leniter, non minaciter, quia scilicet timor Dei est omnis, id est tota, plenaque et perfecta sapientia, practica scilicet; et in illa sapientia vicissim omne quod docetur, est timere Deum, quia omnis sapientia est dispositio legis, id est, disponit sapientem ad legem observandam, et ad ea faciendum quae lex agenda disponit et ordinat. Unde Graece est, *in omni sapientia noineis*, id est *factio*, vel *effectio legis*, q. d. Omnis sapientia consistit in praxi, id est, in effectione legis, puta in executione eorum quae lex iubet et sancit. Ex quo concludit, proximum corripiendum esse leniter in timore Dei, quia sine illo nihil sapienter et rite fit, et quidquid sapienter fit, in timore Dei fiat oportet, quia sapientia et timor Dei ita connexa sunt, ut, ubi est sapientia, ibi sit et timor Dei, ac vice versa; unde qui caret uno, caret et altero, utpote ejus comite individuo. Minus ergo genuine aliqui sic expopunt: « In omni sapientia dispositio legis, » q. d. Lex Dei disposita est in omni sapientia, id est, sapientissime.

Graeci Complutenses et caeteri rursus nonnulla addunt: sic enim habent, *omnis sapientia timor Domini est, et in omni sapientia factio vel executio legis, et cognitio omnipotentiae ipsius*. Syrus breviter et clare vertit, *verba prophetiae et omnis sapientia timor Domini, et timor Dei ipse est sapientia; Tigurina, religio Domini summa est sapientia, in omni sapientia praestatio legis, summæque ejus potentiae cognitio*. Porro Graeci Complutenses, Tigurina et caeteri post hunc versum istum subjungunt, *si servus dicat domino suo: Quod tibi videtur (vel placet) non faciam: si idem postea faciat, offendit altorem suum, vel nutrientem se*. Verum merito eum delent codices Romae emendati, aequae ac Syrus: videntur enim hoc loco impertinentia, ac proinde a sciolo aliquo infarta.

Siracides de more occasione data libens, imo studio, digreditur ad encomium timoris Dei: in eo enim sitam esse docet veram et perfectam sapientiam. Praeclare S. Gregorius Nazianzenus in *Distich.*: « Curabis, inquit, ut solas divinitatis opes tibi compares, mundumque universum araneorum telis similem semper arbitreris. Caetera omnia quae possident homines, aliena ab hac vita sunt. Nam si vere dicendum est, sola virtus vita dicenda est. Venite igitur (omnibus verbum inclamat) ad Trinitatis cognitionem, properate. »

Vers. 19. 19. ET NON EST SAPIENTIA, NEQUITIE DISCIPLINA:

ET NON EST COGITATUS PECCATORUM, PRUDENTIA. — Vocula et est causalis, significans quia, more Hebraeo. Probat enim quod omnis sapientia sit timor Dei, et dispositio sive executio legis, a contrario, quia scilicet « nequitiae disciplina, » id est, cognitio et ars nequitiam astute et maligne exercendi, quam norunt et exercent politici et mundani, « non est » vera « prudentia. » Unde concludendum reliquit, sapientiam duntaxat esse justorum, qui timent Deum, ejusque legem exsequuntur. Hunc esse sensum liquet ex Graeco, *non est sapientia, nequitiae scientia: et non est, ubi consilium peccatorum, prudentia; Syrus, non est sapiens qui malus, et non est consilium peccatorum quod prudens*. Minus recte ergo Lyranus et Dionysius legunt: « Et non est cogitatus bonus peccatorum prudentia; » id tamen verum et congruum habet sensum, q. d. Peccatorum prudentia nil cogitat boni, ac proinde non est prudentia, sed imprudentia; nec bonitas, sed malitia.

20. EST NEQUITIA, ET IN IPSA EXSECRATIO: ET EST INSIPIENS QUI MINUITUR SAPIENTIA. — Ita legendum cum Romanis. Probat, aut potius explicat, nequitiae disciplinam, sive scientiam, non esse veram sapientiam, q. d. Est, inquam, nequitia, sive callida malitia; sed in ipsa est execratio, quia nequitia plena est rebus execrandis, ideoque omnes prohi eam execrantur ob calliditatem malignitati sociatam; at vero non pari modo execrantur insipientiam, id est ignorantiam, et defectum sapientiae. Est enim insipiens qui minuitur sapientia, cui scilicet deest prudentia: hic non errat ex nequitia et malitia, sed ex insipientia et ignorantia, ac proinde potius compassione et instructione, quam execratione dignus censetur. Graeca habent, *est νεωπία*. (unus codex habet *νεωπία*, id est *astutia, versutia*), id est *nequitia, et ipsa abominatio: et est insipiens qui minuitur sapientia*. Syrus, *est astutia quae creat peccata, et est fatuus qui non habet peccata: est amens qui evadit peccata, et est prudentior qui peccat*. Porro hunc versum et praecedentem connectit, clareque vertit Tigurina, hoc modo, *scientia malitiae non est scientia, nec consilium scelerosorum cum prudentia conjunctum est; sed malitia est, atque adeo ipsa execratio, stultitiaque vacua sapientiae*. Huic sententiae Siracides accinit illa Ben-Sira *alphabeto* 2, littera *Zain*. « Ne esto ex iis, qui raram aut densam barbam habent, » q. d. Noli esse ex eorum numero qui vel perverse callidi, vel aperte stulti sunt; nam rara barba, callidus est: densa barba, stultus, ait R. Aquila in *Gemara*. Sententiam hanc explicat Siracides, dum subdit:

21. MELIOR EST HOMO, QUI MINUITUR SAPIENTIA, ET DEFICIENS SENSU IN TIMORE (Graece *ἐμφοβος*, id est *timoratus*), QUAM QUI ABUNDAT SENSU, ET TRANSGREDITER LEGEM ALTISSIMI, — q. d. Melior est insipiens, non practice, id est improbus; sed speculative, id est simplex, rudis, indoctus, cui exigua est sapientia et sensus, id est prudentia, sed tamen

præditus est timore Dei, quam qui abundat sensu, id est, sapientia et prudentia, sed violat legem Dei, q. d. Melior est indoctus sed probus, quam doctus sed improbus. Prudentem ergo vocat peritum et scientem, quoad intellectum, non quoad affectum, qui scilicet clare intelligit quid bonum, quid malum, sed id ipsum non amat, nec opere exsequitur. Hic enim eo gravius punietur, quo doctior fuerit, quia doctrina sua non est usus, sed abusus, juxta illud: « Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi, » *Jacobi cap. iv, 17.* Quare melior et felicior, ideoque

præditus est timore Dei, quam qui abundat sensu, id est, sapientia et prudentia, sed violat legem Dei, q. d. Melior est indoctus sed probus, quam doctus sed improbus. Prudentem ergo vocat peritum et scientem, quoad intellectum, non quoad affectum, qui scilicet clare intelligit quid bonum, quid malum, sed id ipsum non amat, nec opere exsequitur. Hic enim eo gravius punietur, quo doctior fuerit, quia doctrina sua non est usus, sed abusus, juxta illud: « Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi, » *Jacobi cap. iv, 17.* Quare melior et felicior, ideoque

practice sapientior, est rusticus indoctus, sed Dei legem servans, quam Aristoteles, Plato, aut etiam Doctor Theologus, sed legem Dei violans: illi enim gloria cælestis, huic infernalis gehenna paratur. Hunc sensum clare indicant Græca, *melior est stupidus in intellectu cum timore, quam abundans in prudentia et transgrediens legem.* Complutenses enim legunt *προσούμενος*, id est *stupidus*; alii legunt *ελαττώμενος*, id est, *qui minuitur*. Unde Tigurina vertit, *potior est religiosus cui deficit sapientia, quam abundans prudentia violator legis Altissimi.*

Rusticus probus sapientior Aristotele.

QUARTA PARS CAPITIS.

DE SOLERTIA BONA, ÆQUE AC MALA, SIVE HYPOCRISI.

Vers. 22 et 23. EST SOLERTIA CERTA, ET IPSA INIQUA. ET EST QUI EMITTIT VERBUM CERTUM ENARRANS VERITATEM, — q. d. Duplex est solertia: una certa et exacta, sed iniqua; altera recta et æqua certam enarrans veritatem, et in bono consilia certa suggerens.

Παρουσία γὰρ quid? Pro solertia certa Græce est *πανουργία ἀριθείας*, id est, astutia vel calliditas diligens et exquisita, ideoque certa, quia certis mediis, quæ diligenter exquisivit, subnixæ; *πανουργίας* enim proprie significat eum qui in omnibus rebus versatus est, a *πάν* et *εργον*, quasi *ὁ πάντων ἐργῶν ἐπιτέλλων*; sed quia tales solent esse solertes et callidi, hinc hi quoque vocantur *πανουργοί*. Distinguit ergo hic duplicem solertiam, id est, astutiam et prudentiam: unam iniquam, qualis est dolus malus, fraus, hypocrisis, simulatio, fictio, malitia, quam vers. 19 vocavit disciplinam nequitiae. Alteram æquam et justam, quæ post maturam rei indaginem sermone certo enarrat veritatem, tam juris quam facti, tam consilii quam judicii, tam mentis propriæ quam alienæ. Ipsa enim vere et candide enarrat quid jure faciendum sit, quid reipsa ab hoc illove sit factum gestumve, quid consulto agendum sit vel omittendum: ipsa sincerum de rebus et personis omnibus fert judicium: ipsa simpliciter profert sensa mentis suæ, quid scilicet in mente gerat, quid de se aliisque sciat et sentiat. Unde Græca explicatius hanc utramque *πανουργίαν*, sive solertiam, ita describunt: « Est calliditas exquisita, eaque injusta; et est qui evertat gratiam evertendo judicium: rursus est juste judicans sapiens, » q. d. Calliditas injusta est, quæ pervertit judicium justum, inique litem vel causam adjudicando injusto, et abdicando justo, qualis est hominis perversi, qui hac ratione simul evertit gratiam tum Dei, tum hominum. Ii omnes enim eum ut iniquum judicem, vel censorem aversantur. Calliditas justa est, qua sapiens justum de rebus et personis fert judicium. Ita Tigurina, *est astutia exacto*, inquit,

et eadem injusta; et est qui gratiam juris promuntiandi pervertat, rursusque alius qui juste judicat sapiens. Syrus unam tantum astutiæ partem et speciem, scilicet iniquam, recenset: *Est, inquit, astutus, qui complacet in mentiendo, et pervertitur ad manifestandum judicium.* Porro in judicio quidem maxime cernitur utraque hæc prudentia; sed tamen eadem cernitur quoque in vera et ficta humilitate, uti vers. seq. explicat; imo cernitur in rebus omnibus. Unde S. Gregorius aureo quasi penicillo utriusque rationes, modos et actus sigillatim depingens lib. X *Moral.* cap. xvi, ita sapientiam Sanctorum a prudentia mundana discriminat: « Hæc (prudentia mundana) sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adeptæ temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At contra sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. » Utramque sapientiam ita quoque secernit S. Jacobus cap. iii, 15. « Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica, etc. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. » Vidi ibi dicta.

EST QUI NEQUITER HUMILIAT SE, ET INTERIORA EJUS PLEVA SUNT DOLO. — Hæc una est, eaque crebra et usitata *πανουργία*, id est calliditatis et prudentiæ iniquæ, species, de qua S. Bernardus, lib. IV *De Consid. ad Eugenium Pontificem*, cap. iv: « Viri callidi, inquit, et dolosi proprium esse solet, tunc prætereundere humilitatem, cum aliquid obtinere

Fictæ humilitatis.

tatis
schema.

voluerit, de qualibus dicit Scriptura: Est qui se humiliat nequiter, et interiora ejus plena sunt dolo. De vobis ipsis sumite sententiæ hujus evidens ac familiare exemplum. Quantos, quos supplices admisistis, postmodum sustinuistis graves, intolerantes, contumaces, rebelles? » Idem in *Vigil. Nativit.* serm., 6, hanc sententiam adaptat hypocritis fide Christum invocantibus: « Infelix, inquit, quisquis fide prostratus, corde rigido corpus humiliavit. Est enim qui humiliatur nequiter, interiora autem ejus plena sunt dolo. Quisquis enim necessitatem suam minus considerat, minus sentit incommoda, minus pericula pavet, minus devote confugit ad remedia certa salutis, minus affectuose se subjicit Deo, minus fidenter psallit: Domine, refugium factus es nobis. Hujus adoratio minus accepta, hujus prostratio minus verax, hujus humilitatio minus habens, hujus etiam victoriosa minus, imo et minus vivida fides. » Huic explicationi favet versio Syri, *est qui apparet veluti humilis, et tanquam animo contritus, et interiora cordis ejus plena sunt dolo.*

Ficta
humili-
tas, qua?

Sententia enim hæc cum sit generalis et verbialis, multis rebus et casibus aptari potest: Siracides tamen adaptat eam malitiosis, qui dolose se humiliant, ut data occasione gravius noceant, uti patebit vers. seq. Alii eam adaptant iis, qui se suaque accusant, seque dicunt ignavos, inutiles, peccatores, ut eo magis ab aliis laudentur. Præclare S. Bernardus, serm. 18 in *Cant.*: « Appetere de humilitate laudem humilitatis, non est virtus, sed subversio. Quid perversius, quidve indignius, ut inde velis videri melior, unde videris deterior? » Et S. Ambrosius, lib. VII, *epist.* 44: « Multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent: multi eam foris prætendunt, et intus impugnant. » Exemplum illustre fictæ humilitatis vide apud Cassianum, *Collat.* XVIII, cap. XI. Hinc infert S. Bernardus: « Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. » Porro veræ humilitatis indicium dicit S. Hieronymus *epist.* 27: « Multi humilitatis umbram, inquit, veritatem pauci sectantur. Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus, verum humilem patientia ostendit. » Nam, ut ait S. Augustinus, lib. III *Contra epist. Petiliani*: « Nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat convitantis opprobrium. » Idem, lib. *Contra Secundin. Manichæum*: « Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. »

Vers. 24
et 25.

24 et 25. ET EST QUI SE NEMUM SUBMITTIT A MULTA HUMILITATE: ET EST QUI INCLINAT FACIEM SUAM, ET FINGIT SE NON VIDERE QUOD IGNORATUM EST: ET SI AB INRECELLITATE VIRIUM VETETUR PECCARE, SI INVENERIT TEMPUS MALEFACIENDI, MALEFACIET.—Multi initio pro et est, utrobique legunt et est justus, idque accipiunt de vere justo: putant enim hic vere justo vers. seq. opponi hypocritam, qui se justum simulat, q. d. Vere justus nimis, id est, valde et pro-

funde, se humiliat. Est alter qui se fingit justum, hic inclinat faciem suam quasi avertens oculos a muliere pulchra, quam tamen ardentem concupiscat; sed hoc ab aliis ignoratur: hic si non possit ea potiri, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet, uti fecerunt senes, qui amantes Susannam, ab ea repulsi eam quasi adulteram accusarunt, *Daniel.* cap. I, 3.

Verum ex Græcis liquet hæc omnia jungenda esse cum vers. præced., et accipienda de uno et eodem, puta de hypocrita qui nequiter se humiliat, ut justus et sanctus videatur. Justus ergo utrobique hic vocatur is qui humiliando se justum simulat, qui exterius se ut justum gerit, qui apparet justus. Scriptura enim sæpe loquitur non ex rei veritate, sed ex apparentia, sive ex eo quod exterius apparet: ex hoc enim judicant homines de personis et rebus, quia S. Scriptura accommodat se usui et communi modo loquendi hominum. Hinc quia homines ex specie externa talem judicant vocantque justum, Scriptura quoque hominibus se accommodans eundem vocat justum, cum revera interius et in corde sit injustus, hypocrita et impostor. Id ita esse patet ex Græcis: nam in illis non est illud, quod in Latinis (excipio Romana) his habetur, *et est justus*; nec est *qui nimium sese submittit multa humilitate*, quod videtur additum ut explicet *qui nequiter humiliat se*. Quod addit: « Qui inclinat faciem suam, » etc., assignat modum quo quis nequiter se humiliat, et nimium se submittit. Igitur de uno eodemque hæc omnia accipienda sunt. Sensus ergo est, ut recte docet Jansenius, q. d. Est aliquando qui maligne se demittit ceram alio, cum interiora ejus plena sint dolo: nec alia ratione se demittit, quam ut minus suspectus magis nocere valeat. Est, inquam, qui justus apparet, et talis haberi vult, qui ob id multa externa demissione submittit se valde apud aliquos: hoc est, contingit esse aliquem fide justum, qui inclinat faciem suam in terram, vultuque tristi incedit, et fingit se in alienis vitis non videre, quod ignoratum est ab aliis; fingit se non curiose observare, quod alii ignorant, vel quod ignoratum homines esse cupiunt, cum interim obliquo oculo acute observet omnia, ut noceat. Quod si ob imbecillitatem virium et impotentiam statim nocere, et peccati virus quod mente gerit, exere nequat; mox ubi tempus, id est opportunitatem, malefaciendi inveniet, illam acceptabit, virtus suum exeret, malefaciet et nocebit, juxta illud Aristotelis, lib. II *Rhetor.*: « Occasione duntaxat opus improbitati. » Et illud Publii: « Malefacefe qui vult, nusquam non causam invenit. » Quare ex Græco sic clare vertas hosce tres versus, putata 23, 24, 25: *Est nequitia præditus qui demisso capite pullatus (atratus) incedit, et interiora ejus plena sunt dolo. Demittit vultum, et surdum se simulat: et ubi minime fuerit cognitus, anticipabit te (no-cendo et lædendo ex improviso): quod si defectu virium peccare prohibebitur, si opportunitatem*

nactus fuerit, tum male faciet; Tigurina, est qui prava molitur demissus malitia (Hebr. enim קרר *kadar* significat et nigrum esse, sive pullatum, et tristem sive mœstum: hic enim incedit atratus, ut patet in funere), cuius interiora dolo tota ardeant: vultum contrahens, surdumque se simulans, ubi non suspiceris, occupabit te lœdere. Quod si defectu virium peccare prohibeatur, malum dabit tibi nactus occasionem; Syrus, est qui apparet velut humilis, et tanquam animo contritus et interiora cordis ejus plena sunt dolo: est qui inclinatum habet faciem, et cogitat malum; et in loco ubi non cognoscunt eum, vocant eum justum: est qui quia non potest, impeditur a peccando; et si potest malefacere, malefaciet. Ex quibus omnibus patet hos tres versus de uno eodemque loqui, puta de hypocrita, v. g. inimico, vel alio qui offendit vel læsit, qui fecte se humiliat et dolorem simulat, ut gratiam tuam recuperet; sed ubi poterit fictionem et odium, quod mente fovet et coquit, expromet, teque vel in corpore, vel in fama, vel in bonis affliget et lædet. Tales multi sunt in aulis principum, ubi regnat ambitio, invidia et hypocrisis. Unde Palacius censet Siracidem hæc scripsisse in aula Ptolemæi regis Ægypti, vel alterius principis. In ea enim, inquit, solent esse hypocritæ ostentantes exterius humilitatem, cum interius sint dolosissimi et superbissimi.

Moraliter, hic nota quam sit sancta, grata et amabilis humilitas, utpote quam ejus adversarii, ut sancti habeantur, tanto studio induere et simulare procurant; quæque ita splendet, ut etiam ficta in pretio habeatur, et videntium oculos rapiat in sui admirationem. Porro signa quibus hanc hypocrisis detegas, et hypocrisiam agnoscas, subjicit dicens:

Vers. 26. 26. EX VISU COGNOSCITUR VIR, ET AB OCCURSU FACIÆ (id est, a facie occurrente, puta ex vultu qui in oculos incurrit) COGNOSCITUR SENSATUS. — Sic de internis animi sensibus et affectibus physiognomi, medici, jurisconsulti non absurde judicant ex delineatione temperamentoque corporis, quam appellant physiognomiam. Scripsit Delrius IV *Disquisitionis magicæ*. cap. III, *Quæst.* III et V, post Mich. Medinam II *Paranes Christianæ*. cap. II, Conradum Wimpinam *De Signis*, cap. VIII, 6, 10, 11, 12, Franciscum Valesium *De Sacra Philosophia*, cap. XXXII, et alios; necnon Pineda in cap. XXXIV *Job*, vers. 7 de arte ista conjecturali. Fundamenta prima artis esse solent ex quadam cum cæteris animalibus comparatione, vel ex moribus aliarum gentium, vel ex collatione sexus cum sexu, vel ex motu membrorum et affectionibus corporis, vel ex compositione signi cum signo, ut passionis cum passione. Simia parvos habens oculos invida est; ergo, inquit conjectores isti, etiam homo cui oculi parvi, invidus est. Æthiops pertinax est et stupidus: talis igitur, quisquis nimium fuscus est; mulier mollem et candidam ut plurimum cutem habet, estque pavida et levis: proinde vir

quoque est ejusmodi, qui candidus ac mollis; iratus fixis et immotis intuetur oculis, ideo non nictantes oculi sunt, uti Hippocrates dixit, iracundi. Invidus itaque est iracundus tristisque. Talia plura recenset Aristoteles in *Physiognomicis*.

27. AMICTUS CORPORIS, ET RISUS DENTIUM, ET INGRESSUS HOMINIS ENUNTIANT DE ILLO. — Alii vertunt, indicant mores ejus; Tigurina vertit, ut aspectu quisque cognoscitur, ita ex vultu objectu cordatus intelligitur: sinus cujusque habitus, ac rictum deducens risio (Vatablus, dentium per risum nudatio), incessusque hominis, quomodo sit animatus, arguunt. Paulo aliter Syrus, est quem ab aspectu faciei discernit vir, et e contrario cognoscit eum sapiens. Aspectus viri demonstrat opera ejus, et incessus hominis testificatur de eo. Sensus ergo est: Sicut ex visu et aspectu quisque dignoscitur et cognoscitur, sic pariter ex vultu animi arcana cognoscas. Esto enim hypocrita vultum aliquanto tempore fingat et componat, ut hypocrisis dissimulet, ac humilitatem, æquitatem et justitiam simulet, tamen vir prudens et cordatus, si attentius et diutius eum inspiciat, hypocrisis deprehendet. Vultus enim est imago cordis, oculi sunt speculum mentis, ac mens suos affectus, præsertim tumultuantes et turbidos, diu celare nequit, quin etiam nescia et sui oblita, quasi ex improvviso per vultum et oculos eos prodat. Sicut enim vultus et oculi indicant mentis lætitiã vel tristitiã, amorem vel odium: sic et candorem, vel fictionem et hypocrisis.

Siracides ergo dat hic quatuor indicia, per quæ quasi per fenestras mentem cujusque introspicias, ac latentem virtutem vel vitium, simplicitatem vel hypocrisis deprehendas.

Primum clarissimum est, facies et vultus, præsertim oculi: profert enim et prodit se natura per oculos. Cum enim lucerna corporis sit oculus, quid mirum si lucerna quale sit corpus enuntiet? Sic vir trux primo suo occurso, oculisque trucibus videtur terrorem incutere: pius vero suo occurso exhilarat. Sicut enim sapientia et sanctitas lucet in vultu sapientis et sancti, *Eccle.* cap. VIII, vers. 1, ita insipientia et nequitia caligat in vultu insipientis et nequam.

Præclare S. Ambrosius, lib. *De Elia*, cap. X: « Vultus, inquit, quidam cogitationis arbiter, et tacitus cordis interpret: facies index plerumque est conscientie, et tacitus sermo mentis. » D. Augustinus in *Regul. ad servos Dei*, quæ in fine I tomi habetur: « Nec dicatis, inquit, vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. »

Sic physice Aristoteles in *Physiognom.* cap. IX et X, docet complexionem, indolem, passiones et affectiones animi maxime cerni in vultu, naso, oculis et fronte: « Qui, inquit, nasum extremum crassum habent, insensibiles sunt; referuntur ad sues. Qui nasum extremum acutum habent, sæpe

Quatuor specula mentis.

Primum est facies.

12. 2157

irascibiles sunt; referuntur ad canes. Qui autem nasum habent rotundum et obtusum, magnanimi; referuntur ad leones. Qui vero nasum extremum subtilem habent; aviculares. Quibus incurvus a fronte mox deducitur, inverecundi sunt; referuntur ad corvos. Qui autem aquilinum habent, articulatum a fronte, magnanimi; referuntur ad aquilam. Qui autem nasum concavum habent, et quæ ante frontem rotunda, circumferentiam autem superiorem erectam, luxuriosi; referuntur ad cervos. Quibus autem nares sunt apertæ, iracundi; referuntur ad passionem quæ sit in ira. » Post nasum subdit physiognomiam faciei, aitque : « Qui faciem cornosam habent, segnes; referuntur ad boves. Qui faciem macilentam habent, accurati. Qui autem carnosam, timidi; referuntur ad asinos etcervos. Qui valde parvam habent, pusillanimi; referuntur ad catum et ad simiam. Quibus facies magna, tardi; referuntur ad asinos et boves. Quoniam vero neque parvam, neque magnam oportet esse, medius habitus utique horum erit conveniens. Quibus autem facies videtur parum decens, illiberales sunt; referuntur ad apparentem convenientiam. » Et paulo inferius : « Qui frontem parvam habent, indisciplinabiles; referuntur ad sues. Qui autem magnam valde, tardi; referuntur ad boves. Qui vero rotundam habent, insensati; referuntur ad asinos. Qui autem minus planam habent, sagaces; referuntur ad canes. Qui vero quadrangulum commensuratum fronti habent, magnanimi; referuntur ad leones. Qui autem collectam habent, adultores : id autem in canibus videbit quispiam, quoniam canes cum blandiuntur, contractam habent frontem. Qui autem nebulosam, audaces; referuntur ad taurum et leonem : quoniam autem nebulosus habitus audaciam significat, tranquillus autem adulationem, medius habitus utique horum bene decenter se habet. Qui tristem habent frontem, mœsti; quoniam mœsti tristem habent faciem. Qui autem demissam, lamentabundi, quia lugentes demissæ sunt frontis. Qui habent magnum caput, sensati; referuntur ad canes. Qui vero parvum, insensati; referuntur ad habentes unguis curvos. » Hæc signa sunt conjecturæ, ideoque non planè certæ, nec semper veræ. Unde ferunt Socratem ex vultu visum impudicissimum et male moratum; sed arte et virtute vicit ille naturam.

Secundum e-
t. u-
s.

Secundum est amictus sive vestitus : superbus enim amictus internam superbiam, fictus fictionem, dissolutus dissolutionem, levis levitatem, gravis gravitatem, luxuriosus luxuriam mentis indicat et repræsentat. Quare S. Augustinus epist. 73 ad Possidium : « Verus, ait, ornatus, maxime Christianorum et Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt. » Ita ex vultu, vestitu habituque dissoluti Juliani Apbstatæ, occultam ejus impietatem deprehendit

S. Gregorius Nazianzenus, uti ipse refert orat. 2 in Julianum, his verbis : « Neque enim mihi boni quidquam significare atque minari videbantur, cervix non firma, humeri subsultantes, et ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens et vagus furioseque intuens, pedes instabiles et titubantes, nasus contumeliam et contemptum spirans, risus petulantes et effrenati. » Et post alia id genus dissoluti animi argumenta : « Ut hæc, inquit, consexi, statim prolocutus sum : Quale malum Romanorum terra nutrit! » Sic de Julio Cæsare adhuc puero dixere Syllani : « Cavete puerum male præinctum. » Et Augustus Cæsar, teste Suetonio : « Vestitus, inquit, insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ. »

Tertium est, risus : risus enim candidus et planus, cor candidum, planum et apertum; risus vero contractus, contortus, sardonius, dentatus, cor contractum, contortum, dolosum, dentatum et odio imbutum significat. Nam per gestum corporis demonstratur qualitas voluntatis, ait Rabanus. Unde S. Augustinus lib. I Contra Academ. cap. v : « Ratio, ait, præveniat risum tuum : nihil enim est fœdus risu irrisione dignissimo. » Idem, serm. 97 De Temp. : « Risus, ait, frequens corrumpit mores, relaxat quoque nervos rigoris abstrictos : severus autem vultus custos est disciplinæ. »

Quartum est incessus : celer enim et præceps præcipitationem, tardus tarditatem, levis levitatem, superbus superbiam, iratus iram, fictus fictionem mentis indicat. Nam, ut ait Beda in Proverbiis : « Gressu corporis habitus demonstratur mentis. » Et S. Bernardus De Modo bene vivendi, cap. ix : « Sit, ait, in ingressu tuo simplicitas, in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiae, nihil insolentiae, nihil levitatis in incessu tuo appareat; animus enim in gestu corporis apparet, gestus signum est mentis. » Quin et Aristoteles in Physiogn. cap. vi : « Modesti, ait, signa sunt : in motibus tardus, et loquens tarde, vox tarda, et plena spiritu, ac mitis; oculus hilaris, neque valde apertus, neque omnino clausus. Iracundi : in motibus præceps, rubens corpore, color sanguineus. Animosi : fronte ingens, in motibus tardus et remissus, non præceps. Tristis : figura humilis, et motibus remissus, rugosa facies, macri oculi. Cinædi : oculus contractus, motus manuum supini et dissoluti, ambulationes duplices, hæc quidem circumclinantis, alia vero lumbos tenentis, et oculorum circumspersiones : qualis fuit Dionysius sophista. »

Audi S. Ambrosium lib. I Officior. cap. xviii : « Est, ait, in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior, et constantior, et purior, et maturior aestimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Meministis, filii, quemdam amicam,

Tertium
est, ri-
sus.

Quar-
tum, est
inces-
sus.

Geome-

cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solum tamen in clerum a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedecret. Alterum quoque cum in clero reperissem, jussisse me ne unquam praeiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi cum redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi: nec fefellit sententia; uterque enim ab Ecclesia recessit, ut qualis incessu probebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne iudicium subiret, sacerdotem se nostrum negavit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quaedam scurrarum percursantium. » Et inferius: « Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex; nihil enim fucatum placet, motum natura informat. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet, ut ars desit, non desit correctio. » Quin et Cicero, lib. III *De Oratore*: « Omnis motus animi, inquit, summum quendam a natura habet vultum, et sonum, et gestum: animi imago vultus est. Nam hæc una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes et communicationes possit efficere. »

Imperfecti igitur a perfectis modestia continua et constanti discernuntur. Imperfecti enim etsi ad tempus mores component, aut potius compositos fingant coram aliis, tamen cum fuerint ineptæ curæ fingendi modestiam oblitii, illico ineptis corporis motibus, et animi perturbatione se produnt, instar simiæ, quæ docta saltare subsilit; sed si projicias nuces, illico omnis decori saltus oblita, ad cupidas nuces advolat. Perfecti autem sui ipsorum curam gerunt continuam, ac per eam modestiæ habitum, quasi vestem pulcherrimam induunt: quare hæc modestia, lenitas ac membrorum compositio effectus est et signum internæ tranquillitatis et sanctitatis, per eamque interna animi virtus puritasque cernitur et dignoscitur: sicut ignem ex fumo, hominem ex loquela, et solem ex splendore cognoscimus.

Hanc gnomen apologo similem, festivo auris et oculi apologo illustrat Cyrillus lib. I *Apologorum moralium*, cap. xxv, cujus titulus: *In cunctis esto compositus*. « Audiens auris, inquit, quod oculum palpebra tueretur, acuto puncta inadvertentiæ aculeo, naturæ dixit: Ut quid oculum tam volatiliū palpebrarum munitione vallasti, me autem ita nudam undique reliquisti? Certe haud minori me in pretio habere debueras: quoniam si delectat lux, amplius tamen verbum; et si visus instruit, magis auditus. Cui illa utriusque arte sapientiæ fabricatrix, patienter respondit: Si videres situm membrorum, et luci rationis attenderes, magis me gratiarum actione quam querelarum questione pulsares. Nonne locata es

in profundis, et osse et cartilagine circumquaque munita? Foris tamen lucerna corporis est oculus, et ob hoc provide pellicula velocitatis armatur, et propter hoc ostiolo clauditur, ut etiam volenti nihil indecens spargente radio presentetur. Ad hæc auris adjunxit: Cur etiam mihi repulsionis januam non dedisti? an forte minus putasti noxiam esse corruptionem auriculæ, quam pupillæ? Ad quod natura respondit: Non audisti quod primum aditum morti, venenoso serpentis eloquio percepto, effrenatus mulieris auditus exhibuit? Directe siquidem usque ad cor penetrat verbum, quoniam aperta semita stillat ex aure in pectoris rimas. Tunc natura subjunxit: Nimirum sicut non est intuendum nisi quod licet, sic nec audiendum est nisi quod decet. Nonne te ad hoc in medio capite posui? » Unde concludit, et quasi axioma præstantissimum assignat: « Omnis enim sapientis actus debet esse decenti regularitate compositus. Et quemadmodum in cœlestibus sapientia gubernatis, nullus sine regula motus cernitur: ita et in membris animæ prudenti subjectis, nullus apparere debet actus inordinatus. Unde sapientis est incessus gravis, aspectus pudicus, auditus honestus, status recollectus, habitus aptus. Maxime tamen decor prudentiæ debet relucere in facie, quoniam cornu sapientiæ luminosum (*Exodi* cap. xxxiv, 30) gloriificavit Mosaicum vultum. Igitur quia homo debet esse velox ad audiendum, tibi non addidi januam; nec tamen, cum necesse fuerit, opportuna deest rationis arta clausura. Quibus auditis, mox placata auris quievit. »

28. EST CORREPTIO MENDAX IN IRA CONTUMELIOSI; Vers. 28. ET EST JUDICUM, QUOD NON PROBATUR ESSE BONUM; ET EST TACENS, ET IPSE EST PRUDENS. — Redit ad doctrinam correptionis traditam vers. 13 et seq.; quia enim dixerat illam faciendam esse sapienter et sincere, hinc ad sapientiam, sinceritatem et hypocrisis digressionem fecit vers. 18 hucusque: nunc ergo ad institutam correptionem regreditur. Unde Tigurina hæc connectit sequentibus, hincque inchoat cap. xx, nam cap. xx ceptam hic materiam prosequitur. Græca de more concisa sic habent, *est correptio quæ non est decora vel pulchra, et est tacens et ipse prudens*; Tigurina clare, *est cum minime speciosa sit reprehensio, et est cum quis sapienter taceat*; alii, *est reprehensio quæ indecora sit, et est qui taceat, idemque prudens sit*; Syrus alio abit, *est paupertas*, inquit, *quæ non convenit, et est qui tacet, et ipse est sapiens*. S. Chrysostomus in *Psal. xl*, legit: « Est reprehensio, et non est tempestitiva; et est tacens aliquis, qui invenitur sapiens. » Noster modum et tempus addit, quo indecora sit reprehensio, nimirum quando procedit ex ira et animo convitiandi et exprobrandi; hæc enim ira facit, ut correptio sit iracunda, contumeliosa et mendax: ipsa enim efficit ut corripiens multa effutiat falsa, ac proinde mendacia per contumeliam impingat ei

Actus
sit semper
compositus.

Apologus
cui et au-
ris.

quem per iram corripit. Ira enim pervertit iudicium, ut temere ex levibus signis sinistre iudicet, arguatque et damnet factum proximi quasi pravam, cum revera tale non sit. Hoc est quod subdit: « Et est iudicium, quod non probatur esse bonum, » quia, scilicet, ex ira præcipitatum, ideoque temerarium, et sæpe falsum ac mendax est. Quare in ira silendum est, et omittenda correctio, donec ira deferveat, redeatque mentis pax et serenitas, indeque veritas, verumque de rebus iudicium. Ergo qui in ira tacet, ipse est prudens.

Porro, correctio ex ira, non tantum indecora est audienti et excipienti; sed eadem indecora et pudenda est dicenti et corripienti: qua eum non ratione, sed ira agi, iræque mancipium esse ostendit, ideoque alios etiam subditos non emendat, sed inverecundiores et proterviores efficit. Scitum est illud Platonis ad servum delinquentem: « Castigarem te, nisi iratus essem. » Idem alio tempore servi castigationem amico demandavit, dicens: « Ego castigare nequeo, quia iratus sum. »

Rursum sicut bilis flava, id est ira, sic et bilis atra, puta melancholia, pervertit iudicium, facitque ut non sit bonum, sincerum et verum; sed malum, turbidum et falsum: per illam enim quasi per nubem atram res apparet et cernitur atra, obscura, tetra, etsi in se sit candida, limpida, clara. Hinc melancholicis omnia videntur atra, tristia, sinistra, prava, periculosa, perdita: quare Aristoteles in *Politicis*, negat melancholicos adhibendos in consilium, aut eligendos in consiliarios. Melancholici ergo, quia nimis sunt pusillanimes, tristes et suspicaces, parum apti sunt ad correptionem: sileant ergo, si sapiunt, et prudentes haberi volunt. Plura hac de re dixi cap. viii, vers. 13.

Moral de
silencio.

Denique prudens est tacens, qui scilicet tacet, cum putat correptionem et locutionem fore inutilem et infructuosam. Ita sepior ille apud Joannem Moschum in *Prato spirit.* cap. clvi, a Philosophis rogatus, hoc vitæ sanctæ et sapientis dogma dedit: « Sit philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem, silentioque et quieti vos assuefacere. » Alter rogatus: « Usquequo ser-

vandum est silentium, » respondit: « Usquequo interrogaris. In omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis. » Sapienter Aeneas Sylvius, (qui postea creatus Pontifex Pius II nuncupatus est) lib. I *De Gestis Alfonsi*: « Sapientius, inquit, est agere quam fari. Numquam enim nisi cum necessitas postulat sapiens loquitur, neque vana nec nisi ponderata profert: stulto autem nullum est tempus sermoni elausum, facileque verba jactitat, qui sine consideratione profatur. » Acute et facete S. Gregorius Nazianzenus, epist. I ad *Celeusium*, ejus silentium carpentem, respondit per apologum hirundinum garrularum, cygnos taciturnitatis accusantium. Cygni enim hirundinibus responderunt: « Si non multum, nec apud multos canimus: at illud certe in nobis pulcherrimum est, quod modum in canendo tenemus, nec musicam tumultibus permiscemus. Vos autem et in aedes admissas, homines fastidiunt, et canentes aversantur, idque optimo jure, quippe quæ nec excisa quidem lingua silere queatis; verum ipsæ amissam vocem et calamitatem vestram lugentes, quasi alta aut profusa lingua præditæ, et canoræ, loquaciores sitis. Intellige quid loquar, ait Pindarus; ac si taciturnitatem meam tua loquitandi facilitate præstantiorem esse inveneris, silentium nostrum inepte carpere atque insectari desine. Alioqui proverbium dicam, ut verissimum, ita etiam brevissimum: Tum cantant cygni, cum graculi tacuerint. » Huc pertinent disticha Catonis, sive illius prisce Censorii, sive potius recentioris cujuscumque, qui Catonis nomen assumens, prisce illius mores et sensa carmine expresserit: hæc enim disticha inter opera prisce non inveniuntur, ac simpliciori stylo conscripta sunt, nec latinitatem illius ævi, Censoriique elegantiam æquant. Disticha sic se habent:

Perspicio tecum tacitus, quid quisque loquatur.
Sermo hominum mores et celat et indicat idem.

Huc facit illud Senecæ in *Proverbiis*: « Libentius audias quam loquaris. Tacere qui nescit, nescit loqui. » Et illud Pindari in *Nemæis*, ode 5: « Non omnis veritas exacta patefaciens faciem utilis est; sed scire tacere est sæpe sapientissimum. »

CAPUT VINGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præced. vers. ult. tria dixit: primo, correptionem non esse faciendam in ira; secundo, esse iudicium quod non probatur esse bonum; tertio, esse tacentem qui sit prudens. Hæc tria ordine hic prosequitur: primum, vers. 1; secundum, vers. 2 et 3; tertium, vers. 5. Unde pergit agere de vitiis et virtutibus linguæ. Quocirca, vers. 9 et seq., agit de fatuis fatuorum sermonibus æque ac donis, eosque opponit sapientibus sapientum dictis et factis. Denique, vers. 23, agit de nimia et noxia verecundia, dedecore mendacii, sapientia quæ sese promittit et exehit placendo magnatibus, ideoque vetat in iudicio ænia et dona.

1. Quam bonum est arguere quam irasci, et confitentem in oratione non prohibere!

2. Concupiscentia spadonis devirginabit juvenulam : 3. sic qui facit per vim iudicium iniquum. 4. Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum. 5. Est tacens, qui invenitur sapiens : et est odibilis, qui procax est ad loquendum. 6. Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens sciens tempus aptum. 7. Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. 8. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam : et qui potestatem sibi sumit injuste, odietur. 9. Est processio in malis viro indisciplinato, et est inventio in detrimentum. 10. Est datum, quod non est utile : et est datum, cujus retributio duplex. 11. Est propter gloriam minoratio : et est qui ab humilitate levabit caput. 12. Est qui multa redimat modico pretio, et restituens ea in septuplum. 13. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit : gratiæ autem fatuorum effundentur. 14. Datus insipientia non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplices sunt; 15. exigua dabit, et multa improperebit : et apertio oris illius inflammatio est. 16. Hodie fœneratur quis, et cras expetit : odibilis est homo hujusmodi. 17. Fatuo non erit amicus, et non erit gratia bonis illius. 18. Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties, et quanti irridebunt eum? 19. Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit, similiter et quod non erat habendum. 20. Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pavimento cadens : sic casus malorum festinanter veniet. 21. Homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit. 22. Ex ore fatui reprohabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo. 23. Est qui vetatur peccare præ inopia, et in requie sua stimulabitur. 24. Est qui perdet animam suam præ confusione, et ab imprudenti persona perdet eam : personæ autem acceptione perdet se. 25. Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis. 26. Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit. 27. Potior fur quam assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt. 28. Mores hominum mendacium sine honore : et confusio illorum cum ipsis sine intermissione. 29. Sapiens in verbis producet seipsum, et homo prudens placebit magnatis. 30. Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum : et qui operatur justitiam, ipse exaltabitur : qui vero placet magnatis, effugiet iniquitatem. 31. Xenia et dona excæcant oculos iudicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. 32. Sapientia absconsa et thesaurus invisus : quæ utilitas in utrisque? 33. Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. QUAM BONUM EST ARGUERE, QUAM IRASCI, ET CONFITENTEM IN ORATIONE NON PROHIBERE! — Prosequitur materiam de correptione, quam cœpit, vel potius cœptam vers. 13 cap. præced. resumpsit ibid. vers. ult., ubi dixit iratum non debere corripere, sed tacere. Unde hic infert satius esse corripere prudenter et mansuete eum qui te vel alios offendit, quam ei irasci; sic enim correptus culpam agnoscat et confitebitur, itaque offenso satisfaciet, eumque confessione culpæ et petitione veniæ sibi reconciliabit. Dicit ergo : « Quam bonum, » etc. *q. d.* O quanto melius est corripere proximum vel in se, vel in alios peccantem, quam

ei irasci occulte (ut habent Græca Complutensium), et sic consequenter confitentem peccata sua in oratione non prohibere, sed potius ad id corripiendo inducere! Est enim *liptote*, quia minus dicitur et plus significatur : scilicet, per *non prohibere*, significatur inducere et impellere. Ita Lyranus. Qui enim ex charitate suaviter peccantem corripit, impellit eum ut peccatum suum confiteatur in oratione, id est, in confessione culpæ, et deprecatione veniæ, sive ea fiat homini offenso, sive Deo. Paulo aliter Jansenius, *q. d.* Bonum est corripienti, eum qui correptus confitetur peccatum suum simul cum oratione veniæ, non prohi-

bere a se vel a venia, sed statim ad reconcilia-
tionem et veniam admittere. Sic enim cessabit
corripientis ira, et correpti culpa; per cujus con-
fessionem pariter cessabit utriusque offensa, imo
vertetur in mutuam reconciliationem. Græca habent,
quam bonum est arguere, quam irasci! et *ἀπολογούμενος*
(perperam aliqui legunt contra-
rio sensu ἀπολογούμενος), id est *qui vicissim confi-
tetur* (qui scilicet respondens correptioni fatetur
culpam), *prohibetur a diminutione*, id est, ab im-
minente sibi damno. Unde clare vertit Tigurina,
*quanto honestius est reprehendere quam alere indigna-
tionem! nam qui fatetur quid, protegetur a detri-
mento.* Syrus prorsus abit alio, non est gratia ei,
inquit, *qui corripuit iniquum, et laudatur aliquis
unde non convenit ei laudari.* Aliter quoque Raba-
nus: «*Confitentem, inquit, in oratione noli prohi-
bere, quia non est ille prohibendus qui confitetur
Deo in oratione sua, et laudat ipsum in ore suo;
sed instruendus ut rectæ fidei et bonorum operum
concordiam adhibeat: quia non est speciosa laus
in ore peccatoris, sed corde creditur ad justitiam;
ore autem confessio fit ad salutem. Proinde Pro-
pheta dicit: Benedic, anima mea, Domino, et om-
nia interiora mea nomen sanctum ejus. Et alibi:
Elevatio (inquit) manuum mearum sacrificium
vesperinum.*»

2 et 3. CONUPISCENTIA SPADONIS DEVIRGINABIT JU-
VENCULAM: SIC QUI FACIT PER VIM JUDICIUM INIQUUM. —
Spectat hæc gnome id quod dixit cap. præced.
vers. ult.: «*Est judicium quod non probatur esse
bonum,*» ac alludit ad spadones seu eunuchos, qui-
bus, utpote natura vel arte excisis et impotentibus
ad generationem, custodiendæ tradebantur vir-
gines et conjuges: hi enim acti stimulis con-
cupiscentiæ et libidinis, virginibus suæ fidei
commissis turpiter abutebantur, eisque florem
virginitatis per stuprum adimebant. Dicit ergo:
«*Uti spadones aliqui impuri, esto vi generandi
privati, non tamen omnino vi seminandi aut con-
cupiscendi spoliati, virgines sibi concreditas vi-
tiant: ita judices iniqui, sive privati, sive publici,
justitiam (quam veteres ut virginem pingebant)
per injustas et violentas sententias vitiant et con-
stuprant.*» Unde Tigurina vertit, *qualis est spadonis
puellam vitandi libido, talis est qui per vim exercet
judicia; Syrus desiderat eunuchus concumbere cum
virgine, ita qui facit judicium per vim.* Multi enim
spadones peccant per turpia desideria, cum ad
actum venerem omnino sint inhabiles et impo-
tentes; sed nonnulli, ut dixi, ad eum aliqua ex
parte habiles et potentes sunt.

Nota: Veteres justitiam pingebant quasi virgine-
m (quam Astræam, quasi Cœlitem vocabant),
libram manu una tenentem ad æquilibrium, al-
tera gladium; virginem, ut significarent eam de-
bere esse integram et incorruptam. Libra signi-
ficabant eam debere jus utriusque partis exacto
examine librare, et cuique juris æquilibrium assi-
gnare, ut bonis præmia pro meritis, malis poenas

Justitia
pingitur
virgo,
car?

pro demeritis geometrica proportione distribuat.
Ense representabant vindictam, quam justitia in
reos exercet. Addit Pierius, *Hieroglyph.* 42, cap. LXI,
ei appinxisse duas mulieres, quæ captivæ ab ea
traherentur: unam quæ fractum enses manu
prætendebat, alteram quæ conto innitebatur, ut
duo vitia extrema a justitia domita representarent,
ac ex utriusque medio virtutem ipsam astruerent:
per fractum scilicet enses severitatem nimiam
retusam cohibitamque intelligentes, per contum
lentorem nimium abdicatum, quo judicia plus
æquo producebantur. Inde enim dicta cunctatio,
quæ retardationem significat. Lenti vero sunt,
qui nullo quantumvis atroci scelere concitantur,
neque publicis neque privatis injuriis commo-
ventur. Vide Giraldum *De Diis gentium*, syn-
tagm. 1, pag. 28.

Hinc et Chrysippus apud Gellium, lib. XIV, cap. IV:
«*Imaginem justitiæ fieri solitam, ait, forma atque filo virginali, aspectu vehementi
et formidabili, luminibus oculorum acris; ne-
que humilem, neque atrocem, sed reverendæ
cujusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem
istius significatione, ait Gellius, intelligi voluit
judicem, qui justitiæ antistes est, oportere esse
gravem, sanctum, severum, incorruptum, inad-
labilem; contraque improbos nocentesque immi-
tem atque inexorabilem, rectumque et arduum
ac potentem, vi et majestate æquitatis veritatisque
terrificum.*» Et Plato, lib. XII *De Legibus*, cap. XXXIV:
«*Cavere, inquit, pro viribus debet quisquis alium
judicaturus est, ne sponte aut invitus supplicium
muletamve falso, et non merito inferat; judi-
cium enim virgo quædam pudica esse dicitur.
Pudori autem atque judicio secundum naturam
odio mendacium est.*»

Justitiæ
effigies.

Significat ergo Siracides violationem justitiæ,
utpote virginis integerrimæ, symbolicum esse
stuprum, quo et integritas justitiæ, et decor fideli
sive fidelitatis turpi et infami scelere corruppa-
tur. Judicibus enim commissa est tutela justitiæ,
sicut eunuchis commissa est custodia virginis,
ut eam integram et illibatam conservent. Quare
quam indignum contraque omne jus et fas est, a
spadone inferri vim virgini sibi commissæ, tam
indignum et infame nefas est a judice inferri vim
justitiæ sibi concredita, ut nocentes absolvat,
innocentes damnet et plectat. Quocirca Cicero,
lib. I, epist. ad Atticum, ait a Clodio injusto judice
constupratum esse judicium: «*Afflicta, inquit,
respublica est empto constupratoque judicio.*»
Porro idipsum faciunt non tantum judices in
tribunali, sed et quique particulares, qui in sym-
bolicis et symposiis, aut seorsim cum sociis de-
trahentibus proximo, ejus acta et mores inique
censent, judicant et damnant. Agitur enim hic de
correptione. Detractio ergo est constupratio jus-
titiæ, calumnia est stuprum innocentie.

4. QUAM BONUM EST CORREPTUM MANIFESTARE POEN-
TENTIAM! SIC ENIM EFFUGIES VOLUNTARIUM PECCATUM.

Vers. 4.

— Præfixit leges corripienti, ut scilicet in veritate et lenitate corripiat; nunc sancit legem ei qui corripitur, videlicet, ut non superbe se excuset, sed humiliter agnoscat culpam, de eaque doleat, ac se pœnitentem ostendat, nimirum ore confitendo in oratione, id est, in deprecatione veniæ, ut dixit vers. 1, ac opere satisfaciendo iis quos offendit vel læsit. « Sic enim effugies voluntarium peccatum. » Per pœnitentiam enim ostendes te lapsum esse per ignorantiam, incogitantiam vel infirmitatem, ac proinde ex parte involuntarium fuisse lapsum; sin impœnitens peccatum tuare, facies illud plane voluntarium, quia ostendes animi obstinationem et destinatam malitiam. Secundo, « effugies voluntarium peccatum, » quia per pœnitentiam a peccato voluntarie admissio liberaberis, ejusque culpa et pœna tibi pœnitenti a Deo condonabitur. Hic versus jam deest in Græco et Syro; in Complutensibus tamen ponitur post vers. 8.

Vera Beda in *Proverbiis*: « Initium bonorum, inquit, est confessio malorum. » Quin et Seneca in *Proverb.*: « Proximum, inquit, ad innocentiam locum tenet verecunda peccati confessio. » Nota hic vim pœnitentiæ; nullæ enim sunt tam ferreæ peccati compedes, quibus peccatum peccantem constringat, quas pœnitentia non frangat, et servum peccati non manumittat. Compunctio enim et dolor de peccato in Deum admissio, implicite est summus Dei amor: ob Dei enim amorem dolet de Dei offensa. Amor ergo Dei mensura est ac modulus doloris, et quantum in uno, tantum in utroque est ponderis. Generant enim se mutuo; nam et ex amore dolor, et vicissim ex dolore nascitur amor. Alter alterius fomentum est et incendium, nutrix et parens; si crescit unus, uterque capit augmentum; si ardet alteruter, in ambobus flamma gliscit. Animus amore ebrius eructat dolorem; et dolor vicissim amorem acuit, urit et accendit. Vide de utilitate confessionis et pœnitentiæ S. Gregorium, lib. XVIII *Moral.* cap. xi, et S. Augustinum, et Ambrosium, lib. *De Pœnitentia*. Huc facit illud Hebræorum proverbium: « Negatio peccati duplex peccatum; negatio iniquitatis duplex iniquitas; » ad verbum, « duæ iniquitates sunt, » scilicet, una perpetrata, altera defensiva. Dupliciter ergo peccat, duplicatque crimen, qui negat esse crimen quod commisit.

Vers. 5. 5. EST TACENS, QUI INVENITUR SAPIENS; ET EST ODI-
BILIS, QUI PROCAX EST AD LOQUENDUM. — Respicit ter-
tium e tribus quæ dixit cap. præced. vers. ult.,
nimirum: « Est tacens, et ipse prudens; » illud-
que hic multis prosequitur, ac docet aliquando
sapiens esse silere, insipientis vero loqui, ali-
quando vero silere signum esse insipientiæ. Unde
Græca breviter et clare sic habent, *est tacens, qui
invenitur sapiens; et est odibilis ex multa loquaci-
tate*, id est, ut Tigurina, *est qui tacendo se probet
sapiens, et est qui crebra loquacitate sit odiosus;*
alii paulo clarius, *est qui tacendo sapiens esse de-*

prehendatur; et est qui multa loquacitate odiosus sit.
S. Chrysostomus in *Psal. CXL* legit: « Qui abundat in sermone, odio habebitur. » Vulgus enim homines loquaces, quasi disertos et facundos, æstimat sapientes; taciturnos vero, quasi indisertos et elingues esse infantes et insipientes. At viri prudentes contrarium de utrisque ferunt judicium: eum enim qui opportune tacet, censent esse sapientem; eum vero qui importune garrat, censent esse insipientem. Nam, ut veritè Syrus, *est qui, quando tacet, cogitat sapiens, q. d.* Est sapiens, qui, dum tacet, cogitat sapienter quid agere, quid loqui, vel silere debeat (quanquam pro cogitat videatur legendum cogitatur; sic enim habent Græca et Latinus); *et est qui odio habetur in multitudine sermonum suorum.*

Huc spectant tria proverbia Arabica, *centuria 1*, num. 98, 99 et 100: « Taciturnitas conciliat suis amorem. Pœnitentia super silentio melior est pœnitentia super sermone (nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum, ait Cato). Taciturnitas sapientia est, sed rarus est agens eam. » Et *centuria 2*, num. 52: « Sæpe silentium est responsum. Dicitur id homini qui solvit delictum suum, absque ut loquatur quidquam, et respondet omittendo responsum. » Sic Menander: « Πολλοῖς, inquit, ἀπάντησις ἢ ἀσιωπή τυχάνει, » multis responsum est silentium. Multorum accusationes et calumniæ manifestam sæpe habent falsitatem, nec responsum aut apologiam merentur; quare ad eorum criminationes silere, sufficienter respondere, et se purgare est. Ita Christus silentio respondit Judæis, accusantibus se de affectato Judææ regno apud Pilatum. Sic « Susanna, *Daniel.* cap. viii, plus egit tacendo quam si esset locuta. Tacendo enim apud homines locuta est Deo, nec ullum majus judicium suæ castitatis invenit, quam silentium. Conscientia loquebatur ubi vox non audiebatur, nec quærebat pro se hominum judicium, quæ Domini habebat testimonium. Ab illo igitur volebat absolvi, quem sciebat nullo modo posse falli, » ait S. Ambrosius, lib. I *De Offic.* cap. iii. Denique: « Gloriosus est injuriam tacendo tolerare, quam respondendo vindicare, » ait Beda in *Proverb.*

6. EST TACENS, NON HABENS SENSUM LOQUELÆ; ET EST TACENS, SCIENS TEMPUS APTUM, — scilicet, ad loquendum. Unde aliqui legunt, *sciens tempus apti sermonis*; alii, *apti temporis, q. d.* Duplex est tacens, unus qui tacet, quia non habet quod sapienter loquatur, quia non est peritus loquendi; alter qui tacet, quia exspectat tempus opportunum loquendi; ille tacens est prudens, hic prudentior. Explicat id quod dixit: « Est tacens qui invenitur sapiens. » Duos enim casus recenset quibus sapiens sapienter tacet, *q. d.* Dixi sapientem opportune tacere. Id autem facit primo, quando non habet quod prudenter loquatur; secundo, quando loquendi non est tempus et opportunitas. Unde Græca habent, *est tacens: non enim habet responsum; et est tacens sciens tempus*; Tigurina, *alius tacet non habens quod*

Gronæ
Arabum.

Græco-
rum.

Hebræo-
rum.

Latino-
rum.

Vers. 6.

Silen-

ium
tulto est
pro sa-
pientia.
Gnomae.

respondeat, et est qui taceat sciens (peritus, gnarus) temporis loquendi et tacendi. Huc pertinet illud : « Stultus, si tacet, sapit; » quod Cleanthi tribuit Maximus cap. *De Silentio*. Et illud Senecæ in *Proverbiis* : « Taciturnitas stulto homini pro sapientia est. » Præclarius S. Chrysostomus in *Psal. cxi* : « Tunc, ait, solum loquendum est, quando quæ dicuntur plus prosunt, quam silentium. » Et S. Basilii ad filium spiritalem : « Opportuna verba, inquit, a te procedant, ut dent gratiam audientibus. » Præclare etiam Salomon *Proverb. xxv, 11* : « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. » Ubi Beda : « Hujusmodi verba, inquit, sunt mala, quia de arbore vitæ, hoc est, de Dei sapientia orta; aurea, quia charitatem menti audientium infundunt; in lectis argenteis, quia requiem præstant animabus audientium, et splendore fulgent veritatis. »

Vers. 7. 7. HOMO SAPIENS TACEBIT USQUE AD TEMPUS; LASCIVUS ACTEM ET IMPRUDENS NON SERVABUNT TEMPUS. — Magna sapientia est nosse tempus opportunum loquendi, quod est, cum loqui expedit ædificationi proximorum et gloriæ Dei; insipiens vero tempus opportunum non servat, sed loquitur quolibet tempore, licet importuno, quia quidquid in mentem venit, effluit. Unde Græca habent, *transgreditur tempus*; Tigurina, *homo sapiens tacebit donec opportunum fuerit, nugator autem et insipiens præteribit opportunitatem*; Syrus, *est qui loquitur ubi non convenit ei loqui, et vir sapiens observat tempus, et vir iniquus et arrogans non observat tempus*. Arabicus alia similitudine idipsum significat; sic enim habet, *sicut adeps non comeditur (comedi nequit) absque sale: sic verbum, si extra tempus proferatur, q. d.* Sicut adeps sine sale insulsus est, gravatque et laxat stomachum: sic verbum intempestive prolatum insulsum est, grave, molestum et nocivum. Unde Apostolus ait : « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. »

Tempus
tacendi
et lo-
quendi
quando?

Præclare S. Gregorius, III part. *Pastor.* admonit. 15 : « Sapiens, inquit, tacebit usque ad tempus, ut nimirum, cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Et rursum scriptum est : Tempus tacendi, et tempus loquendi. Discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut, cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut, cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. Quod bene Psalmista considerans, dicit : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur et clauditur. Unde et nobis caute descendum est, quatenus os discretum et congruo tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat. » Et S. Ambrosius, lib. I *De Officiis*, cap. II : « Quid autem præ cæteris, ait, debemus discere quam tacere, ut possimus loqui, ne prius me vox con-

demnet mea, quam absolvat aliena? Scriptum est enim : Ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo : ideoque tacere nosse quam loqui difficilius est. Scio namque loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo qui novit tacere. Denique sapientia Dei dixit : Dominus dedit mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat sermonem dicere. Merito ergo sapiens, qui a Domino accipit quo tempore sibi loquendum sit. Unde bene ait Scriptura : Homo sapiens tacebit usque ad tempus. Ideo Sancti Domini, qui sciebant quia vox hominis plerumque peccato adjuncta est, et initium erroris humani sermo est hominis, amabant tacere. » Idem, cap. X : « Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi non prosit loqui. Sapiens ut loquatur multa prius considerat quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est ergo et tacendi et loquendi modus; est etiam in factis modus. Pulchrum est igitur tenere mensuram officii. »

Sapienter S. Basilii, serm. *De Ascens.*, hanc tacendi et vivendi normam viris perfectionis studiosis præscribit : « Monachum, ait, decet multa intelligere, pauca loqui, oculos habere ad terram dejectos, animum ad cælum erectum, in tribulatione patientiam habere, spe gaudere, continenter orare, in omnibus gratias agere; non facile credere quæ de altero secus dicantur, nulla prava cupiditate vinctum detineri, injuriæ non meminisse, non malum pro malo reddere, injuriam accipere potius quam facere, non tædio affici in suo instituto, sed dicere : Providebam Dominum in conspectu meo semper; spiritu fervere, Deum toto corde diligere, omnia jussa exsequi, et se inutilem appellare, nil agere causa gloriæ, sed Dei causa duntaxat, ut placeat Deo. » Quocirca eleganter et apposite quidam vir sapiens Religiosum Deo per tria vota desponsum, ejusque officia et mores per avium emblemata depingit :

Turtur in oratorio, ut jugiter gemat.
Philomela in choro, ut devote canat.
Pelicanus in capitulo, ut seipsum rostro lædat.
Pavo in dormitorio, ut quiete incedat.
Grus in locutione, ut dicenda expendat.
Aquila in schola et studio, ut oculos mentis intendat.
Columba in itinere, ut lecta meditetur.
Accipiter in prædicatione, ut Christo prædam rapiat.
Passer in refectorio, ut communia comedat.

8. QUI MULTIS UTITUR VERBIS, LEDET ANIMAM SUAM : ET QUI POTESTATEM SIBI SUMIT INJUSTE, ODIETUR. — Explicata priore parte vers. 4, nunc explicat posteriorem : « Et est odibilis qui procax

Perfectionis officia.

Vers. 8.

est ad loquendum. » Hujus ergo procacitatis duas species et modos recenset : prior est, cum quis multis utitur verbis. Hic « lædet animam suam, » græce βλαβεράτα, id est, abominabilis erit, tum Deo, tum hominibus; Syrus, est qui odio habetur in multitudine sermonum suorum. Verisimile est Nostrom aliter legisse in Græco; nam ei adstipulatur Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. vi, ubi sic legit: βλαβεράτα τῆς φωνῆς αὐτοῦ, id est, abominabilem facit animam suam. Posterior est, cum quis potestatem sibi sumit injuste, cum scilicet sibi quis superbe arrogat præminentiam, et jus in alios non sibi subditos, ut velit loquendo, docendo, imperando eis dominari. Hic enim ob fastum, injustitiam et tyrannidem odietur. Unde Syrus vertit, et qui superbit, odio habebitur vita ejus. Tales sæpe sunt verbosi et multiloqui, qui soli loqui volunt, nec aliis suas interloquendi dant vices, quasi ipsi soli sapiant, velintque omnes docere. Ita Rabanus, et ex eo Glossa Interlin., qui per potestatem accipiunt magisterii dignitatem.

Multi-
loquus
peccat
multa:
Causa
prima.

Alludit ad *Proverb.* x, 19: « In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est; » Hebr. in multitudine verborum non cessabit prævaricatio. Causæ sunt, prima, quia nihil tam fluxum et labile est, quam lingua et sermo. Quare ex verbis necessariis multiplicatis labitur ad superflua, ex utilibus ad otiosa, ex veris ad falsa, ex benevolis ad malevola, ex suavis ad iracunda et rixosa.

Secunda,

Secunda, « quia in multiloquio nequaquam qui exit, sermo frutinatur: hinc imprudenter labitur, » ait S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, cap. ix.

Tertia,

Tertia, quia in multiloquio mens dissipatur in varia, quibus illiciter et inficitur; unde sui sermonisque curam quam deberet, habere nequit, vel negligit. Hanc dat S. Gregorius, part. III *Pastor.* admonit. 15: « Admonendi sunt, inquit, multiloquio vacantes, ut vigilantè aspiciant a quanto rectitudinis statu depereant, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more et circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit; et relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit,

quia per multiloquium sparsa, a secreto se intimæ considerationis excludit. »

Quarta est, quam subdit ibid. S. Gregorius: *Quarta.*

« Totam vero se insidiantis hostis vulneribus degit, quia nulla minutione custodiæ circumcludit. Unde scriptum est: Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis; et, cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto et ipsa quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Plerumque autem, quia per quosdam gradus desidiosa mens in lapsum casus impellitur, dum otiosa cavere verba negligimus, ad noxia pervenimus; ut prius loqui aliena libeat, postmodum detractionibus eorum vitam de quibus loquitur mordeat, ad extremum vero usque ad apertas linguæ contumelias erumpat. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accendantur faces odiorum, pax exstinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquii rel xare. »

Quinta est, quam dat S. Dorotheus, *doctr.* 24 *Quinta.*

De Compunctione, quia multiloquium exstinguit compunctionem et devotionem: « A multiloquio, inquit, abstine; hoc enim exstinguit cordi advenientes cogitationes rationales et cælestes. » Exhalant enim illæ ex corde, et per os apertum evanescent, sicut calor hypocausti vel furni exhalat et evanescit per ostium apertum. Unde S. Antiochus, *homil.* 102 *De Silentio*: « Inmoderata, inquit, et effrenis verborum prolatio, qua periclitatur mentis tranquillitas, non solum circa operationem spiritualem lentescere facit eam ac desiderare, sed et molestissimo dæmonii acediam mancipat illam ac dedit. Et quemadmodum exstuantis balnei fores continenter apertæ si sint, intimum calorem ocius efflant et expellunt in ea quæ sunt extrinsecus, ita etiam anima, » etc. Quocirca sapienter monet S. Anrosius, lib. I *Offic.* cap. III: « Alliga, inquit, sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, et ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. »

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA DISCRIMINAT FATUORUM ET SAPIENTUM DICTA, ÆQUE AC FACTA ET DONA.

Vers. 9.

9. EST PROCESSIO IN MALIS VIRO INDISCIPLINATO, ET EST INVENTIO IN DETRIMENTUM. — Processio est processus, profectus, successus, prosperitas; in malis, id est ad mala vergens, quasi dicas: Subinde contingit peccatorem et nequam prosperari, ut

omnia ei ex voto fluant; sed hæc ei tandem cedent in malis, id est, ad mala et noxia. Est Hebraismus et Græcismus: Hebræi enim dicunt ברוך ברה, id est in malis, pro ברוך לרה, id est ad malum; Græci εἰς ponunt pro ἐν, in malis pro in mala, ad

mala; simili modo subinde inventio, id est, res inventa, affert detrimentum, *q. d.* Prosperitas affluens quæ videtur esse felicitas, revera non semper est talis, sed ad gravia mala et damna deducit. Hunc esse sensum patet ex Græco, qui sic habet, *est εὐδαιμονία* (minus recte Complutenses legunt, *εὐδαιμονία*, id est *beneplacitum*), id est *prosperitas, in malis viro peccatori, et est inventio in diminutionem*, id est, res inventa quæ opes non auget, sed diminuat; alii, *est lucrum tendens ad egestatem*. Sic prosperitas et evectio Aman cessit ei in malum, quia fuit ei gradus ad furcam et patibulum, *Esther. vii, 10*. Sic prosperitas Jeroboam, Jehu, Achab, omniumque regum Israel, qui ex humili loco evecti sunt ad regnum, cessit eis in malum, quia omnes misere cum tota sobole trucidati sunt, ut patet *lib. IV Reg.* Sic inventio, id est, inventi thesauri inventoribus sæpe cesserunt in detrimentum, quia propter eos a furibus, vel æmulis et avaris occisi sunt; aliis vero cessere in damnum spiritale, quia propter eos animam et salutem æternam perdiderunt. Unde Palacius sic explicat: *Processio*, inquit, vocatur augmentum in opibus aut honoribus, ut illud *Genes. cap. xvi, 13*: « Ibat Isaac proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. » Est igitur sensus: Opum augmentum viro indisciplinato non est censendum in bonis, sed in malis; non enim in bonum ejus est, sed in majoris damnationis cumulum. Et similiter inventio ejus qua temporalia invenit bona, non est in profectum ejus, sed in detrimentum. Quo enim ille plus invenit, et diutius in malo perseverat, eo inventio acrius eum in inferno cremabit.

Secundo, res in malis accipi potest proprie, ut sit idem quod in malitia, in scelere. Unde Tigurina vertit, *est cum quis scelerosus in malis rebus successum consequitur, et est cum res inventa detrimentum afferat.* Hinc Lyranus hæc connectens cum præcedentibus, referensque ad eum qui potestatem sibi assumit injuste, sic explicat: « Est processio in malis, » qua quis de malo procedit in pejus, sicut ex adverso justus it de virtute in virtutem, illaque est viro indisciplinato: hic enim prius vult esse magister quam discipulus, prius docere quam discere. Et est inventio, qua talis nifitur invenire nova in detrimentum sui et aliorum, quia communiter sunt erronea quæ invenit. Hæc Lyranus.

Hæc sententia et sequentes pertinent ad varium et contrarium unius ejusdemque rei successum, ac præsertim ad prosperitatem insipientium, id est pravorum, desinentem in adversitatem et infelicitatem. Unde vers. seq. idem ostendit in donis et beneficiis, vers. 11 in honore et gloria, vers. 12 in rerum comparatione, vers. 13 in gratia verborum et factorum. Quod deinde fusius prosequitur.

VERS. 10. 10. EST DATUM, QUOD NON EST UTILE: ET EST DATUM, CUJUS RETRIBUTIO DUPLEX, — q. d. Beneficium

alteri præstitum aliquando est inutile; aliquando vero utile, utpote duplicem retributionem recipiens. Inutile est apud homines, cum ingrato confertur; utile, cum grato, qui subinde illud non simpliciter, sed duplici retributione compensat. Inutile est apud Deum, cum malo animo et pravo fine pravisque circumstantiis confertur; utile, cum bono animo, debito fine et circumstantiis impenditur: tunc enim Deus illud *duplici*, id est *multiplici, retributione* remuneratur. Rursum *duplici*, quia in præsentem dat augmentum gratiæ, et donum gloriæ in futuro, aiunt Rabanus et Lyranus. Unde Tigurina vertit, *est munus quod tibi non prosit, et est munus cujus dupla sit compensatio.*

Aliter Palacius: « Datum, » inquit, id est opes, honores et deliciae, quas Deus dat impio, non sunt ei utiles, siquidem in majorem illi penam valebunt. « Datum vero, cujus retributio duplex, » est datum pro quo Deus dans duplicem requirit compensationem. Cum enim Deus hominem dono aliquo egregio afficit, duo petit ab eo, nimirum gratiarum actionem, et commissi peccati penitentiam; si utrumque ei donatarius non præstet duplici pœna castigabitur, et ingratitude, et doni male collocati.

11. EST PROPTER GLORIAM MINORATIO: ET EST QUI AB HUMILITATE LEVABIT CAPUT. — Quod dixit de bono utili, jam dicit de honesto, puta de honore et gloria. Pro *minoratio* Græce est *ἐλάττωσις*, id est *diminutio, q. d.* Est qui propter gloriam et dignitatem, quam ambitiose assecutus est, vel tyrannice, imperiose, invidiose administravit, minuitur, id est privetur dignitate, opibus, et subinde vita. Minorari ergo est damnum pati, et minoratio est damni passio. Et vicissim est qui ab humilitate, id est ab humili sorte, loco et gradu ob modestiam, humilitatem et virtutes cæteras levat caput, et elevatur ad thronum regium, judicarium, episcopalem, ac ad alias dignitates. Breviter, *q. d.* Subinde gloriosi minorantur et humiliantur, ac e contrario humiles exaltantur, juxta illud Deiparæ: « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, » *Lucæ. i, 52*. Et illud Psaltis, *Psal. cxii, 7*: « Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, » uti corporaliter erexit Joseph, Saulem, Davidem, etc., spiritualiter S. Antonium, S. Hilarionem, S. Franciscum, etc., ac præ omnibus Virginem Deiparam, atque post eam humilem Michaellem, qui superbum Luciferum sede sua dejecit, eamque Dei dono occupavit. Ita Rabanus. Sic Jobi minoratio et humilitas fuit in duplicatos honores; sed maxime id verum in Christum, qui eo quod « de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput, » *Psal. cix.*

Secundo, Tigurina vertit, est qui se submittat causa gloriæ (humiles enim qui se submittant, ab omnibus amantur, laudantur et exaltantur), *rursumque qui ab humilitate erigat caput.* Vis ergo esse gloriosus? submitte et humilia te; humilitas

Humilitas exaltat, ambitio deprimat.

enim eriget caput tuum, parietque gloriam præsentem et æternam.

Vers. 12. 12. EST QUI REDIMAT MULTA MODICO PRETIO, ET RESTITUENS (Græce ἀποτιμῶν, id est exsolvens) EA IN SEPTUPLUM, — *q. d.* Avarus subinde multa parvo pretio et justo minore emit, at postea septuplo plus amittit, sive Deo vindicante hanc ejus avaritiam et injustitiam, sive hominibus rapientibus (omnes enim oderunt avarum, eumque opibus avare reconditis privare student), sive iudicibus in poenam peccati ad id condemnantibus. Septuplo, id est multo amplius; septenarius enim est symbolum multitudinis, plenitudinis et universalitatis, ut dixi cap. vii, 3, et Genes. cap. iv, vers. 15 et 24. Græce, *est qui multa parvo emat, eademque septuplo persolvat*; uti sæpe fit, cum de re empta moventur lites graves et longæ, quæ longe pluris stant quam res empta. Item, cum res empta, ab hoste vel tyranno invasa, est redimenda; cum ob eluvionem aquis est eximenda, et aggeribus vallanda; cum publica aliqua clade vastatur vel interit. Unde Tigurina, *est qui multa parvo emat, cui septies tanto amplius sit rependendum*. Syrus loco hujus sententiæ hanc habet, *est qui multa mutuo accepit tanquam pauca, et reddet illi (a quo mutuum ad usuram accepit) septuplum*. Usurarii enim per usuras iteratas, triplicatas et septuplicatas ab accipiente extorquent septuplum. Mystice Rabanus: « Multa, inquit, redimit modico pretio, qui per confessionem humilitatis ab omni mereret resolvi delicto; et restituit ea septuplum, quando in vitiis locum copiosum inserit virtutum numerum. Nam, ut ait Apostolus: Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia; ut, sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum, » Rom. cap v, 20. Sic et Lyranus. Verum hic sensus non congruit litteræ, sed potius ei contrariatur, ac proinde vere mysticus sensus esse nequit. Ut enim sit mysticus, debet litterali justa proportionem respondere, imo ei inherere, incumbere, et quasi inædificari, sicut parietes et domus inædificantur fundamentis.

Vers. 13. 13. SAPIENS IN VERBIS SEIPSUM AMABLEM FACIT: GRATILE AUTEM FATUORUM EFFUNDENTUR. — « Gratilæ, » id est verba gratiosa, facetiæ, lepores, quibus aliorum gratiam captant. *Secundo*, « gratiæ, » id est beneficia quæ gratis conferunt aliis, ut eorum gratiam sibi concilient: de iis enim in sequenti versu est sermo, *q. d.* Fatui gratiam omnem tam in dictis quam in factis faciunt ἀχαριστος, id est insulse et ingrate, ideoque eam temere instar aquæ effundunt, ejiunt et dissipant; perinde ac qui balsamum, oleum aut vinum pretiosum effundit in flumen, aut coram porcis. Unde Tigurina vertit, *lepores stultorum fluxi sunt*; Syrus vero, *sicut si projicias lapidem in avem, avolare facies eum: sic perdes dilectionem amici tui veri, et non invenies eum*. Stulti enim suis leporibus admiscent

dicteria et probra quasi lapides, quibus amicos offendunt, omnemque gratiam in odium convertunt.

Præclare S. Chrysostomus in Psal. cxi: « Non solum, inquit, oportet tacere et loqui opportune, sed etiam cum magna gratia. Quocirca dicebat Paulus, Coloss. cap. iv, vers. 6: Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos in unoquoque respondere. » Causam, quasi stimulum subdit, dicens: « Cogita hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur. Hoc est membrum, per quod imprimis reverendum, et summa veneratione dignum sacrificium suscipimus; » lingua enim excipimus sacram Synaxim. Adde linguæ membrum esse quasi facialem, qui pacem inter omnes constituat, omnes amore conglutinet, omnes gratia et dulcedine divina imbuat. Hebræorum est proverbium: « Qui infra diligitur, supra diligitur. Si vis amari a Deo in cælo, præsta te amabilem hominibus in terra; super quemque enim spiritus hominum requiescit, super eum etiam quiescit Spiritus Dei. » Quocirca Dei donum est gratia et amabilitas loquendi et persuadendi. Ita S. Mechthildis loquebatur quasi Angelus. Porro amabilitatis hujus fons et origo est amor et suavitas interna, de qua vere Beda in Proverbiis: « Sicut, inquit, plurimi cibi nihil prosunt sine sale, sic omnes virtutes sine charitate. » Charitas enim facit homines benevolos et amabiles in verbis et factis. Id videre est in sanctis et fervidis concionatoribus, ait Palacius, qui concionibus suis amorem populi et venerationem extorquent: cum ex adverso qui impii esse sciuntur, nihil aliud sua eloquentia efficiant, quam verba profundere.

Qua de causa divine S. Augustinus De Vita Christiana, tom. ix, cap. ix: « Tales, ait, convenit esse Dei cultores et servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis viderit eos, stupeat et dicat: Hi omnes sunt dii, quorum talis est conversatio. Ita se homo Dei exhibere debet et agere, ut nemo sit qui eum videre non velit, qui eum non audire desideret; nemo eum, cum viderit, non Dei esse filium credat, ut vere in eo propheticum illud impleatur: Fauces plenæ dulcedinis, et totus desiderabilis; » et cap. vi: « Christianus est, qui non nomine tantum, sed et opere in omnibus Christum imitatur, qui sanctus, innocens, incontaminatus, intactus, cujus in pectore malitia non habet locum, cujus in pectore sola pietas consistit et bonitas, qui neminem novit lædere et nocere, sed omnibus opem ferre. »

14. DATUS INSIPRENTIS NON ERIT UTILIS TIBI: OCULI ENIM EJUS SEPTEMPLICES SUNT, — *q. d.* Oculi ejus pro uno dato respiciunt et repossunt septem, vel dona, vel obsequia, quæ sibi rependi vult.

15. EXIGUA DABIT, ET MULTA IMPROPERABIT: ET APERTIO ORIS ILLIUS INFLAMMATIO EST. — *Explicit*

Sapiens in loquendo gratiosus.

quod dixit: « Gratiae autem fatuorum effundentur, » quia scilicet ejus datus, id est datum sive donum, non erit utilis accipienti, sed onerosus, primo, quia oculi ejus « septemplices, » id est, ut Græce, *multiplikes*, sunt, q. d. Multis oculorum jactibus, nictibus aliisque modis ostendet se intentum ad lucrum, ut multo plus recipiat quam dederit: loquitur enim de avaro qui unum dat ut septem, id est plura, recipiat; secundo, quia « multa improperebit, » scilicet se tibi non merenti, vel ingrato, contulisse tot et tanta numera; « et apertio oris illius inflammatio, » id est ardens cholera, « est, » q. d. Aperiendo os dure, aspere, cholericè et iracunde loquetur, quasi efflans fumos et flammam cholerae et arrogantiae, quibus te uret et cruciabit, ac ad similem choleram iramque accendet. Aliter Jansenius, q. d. Avarus, dum aperit os suum, velut flammam emittit, quia longe lateque spargit et prædicat beneficia a se collata, sicuti se flamma longe lateque spargit et diffundit. Unde Græca habent, *aperit os suum velut præco*. Significat ergo a tali non esse accipiendum beneficium, cum potius sit maleficium. Hunc sensum indicant Græca Complutensia, *donum insipientis non erit utile tibi accipienti; similiter autem et invidi* (id est avari, qui sibi et aliis usum opum invidet) *propter necessitatem ejus datum; nam oculi ejus pro uno ad recipiendum multi sunt. Parca dabit, et multa exprobrabit, et aperiet tanquam præco os suum; Tigurina, munus insipientis tibi non proderit acceptum, nec item propter ipsius importunitatem, etc.; Syrus, donum stulti non est conforme illi, quia oculi ejus positi sunt ad septuplum retributionis. Parum dat, et multum exprobrat, et aperit os suum, et loquitur quod malum est, et blaterat.*

Vers. 16. **HODIE FOENERATUR QUIS, ET CRAS EXPETIT: ODIBILIS EST HOMO HUIUSMODI.** — Quod dixit de dono, nunc dicit de mutuo, q. d. Sicut insipiens avarus est et sordidus in dando, sic et in foenerando, id est mutuando, quia hodie dabit mutuum, et cras, id est illico, illud repetet cum tua ignominia, molestia et damno: Avaritia enim non sinit eum diu re sua carere. Quare ut ei dominantem satisfaciat, nec tuam egestatem, nec honestatem, nec amicitiam curabit; sed opportune importune id quod mutuo dedit reposcet, ideoque Deo et hominibus erit odibilis. Unde Tigurina, *mutuum dabit hodie quod cras repetat; in visus Deo simul et hominibus tuis est; et Syrus, hodie commodat, et cras repetit, et exactio ejus exactio retributionis est; qui tales sunt, Deo et hominibus odibiles sunt.*

Nota: Hebr. נָשָׂא *nasa* significat *mutuare*, sive liberaliter, sive cum onere et foenore, puta usura, id est, mutuare simpliciter et foenerari, vel dare ad usuram. Quare *foenerari* in Scriptura subinde non significat dare ad usuram, sed mutuare simpliciter, ut dixi cap. viii, 15; Deut. xv, 6, et alibi. Hinc et Græcum ἐκτρέφω (quo hic utitur Siracides)

ambiguum est; nam significat ex æquo, et qui citra usuram dat mutuo, et qui ad usuram.

Sed avarus dat ad usuram, quia ubique lucrum captat; unde per eam opes pauperis exsugit velut sanguisuga, donec eum exhauriat et fame enecet. Hinc *foenus* dicitur Latinis quasi foetus pecuniae ex se sterilis; verius quasi funus et interitus pauperum. Græcis dicitur τρέφος, id est partus, quia foenus est quasi pecuniae partus, sed innaturalis et monstruosus: pecunia enim ex se infertile est, nec parere potest fructus, uti pariter ager. Hebr. dicitur נָשָׂא *nesech*, id est morsus, corrosio, quod silenter censum et substantiam hominis mordeat et corrodat; alii per metathesin a נָשָׂא *nachas*, id est serpens, derivant; quod clanculum viscera hominis penetret, illaque erodit; « usura enim non sentitur, donec ita augeatur, ut totam substantiam alicui exhauriat, » ait R. Salomon. Quocirca vere S. Chrysostomus, homil. 5 in *Matthæum*: « Pecunia usurarii, autem similis est morsui aspidis; percussus enim ab aspide, quasi delectatus, vadit in somnum, et per suavitatem soporis moritur, quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit: sic qui pecuniam sub usura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit; sed usura per omnes ejus facultates decurrit, et totum convertit in debitum, id est hominem devorat. »

17 et 18. **FATUO NON ERIT AMICUS, ET NON ERIT GRATIA IN BONIS ILLIUS. QUI ENIM EDUNT PANEM ILLIUS, FALSE LINGUÆ SUNT. QUOTIES ET QUANTI IRRIDEBUNT EUM?** — Dixit de fatuo avaro, nunc loquitur de fatuo prodigo; utriusque enim extremo vitio opponitur media sapientis virtus liberalitatis. *Fatuus* enim hic practice intelligitur, puta vitiosus et sceleratus, qualis in dando tam prodigus est quam avarus, præsertim quia insipientes nunc avaritiam sunt, nunc prodigi, juxta illud: « Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. » Et sæpe qui in pauperes sunt avari, in suos adulatores sunt prodigi. Dicit ergo: Qui fatue sua prodigit per symposia et convivium in gnathones et adulatorem, huic non erit verus amicus qui ei gratiam referet, quia sua profundit in parasitos, qui non sunt amici, sed adulatorem. Ili ergo qui « panem illius comedunt, sunt false lingue, » id est, coram et in facie fide et dolose ei blandiuntur, eumque tanquam liberalem, splendidum, magnificentem impense laudant, et ad sidera tollunt; sed post tertium irident eum tanquam fatuum et prodigum. Quare sicut avarus pro gratia odium, sic prodigus pro gratia non gratiam, sed irrisionem reportat; quis enim non rideat ejus fatuitatem et fatuam prodigaliter?

Græca hæc habent in prima persona; inducunt enim fatuum prodigum loquentem, sed eodem sensu: *Dicit stultus* (id est, ut Tigurina, *merito dicat stultus*): *Amicus mihi nullus est, nec gratiam e bonis meis colligo. Qui vescuntur pane meo, lingua falsa sunt. Quot iridebunt hunc, et quoties! Tan-*

Usura
ex etymo
est par-
tus et
morsus.

Vers. 17
et 18.

dem enim prodigi sentiunt se a suis convivis et mensæ asseclis irrideri, ac proinde eos non esse amicos, sed gnathones et assentatores, qui pro gratia irrisionem rependant. Sic et Syrus, *stultus dicit: Non habeo amicum, et non est gratia gratiæ meæ; comedentes panem meum, tanquam saxum durissimum sunt; sed sicut ipse, irridebunt eum.* Causam subdit:

Vers. 19. 19. NEQUE ENIM QUOD HABENDUM ERAT, DIRECTO SENSU DISTRIBUIT: SIMILITER ET QUOD NON ERAT HABENDUM, — *q. d.* Causa profusionis et irrisionis prodigi est, quod non directo sensu, id est, non recta prudentia, iudicio et discretione, sed perperam, imprudenter et indiscrete distribuat et profundat in adulatoribus, id quod ei habendum et retinendum erat, ad honestam familiæ sustentationem et ad futuras necessitates; quodque simili modo non recte distribuat id «quod non habendum erat,» quod, scilicet, licite retinere non poterat, quia injuste per usuras, dolos vel contractus illicitos partum, ideoque restitutioni obnoxium: illud enim quod suis dominis restituendum erat, prodigus injuste retinet, et prodige consumit. Similiter superflua quæ danda erant pauperibus, ipse in parasitos effundit. Igitur perperam distribuit tam habenda, quam non habenda.

Græca pleraque hunc versum non habent; Complutenses tamen habent, sed hoc modo, *neque enim ipsum habere in recto sensu accipit, et ipsum non habere similiter indifferens est illi.* Quod Jansenius sic explicat: Significatur, inquit, prodigum non recto iudicio accipere id quod ipsum habere contingit, et bonorum suorum possessionem, quia non accipit ad eum usum ad quem habet: et proinde non habere est illi idem atque habere, hoc est, indifferens est illi sive habeat, sive non habeat; nec magis prodest illi quod habet, quam quod non habet. Juxta quem sensum quod Noster vertit, *non recto sensu distribuit*, videtur accipiendum, non de distributione quæ aliis fit per bonorum erogationem, sed de ea quæ animo fit, et iudicio sensus discernente apud se quomodo habitis sit utendum, ut *distribuere* positum sit pro discernere et dijudicare. Id enim fit «recto sensu,» aut, ut græcè est, *αὐτοψύχως*; quæ dictio non prudentiam significat, sed vim illam sentiendi, qua de diversis rebus aliter sentimus, ut visu discernimus colores et distribuimus. Itaque quod habendum erat, non recto sensu distribuit, quia non discernit apud se quomodo et ubi illud sit expendendum, aut quid habendum sit. Et similiter quod non erat habendum, etiam non recto sensu distribuit, quia nec recte iudicat, nec discernit quid non sit habendum, sollicitus frequenter pro his quæ habere non oportet, negligens in his quæ habenda essent. Hæc Jansenius.

Habere pro dure. Huic sensui favet versio Tigurina, *neque enim quod habet opinione recta complectitur, et perinde refert ac si nihil haberet.* Verum noster Interpres

Græcum *αὐτοψύχως*, id est *accipit, vertit, distribuit, dedit*: sic enim sæpe Hebræum *קָבַץ lacach*, id est *accipit*, per metalepsin significat *dedit*, uti ostendi *Ephes. iv*, vers. 8; unde vertit, *neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit; similiter et quod non erat habendum.* Quod idem est cum eo quod habet Græcus, et ipsum non habere similiter indifferens est illi; hæc enim verba significant prodigo esse indifferens habere et non habere, hoc est, perinde illi esse quod habet ac quod non habet, quia utroque abutitur, utrumque temere profundit. Quod Noster significat, dicens prodigum abuti tam eo quod habendum et retinendum erat, quam eo quod non habendum et restituendum erat. Unde ex Græco sic aliqui clare vertunt, *nam quod habet, non recta ratione distribuit.* Adde Nostrum in Græco non legisse *τὸ ἀδιάφορον*, id est *indifferens*. Hic sensus plenior est: includit enim priorem Jansenii. Qui enim male, prodige et temere sua distribuit, hic utique prius in mente eadem ita distribuere statuit et decrevit. Sensus ergo plenus est, *q. d.* Prodigus non recto sensu et discretione, in mente sua secernit quid habendum et retinendum, quidque non habendum, sed erogandum sit: ac sicuti in mente sua sine iudicio et temere id secernit, sic et temere idem exterius distribuit et dissipat.

20. LAPSUS FALSÆ LINGUÆ, QUASI QUI IN PAVIMENTO Vers. 20.

CADENS: SIC CASUS MALORUM FESTINANTER VENIET. — Quia vers. 18 meminit falsæ linguæ, hinc obiter ejus pœnam et ruinam hic assignat. Linguam falsam vocat mendacem et fallacem, qualis est calumniatorum et assentatorum, de quibus egit vers. 18. Assentatores enim unius solent esse calumniatores alterius, qui prioris inimicus est vel æmulus. Ut enim adulentur uni, a quo convivia et symposia, aliave lucra sperant, detrahunt alteri, quem sciunt ei cui adulantur exosum esse, vel minus gratum. Jam primo, Jansenius hunc dicit sensum, *q. d.* Lapsus, qui provenit ex fallaci lingua, est quasi qui cadit in pavimento aliquo lapidibus strato. Sicut enim in tali pavimento quis præter expectationem cadit, ubi non sunt offenticula ulla; et sicut talis ob duritiem pavimenti graviter se lædit: ita et fallaces homines, dum non putant, graviter cadent, atque lædentur. Unde sequitur: «Sic casus malorum festinanter veniet,» hoc est, sic continget malos subito, et præter eorum expectationem ruere in multa incommoda. Sic et Palacius: Si vides, inquit, hominem in pavimento plano (ubi non erat offenticulum) cadere, an non miraberis? ita mirere, quod minister meus labatur lingua sua, me accusans, cum ego eum bene pascam, et meis bonis afficiam. Dic, serve nequam, quæ te ratio, quod offenticulum in bono invenisti, cujus causa me accusasti? Nonne me vituperans cadis in plano? nam bona, quæ tibi confero, non merentur eam accusationem, sed potius aut admonitionem, aut certa silentium.

Verum, quia lapsus in pavimento, utpote strato et aequali, ita ut nulli lapides exstent, in quos quis impingat et cadat, rarus est, nec graviter hominem labentem lædit: tantum enim hominem stantem ad pavimentum, in quo stat, primum vel supinum dejecit; hinc *secundo* et magis genuine sic exponas, *q. d.* Lapsus linguæ falsæ, id est lapsus fallacis adulatoris et calumniatoris, quo scilicet ipse ob linguam fallacem corruit in graves ærumnas et calamitates, similis est lapsui quo quis ex alto in pavimentum præceps ruit: uterque enim est improvisus, subitus, hominemque totum collidit et conquassat irreparabiliter. Unde sicut lapsus ex alto in imum cito subitque fit: sic et «casus malorum,» puta impiorum, adulatorum et calumniatorum, festinanter veniet. Hunc sensum exigunt Græca: ἐπίσθημα ἐπὶ ἰδαίρου μᾶλλον ἢ ἐπὶ γλάσσης, οὕτω πτώσις καλῶν κατὰ σπουδὴν ἔσται, id est, *lapsus a pavimento potius quam a lingua, sic casus malorum festinanter veniet.* Hoc est, ut nonnulli clare vertunt, *lapsus de tecto tolerabilior est quam lingua, adeo ruina malorum celeriter advenit.* Tectum enim vocat pavimento, quia in Palestina tecta erant non acuminata (uti apud nos), sed plana, adeoque erant pavimenta, ut in ipsis ambulare, cænare, imo et per ætatem dormire solerent. Sensus ergo est: Sicut qui labitur a pavimento summo tecti in pavimento imum domus vel aræ, toto corpore colliditur: sic et lapsus linguæ sæpe totum hominem collidit et evertit, *q. d.* Adulator, mendax et calumniator subito et dure direque corruet, cum minime putat.

Paulo aliter Tigurina; vertit enim, *casus e lacunari dicto* (Hebr. enim מילסון *millascon*, id est a lingua, idem est quod præ lingua, præ sermone et dicto) *citior est: ita malorum ruina repentina advenit.*

Vers. 21. 21. HOMO ACHARIS (Eusebius Papa in *epist.* superius citata, pro *acharis* legit *ingratus*. Hinc utrumque legit Rabanus hoc modo: *Homo ingratus quasi acharis*) QUASI FABULA VANA, IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUA ERIT; — alii, *assidue erit.* Acharis Græca est vox (unde interpres græcizat, et forte fuit Græcus, uti dixi in proœmio), idem significans quod ingratus, sine gratia, injucundus, insuavis, insulsus, molestus. Respicit ad id quod dixit vers. 13: «Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur.» Gratias enim, sive Charites, effundit acharis. In Græco pulchra est paronomasia: ἀνθρώπος ἀχαρίς μῦθος ἀχαρίς, quæ latine plene reddi non potest, *q. d.* Homo importunus est fabula importuna; ἀχαρίς enim est ἀχαρίς, hoc est, homo sine gratia est intempestivus et importunus. Sensus est, *q. d.* Homo sine gratia, insipidus et insipiens, est quasi fabula vana, id est, quasi fabulator (abstractum enim ponitur pro concreto ad emphasim, *q. d.* Homo acharis adeo fabulatione et fabulis pascitur, ut ex iis consutus, adeoque mera fabula esse videatur: sic hominem sceleratum vocamus

scelus) vanus, qui non nisi fabulatur, ac fabulas inanes et futes continuo eructat, quibus auditoribus tædium, indeque sibi odium creat, ut ab omnibus cordatis et prudentibus rejiciatur et explodatur. Fabula enim, sive fabulatio jam dicta, non nisi in ore indisciplinatorum, id est, insipientium et imprudentum, puta nugatorum et fabulorum, grata et jucunda, ideoque assidua et frequens est. Unde Tigurina vertit, *homo illepidus quasi importuna fabula est, cum ore imperito frequentatur; alii, homo insulsus narratio intempestiva, ore indoctorum continuatur.* Hoc enim significat Græcum ἐνδελχιαθήσεται. Unde ἐνδελχια vocatur continuatio, assiduitas, perpetuitas, perennitas, et ἐνδελχιαμὸς vocatur continua mobilitas, qualis in anima cognoscitur; quare animæ quasi genus tribuitur ab Aristotele, lib. I *De Anima*, ubi animam definit esse actum (Græce ἐνδελχιαμὸς) corporis organici.

Aliter Lyranus, *q. d.* Homo acharis et insulsus est quasi fabula, quia in omnium est ore, omnesque de eo quasi insulso fabulantur: insulsi quidem et insipientes insulse eum laudando, sapientes vero sapienter eum velut insulsum ridendo et redarguendo.

Tertio, clare sic veritas et explices: «Homo acharis,» id est hominis acharitis et insulsi, «fabula intempestiva in ore indisciplinatorum assidua erit,» *q. d.* Indisciplinati assidue ad jocum et risum recordabuntur, repetentque fabulam insulsam ab homine insulso prolatam, ut sit antiposis Hebræa: Hebræi enim casum unum pro alio, puta nominativum pro genitivo ponunt, eo quod careant declinatione et casibus: quare idem nomen inflexum et indeclinatum pro quolibet casu usurpant. Sic Apostolus II *Cor.* cap. VIII, 23 ait: «Sive pro Tito, etc., sive fratres nostri Apostoli,» pro sive pro *fratribus nostris Apostolis*. Similia plura sæpius notavi aliis in locis. Verum quia sic perit elegans paronomasia inter ἀχαρίς et ἀχαρίς, quam spectasse videtur Siracides, et quia Noster addit *quasi*, et quia omnes Interpretes vertunt in nominativo *homo acharis*, hinc ille potius quam ejus fabula hic intelligenda videtur. Unde ex Græco Complutensi veritas masculine, *homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit.* Quare duo priores sensus veriores sunt, eosque sic connectas et in unum redigas, *q. d.* Homo acharis ob sua insipida et insulsa dicta et facta, est quasi fabula vana et insulsa, quæ omnium indoctorum et insulsores ore assidue teritur. Insulsi enim gaudent insulsis, fabulones fabulis et fabulonibus, utpote sui similibus. Acharis ergo et insulsus est *fabula insulsa*, tum metonymice, quia fabulas insulas narrat; tum quia propter eas ipse proprie fit fabula et dicerium hominum, quod ore suo assidue jactant indocti et insulsi, uti dixit Lyranus. Utrumque significat Græcum μῦθος, id est fabula, apologus. Unde Æsopus aliique fabularum et apologorum scip-

Acharis quis et qualis?

13. 13.

tores vocantur *mythologi*. Sic ergo omnes sensus jam dati eodem redeunt, et in unum conspirant.

Vers. 22. 22. EX ORE FATUI REPROBAMUR PARABOLA: NON ENIM DICIT ILLAM IN TEMPORE SUO. — *Parabolam* vocat gnomen sive sententiam gravem, seriam, acutam et sapientem. Occurrit objectioni. Dicit enim quis: Aliquando fatuus loquitur sententias admodum graves et prudentes: ergo tunc non erit fabula vana, id est fabulator vanus, sed sapientiae antistes, vel oraculum. Respondet, nihilominus eum esse fabulatorem, quia suo tempore illas non profert: unde intempestiva, importuna et ingrata est ejus narratio, esto aureas sententias narret et proferat. Quare perinde est ac si sus ore sordido gestet, vel effundat auream armillam; hanc enim non ornat, sed dedecorat et conspurcat: est enim porca, id est spurca. Hinc Tigurina vertit, *pronuntiatum ex ore stulti gratiam*

amittit, quia non profertur in tempore; Syrus, in ore stulti impingit verbum, quia non dicit illud in tempore suo. Alludit ad *Proverb. xxvi, vers. 7*: «Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola,» *q. d.* Sicut claudus pulchræ tibie deformes sunt, quia inæquales eum claudicare faciunt, ideoque eum risui intuentium exponunt: sic pulchra oratio in ore stulti deformis est, quia inæqualis est et claudicat: ipse enim nescit eam aptare et æquare tempori, loco, rebus et personis. Et vers. 9: «Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum,» quia parabola stultorum quasi spina non tantum dedecorat, sed et lædit ac cruentat, tam dicentes quam audientes, dum eos dicteria, scommata et convicia, quæ parabolæ imprudenter et temere quasi ebrii admiscunt, in lites, rixas, pugnas et cædes impellunt.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE NOXIA VERECUNDIA, PROBRO MENDACII, SAPIENTE VERACE, QUI PER SUAM SAPIENTIAM SESE EVEHIT, GRATIAMQUE INIT MAGNATUM, IDEOQUE IN JUDICIO A MUNERIBUS ABSTINET.

Vers. 23. 23. EST QUI VETATUR PECCARE PRÆ INOPIA, ET IN REQUIE SUA STIMULABITUR. — In requie, id est, cessatione a peccato, «stimulabitur,» id est, cruciabitur, eo quod malam suam voluntatem præ inopia exsequi non possit, *q. d.* Inopia adimit homini facultatem peccandi, at non voluntatem, imo eam magis accendit, quia nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Talis est qui vellet indulgere gulæ et libidini, sed non habet nummos quibus id procurret. Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. XIII, et nonnulli Rabbini censuerunt internam voluntatem peccandi, v. g. inebriandi, fornicandi, occidendi, non esse peccatum, nisi in actum externum exeat, ut reipsa homo se inebriet, fornicetur et occidat. Refellit id Siracides, «ac vituperat intentionem voluntatis perversæ,» ait Rabanus, quod scilicet se cruciet in requie et cessatione a peccato. Vide dicta *Roman.* cap. VII, 8, et *Deuter.* cap. V, 21. Unde Tigurina vertit, *est qui peccare impediatur præ inopia, qui seorsim apud se discreturietur.* Hinc vulgare proverbium: «Improbis nihil deest nisi facultas.»

Græca Complutensia et Romana contrarie legunt, *ὁ κενωθήσεται*, id est, non stimulabitur, nec compungetur, *q. d.* Est qui vellet peccare, sed prohibetur per inopiam; et tamen de hac mala voluntate peccandi non dolet, nec compungitur. Aut potius, *q. d.* Est qui a peccato prohibetur per inopiam, qui proinde non stimulat remorsu conscientiae de peccato admissio, *q. d.* Felix est inopia quæ hominem liberat a peccato, et con-

sequenter a remorsu conscientiae ob peccatum admissum, quia facit eum impotentem ad peccandum: infelix vero est opulentia, quæ facit hominem potentem ad peccandum, quia dat ei facultatem exsequendi malam voluntatem. Sic Plato asserebat divitem esse infeliciorum paupere, quod pauper solum voluntatem habeat peccandi, dives etiam facultatem. Huic lectioni et sensui favet Syrus; vertit enim, *est qui evadit a peccatis propter egestatem suam; quis est qui fuit justus, et in opibus suis requiescit? q. d.* Pauper per pauperiam evadit peccata in quæ incurrit dives: difficile est enim esse justum simul et divitem: justus enim in Deo, dives in opibus spes et res suas reponit. Verum tollenda est negatio, et affirmative legendum, *stimulabitur, compungetur, uti legit Noster, cui consentit Tigurina.*

24. EST QUI PERDET ANIMAM SUAM PRÆ CONFUSIONE, VERS. 24.

ET AB IMPRUDENTI PERSONA PERDET EAM; PERSONÆ AUTEM ACCEPTIO PERDET SE. — Gnome hæc taxat nimium et noxium pudorem, *q. d.* Est qui peccat, ideoque «perdet animam suam,» propter nimiam alicujus reverentiam et verecundiam, idque «ab imprudenti persona,» id est, ob imprudentem personam: quia scilicet imprudens, imo demens persona, quam ob potentiam vel auctoritatem reveretur, petit ab eo aliquid illicitum, scilicet aliquid turpe, vel injustum: ne ergo eam offendat, peccat, et offendit Deum. Igitur acceptio personæ perdit se, quia scilicet personam potentis accipit, et reveretur magis quam Deum. Tales

sunt qui in iudicio, in persecutione, in lite, etc., non audent confiteri veritatem, aut ferre æquam sententiam, ne divites et principes offendant. De qualibus ait Christus: « Qui erubuerit me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum, » Luc. ix, 26. Græcus de more hic concisus et bimembris est: *Est qui perdet animam suam, et ab acceptione personæ perdet eam.* Vel, ut Complutensis legit: « Ab imprudenti persona perdet eam. » Quod signum est olim utrumque in Græco fuisse, ideoque nostrum Interpretem ex eo utrumque transtulisse. Nec enim inter *ἄπρονος*, id est *imprudenti*, et *ἀψήγως*, id est *acceptione*, est litterarum affinitas ulla, ut pro uno irrepsisse alterum dici possit. Accedit quod Latina lectio plenior sit, ideoque verior; plane enim sententiam absolvit et explet. Græcum tamen de more sequitur Syrus, imo eo concisius veritatem, *est qui perdet animam suam verecundia sua, et præ erubescenscentia perditum it.*

Vers. 25. 25. EST QUI PRÆCONFUSIONE PROMITTIT AMICO, ET LUCRATES EST EUM INIMICUM GRATIS.—id est temere, q. d. Qui præ pudore (quia scilicet nihil ei negare audeat) promittit aliquid amico, quod reipsa præstare non potest, vel non vult, hic temerarius et imprudens est, quia ex amico facit inimicum, cum promissa non solvit. Quare nihil lucratur, nisi amici inimicitiam; qui si non promisisset, et rem suam et amici amicitiam retinuisset. Tigurina, *est qui causa pudoris promittat amico, et eum ultro sibi inimicum suscipiat*; Syrus, *est qui verecundia sua pollicetur proximo suo, et acquirit sibi inimicum gratis.* Quocirca sapienter Phocion Atheniensis dicere solebat, « non magna quidem hominibus promittenda, sed magna facienda esse. » Verum ejus dictum invertunt hodie, qui aureos montes ac Cæsi opes pollicentur hominibus; cum ne *γῆ* quidem præsent. Phocionis dictum exstat apud Stobæum serm. 4 *De Prudent.* Rursum cum Letisthenes civitatem Atheniensium ad bellum perpulisset, magnificis spebus ad nomen libertatis ac principatus erectam, Phocion illius verba dicebat esse cupressis similia, quæ sublimes cum sint ac pulchræ, fructum non habent. Nihil potuit dici accommodatius in sermonem splendide magnificeque pollicentem, sed infrugiferum, quemadmodum cupressus arbor sublimi compositoque in conum vertice, procul egregium quiddam polliceri videtur; at vix ulla est sterilior. Ita Plutarchus in *Græcor. apophthegm.*

Hic est secundus effectus nimix et præposteræ verecundiæ, quod scilicet per eam quis vel rogatus, vel ultro, promittat quid amico quod præstare nequeat, eaque ratione amicum offendant, perdatque ejus amicitiam. Priorem enim assignavit vers. præced., scilicet quod perdat animam per offensam Dei, q. d. Nimia verecundia offendit Deum pariter et homines, perdit gratiam et amicitiam tam Dei, quam hominum.

Vers. 26. 26. OPPROBRIUM NEQUAM IN HOMINE MENDACIUM, ET

IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUE ERIT. — A violatione promissi ascendit ad mendacium, quasi a specie ad genus. Docet igitur quantum malum et probrum, quamque infame sit mendacium. Dicit ergo opprobrium nequam, id est, probrum malum, imo pessimum, in homine esse mendacium; et tamen homines indisciplinatos, id est, male institutos, incompositos et dissolutos, illud assidue in ore habere, quia probrum hoc vel non considerant, vel non æstimant. Græce, *μῆκος πομπῆς ἐν ἀνορθότητι ψεύδος*, id est, *macula (vituperium, probrum) pessima est mendacium in homine, ore indoctorum continuatur*; Tigurina, *perquam malo crimini est homini mendacium, at id ore imperito frequentatur*; Syrus, *malum quodpiam in homine mendacium, et in ore stulti frequens est.*

Hac de causa Aristoteles in *Ethicis*, mendaciorum servorum esse vitium dixit, ac proinde homine libero et ingenuo esse indignum. Præclare S. Thomas, opusc. *De Eruditione Principum*, mendacium comparat falsæ monetæ, puta denario adulterino, per quem omnes asperrantur. Additque: « Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit et imaginem: hic enim mendax est ab initio. Aliquando ergo auditurus est princeps mendax, qui denarius falsus est, verba illa: Cujus est imago hæc et superscriptio? et cum responsum fuerit: Diaboli, dicetur statim: Reddite ergo quæ sunt diaboli, diabolo. » Quocirca Basilius Imperator Leonidi filio, ita præscribit cap. xvi: « Dicere oportebit ea quæ plane scies, aut quæ temporis ratio postulat; de cæteris omnibus silere satius erit, quam eloqui: nam principem non nisi vera, et opportuna, et magni momenti verba proloqui decet. » S. Basilius, in *Regul. brevior.* Quest. lxxviij: « Præcise, inquit, dictum est mendacium ex diabolo esse, neque mendacii ulla omnino distinctio adhibita. » Et *epist.* 75, « mendacium autem esse diaboli foetum. » Et B. Cæsarius *homil.* 46: « Quod omnis, inquit, mendax sine maligno spiritu esse non possit, Scriptura testis est: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. » Adeo autem Deus mendacium execratus est, ut noluerit imagines fingi pingique, *Exodi* cap. xx, 4. Rationem reddidit Philo, lib. *De Gigant.*: « Laudatas, inquit, elegantesque artes, picturam atque statuariam, a sua rep. rejecit Moyses, quod veritatem mendacii violentiam, illudentes per oculos animabus facilibus. »

27. POTIOR FUR QUAM ASSIDUITAS VIRI MENDACIS Vers. 27. (Tigurina, *quam qui frequentat mendacium*), PERDITIONEM AUTEM ANNO HEREDITABUNT. — Potior, id est melior, non positive, sed comparative et negative, q. d. Minus malus, minus noxius est fur, quam qui assidue mentitur. Unde poena tam mendacis quam furis erit perditio, id est, interitus et mors, tam præsens quam æterna: licet enim mendacium otiosum et jocosum non sit peccatum mortale, ac proinde non inducat reatum mortis presentis et æternæ, tamen ex assiduitate mentendi otiose et jocosè, facile quis labitur in men-

Multa pollicens, p-uca dant, si milia est cupressos, cur?

Mendax similis diabolo.

Perditio

dacium perniciosum, quo proximo vel famam, vel opes, vel vitam adimit. Quod proinde mortem utramque meretur, juxta illud Apoc. XXI, 8: « Idololatris et omnibus mendacibus: pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda. » Hinc pro *potior* Græce est ἀποστρέφων, id est eligibilis. Unde Tigurina vertit, tolerabilior est fur, quam qui frequentat mendacium, cæterum perniciem uterque contrahet; alii, eligibilior est fur, quam qui mendacio assuescit; ambo autem heredes erunt exitii. »

Nota: Congruè mendacium comparat furto, tum quia hæc duo jungi solent. Unde illud: « Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem; » tum quia mendacium est quoddam furtum: furatur enim hominibus veritatem, famam, concordiam, imo opes sæpe et vitam; tum quia utrumque ignominiosum est et infame.

Porro mendax pejor est fure: primo, quia fur opes, mendax vero famam, et subinde vitam homini eripit, fama autem præstat opibus; secundo, quia fur ex egestate et fame furatur, Prov. VI, 30, mendax autem mentitur ex petulantia et protevia; tertio, quia mendacium turbat integritas familias, urbes, republicas, ac inter eas rixas, cædes et bella internecina et immortalia concitat, quod non facit furtum; quarto, quia esto furtum unum sit pejus mendacio, uno tamen furto pejor est assiduitas mentiendi, et hoc tantum ait Siracides: hæc enim assiduitas multas parit culpas et noxas furto graviores; quinto, furto sæpe additur mendacium, ut furtum tueatur; hoc ergo, upote duplex peccatum, solo furto est gravius. Unde Syrus vertit, desiderat (stultus) furari et mentiri, et utraque illæ viæ ejus ignominium comparant; sexto, furi præfer opes cætera fidere potes, mendaci nihil. Sicut enim a verace omnia sunt tuta, ita a mendace nihil, non opes, non honor, non amicitia, non aliud quippiam. Equidem ego facilius feram famulum qui semel furatur, quam qui semper mentitur, ait Palæsius.

Vers. 28. 28. MORES HOMINUM MENDACIUM SINE HONORE, ET CONFUSIO ILLORUM CUM IPSIS SINE INTERMISSIONE, — q. d. Mos mentiendi facit ut omnes mores et actus mendacis sint sine honore, viles et contemptibiles.

Pro mores Græce in singulari est ἥθος, id est mos, vultus, indoles, natura. « ἥθος, ait Quintilianus, lib. VI, uno verbo latine dici non potest: hoc enim omnes mentis habitus continentur. »

Pro sine honore Græce est ἀτιμία, id est, inhonoratio, infamia, ignominia. Unde Complutenses vertunt, mos hominis mendacis ignominia, et confusio ejus cum eo sine intermissione. Quid enim probrosius quam mendacem haberi?

Rursum ἥθος Aristoteles, initio lib. II Ethic., deducit ab ἔθος, ac significat id quod homini familiare, proprium, consuetum est; item domicilium, locum consuetum, natale solum, sedem. Unde Tigurina vertit, familiaris homini mendaci

est ignominia, suumque dedecus comitatur eum assidue; alii, proprium hominis mendacis est infamem esse, et pudor ejus illi adest assidue; alii, sedes et natale solum mendacis est infamia; Syrus, suis hominis mendacis maledictio, et ignominia cum ipso peribit.

Porro mendaces semel cogniti, inter alias ignominias hanc maxime sibi congruam, meritam et debitam sustinent, ut semper audientibus suspecti sint, et, etiamsi vere dicant, eis tamen fides non habeatur, quia mentiendo sibi fidem abrogarunt. Rursum mendacibus evenit, quod mendacium omnes eorum mores (ut vertit Noster) decoloret, dehonestet et infamet. Sensus enim ejus est, q. d. Sæpe fit ut quis mores habeat honestos, dignosque honore, et laudabiles, ac laudetur quod sit justus, prudens, temperans, liberalis, etc.; attamen hi mores et virtutes insignes penitus jacent, et debito honore carent, si, qui illis præditus est, mendax jure appellari possit: mendaces enim mentiendo offuscant omnes bonos mores et virtutes. Quocirca Indi, ei qui ter mentitus esset, perpetuum indicabant silentium, uti refert Diodorus, lib. III Biblioth. cap. 1, et Arrianus, lib. III De Gestis Alexandri. Addit Philostratus, lib. II De Vita Apollonii, tales magistratu exclusos in perpetuum. Eadem fere de Persis memorat Xenophon in Cyro lib. III, et Herodotus, lib. I. Plura de turpitudine et probro mendacii vide apud S. Augustinum, lib. Contra Mendacium, Climachum grad. 12, Dorotheum doctr. 9, S. Bernardum, serm. 31.

29. SAPIENS IN VERBIS PRODUCEAT SEIPSUM, ET HOMO PRUDENS PLACEBIT MAGNATIS. — Huic versui Græci præmittunt hunc titulum: Verba parabolarum. Imitatur enim Siracides Salomonem, qui cap. 1, 7, et alibi, eundem titulum suis parabolis sive proverbiiis præfigit. Opponit stulto mendaci sapientem veracem, qui suo sermone vero et prudenti seipsum promovet, ut placeat magnatibus, ab eisque ad honores et regimen exaltet, uti contigit Josepho, Danieli, Mardocheo, Esdræ, Nehemiæ et aliis. Producet, id est, porro duceat, puta ulterius ad majores honores et dignitates; Græce enim est προάξει, id est, promovebit, provehet. Unde Tigurina vertit, sapiens seipsum dictis provehet, et vir prudens placebit proceribus.

Modum et causam promovendi se subjungit dicens: « Et, » id est quia, « homo prudens placebit magnatis, » qui utique agnita ejus sapientia eum promovebunt, ac præficient gubernaculis reipubl. Paulo aliter Syrus, plenus proverbiiis sapientiæ, inquit, tanquam parvum monstrat seipsum (qui enim vere sapiens est, idem in oculis suis parvus est et humilis, ac apud alios parvum et humilem se ostendit), et servus sapiens dominabitur magnatibus.

30. QUI OPERATUR TERRAM SUAM, INALTABIT (altum vers. 30. faciet) ACERVUM FRUGUM, ET QUI OPERATUR JUSTITIAM, IPSE EXALTABITUR; QUI VERO PLACET MAGNATIS, EFFU-

Mendax
pejor fu-
re.
primo,
secundo.

28. 28.
tertio,
quarto,
quinto.

Vers. 28.

30.

Mendax
infamis.

Vers. 29.

28. 28.
tertio,
quarto,
quinto.

Vers. 30.

GIET INIQUITATEM, — *q. d.* Sicut agricola, strenue colens terram, magnam colligit messem, altumque frugum acervum attollit: sic qui excolit animam suam per opera justa virtutum, magnum colliget meritorum et gloriæ acervum et cumulum, per quem et apud Deum et apud homines exalabitur. Quocirca qui placere cupit magnatis, ac ab eis exaltari, is omnem injustitiam et iniquitatem fugiat oportet, ac præsertim caveat ne dona accipiat, quibus excæcatus justitiam rectumque iudicium pervertat, « quia xenia et dona excæcant oculos iudicum, » ut sequitur. Græcus de more concisus et bimembris sic habet, *qui operatur terram, altum faciet acervum suum; et qui placet magnatis, ἐξιδέεται ἀέκλια*, id est, placabit vel expiabit injustitiam. Complutenses addunt *suam*, sed alii delent *suam*. Sensus est, *q. d.* Sicut qui colit terram, altum colligit frugum acervum: sic qui colit principes, altum apud eos colligit gratiæ et benevolentiae acervum, quo suas et aliorum in eos offensas placare, illosque principibus reconciliare valet.

Moraliter, monemur hic, seminando bona opera, accumulare altos meritorum acervos, ut per eos acquiramus altos gloriæ thesauros in cælis; quanti enim erunt isti, tanti erunt et hi. Altitudo enim gloriæ altitudini gratiæ et meritorum respondebit et adæquabitur, juxta illud: « Quæ (quanta) seminaverit homo, hæc (tanta) et metet, » *Gal. cap. vi, 8*. Et illud de Apostolis: « Euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos, » *Psal. cxxv, 7*.

Vers. 31. 31. XENIA ET DONA EXCÆCANT OCCULOS JUDICUM, ET QUASI MUTUS IN ORE AVERTIT CORREPTIONES EORUM. — Explicat quod dixit: « Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur, » *q. d.* Ut opereris justitiam, maxime caveas munera, quia hæc iudicium rationis et sententiam iudicum ad se inflectunt, itaque a recto detorqueant et corrumpunt. Citat *Exod. xxiii, vers. 8*: « Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. » Vide ibi dicta.

Pro *mutus* Græce est *πίμος*, quod tam frenum, quam obturationem oris, quæ hominem facit elinguem et mutum, significat. *Mutus in ore* ergo est frenum in ore, vel obturatio oris: hæc enim facit hominem mutum. Est Hebraismus: ponitur enim *cal* pro *hiphil*, *mutus* pro *mutum faciens*, obturans os; hoc enim significat *πίμος*, a *πιμῶω*, id est, *os obturo*. Porro *mutus* a mussando dicitur, quod hic non amplius quam mus dicat. Muti ergo videntur habere murem, quasi frenum, in ore, qui facit eos mutire et mussitare. Quod Latini simili proverbio dicunt: « Bos in lingua. » Olim enim Græci pecuniam bovis simulacro signabant; unde illa vocabatur Bos. Et: « Argentanginam patitur, » quod Demostheni objectum est, cum diceret se anginam pati, nec posse contra Philippum perorare, quasi argento a Philippo fuisset

corruptus. Quocirca aliqui legunt, *et quasi frenum in ore, rursum avertit, id est avertunt*. Unde S. Hieronymus in cap. III *Michææ* sic legit: « Munera excæcant oculos etiam sapientum, et quasi frenum in ore avertunt increpationes. » Est Hebraismus: Hebræi enim verbum concordant sæpe cum substantivo proximiori, etiamsi ad remotius referendum sit: sic hic *avertit* concordat cum *mutus*, etsi respiciat *xenia et dona*. Sensus est: Xenia et dona sunt quasi frena, quæ faciunt iudices cæcos et mutos, ut non audeant corripere et castigare delinquentes, qui ea dederunt. Unde Tigurina verit, *xenia muneraque excæcant oculos sapientum, et tanquam oris obstructio reprehensiones inhibent; Syrus, largitio et donum offuscant oculos, et obturant os, et cessare faciunt increpationem, juxta illud: « Injice offam in os canis, ne latret. »*

Aliter Dionysius et Lyranus: « Mutus, inquit, vocatur species ranæ, quæ a Græcis calamita dicitur, et in os canis latrantis injecta admittit latrandi potentiam, » uti docet Strabo, et ex eo S. Isidorus, lib. XII *Origin. cap. vi*, Vincentius Belluac. *Natur. Hist. lib. XX, cap. lx*, Albertus Magnus lib. XXVI *De Animal. in Rana*, qui et addit, si ranæ ossiculus in vas aqua fervens injiciatur, defervescent aqua, nec amplius bulliet: ita quantumcumque ferveat amore justitiæ justæque vindictæ iudex, si aurum capiat, defervescent omnis ejus amor et zelus, ac instar calamitæ obmutescet. Alii censent Siracidem alludere ad ranas Seriphias, ab insula Seripho, ubi ranæ mutæ inveniri perhibentur, quasi hi iudices ore muneribus obstructo, tanquam ranæ Seriphie obmutescant. Et sicut illæ ranæ monstrosæ sunt, quia ut cæteræ non coaxant, sed silent: sic pariter hi iudices sunt quasi monstra, quia cum dicendo juri vacare debeant, tamen reticendo potius incumbunt. Id quod dixi de ranis Seriphiis, asserit Plinius lib. VIII, cap. LVIII. Hinc et proverbium apud Suidam, Didymum et alios: *Rana Seriphia*, id est, silens et mutus. Verum *πίμος* non significat calamitam vel ranam; sed frenum, capistrum, camum, quo ferarum canumque ora obligantur ne mordeant: fiscellis etiam capistrantur jumenta ne segetes depascantur, quod Græci vocant *πιμῶω*. Unde Plinius, lib. XVIII, cap. XIX: « Fiscellis, inquit, capistrari boves oportet, ne germinum tenera præcerpant. » Ergo iudices dona accipientes, inquit Palacius, sunt sicut equus et mulus, quorum maxillas munera velut came et freno constringunt.

Moraliter, disce hic quam iudici cavenda sint munera. Quocirca Justinianus Imperator, § *Oportet*, de Mandatis princ. *Auth. collat. 3*, et *Novell. 23, bus*, omne omnino ei vetat munus: « Oportet, inquit, te pure sumentem administrationem, et sine omni suffragio, et præ omnibus aliis mundas servare manus Deo, nobisque et legibus, et nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus. » Nam, ut ait S. Nazianzenus in *Distichis*: « Munera

Mutus
similis
ranæ,
cur?

De ca-
vendis
munc. 1-
bus.

faciunt ut sapientes quoque viri hallucinentur; atque ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur. » Et inferius: « Auro loquente iners est omnis oratio; persuadet enim illud, etiamsi nullam vocem edat. » S. Chrysostomus, homil. 64 in Joannem: « Gravis, ait, morbus est avaritia, oculos cæcat, et aures obstruit, et quavis bellua sæviores reddit. » Idem censuere Gentiles. Plutarchus, lib. De Iside: « Thebis, ait, iudicium imagines visuntur absque manibus, et summi iudicis oculi connivent, eo quod iustitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. » Recte Cajetanus et ex eo Delrio, adag. 86: « Munera affectum mutant, inquit, et sic efficiunt, ut, si non speculative, saltem practice videatur accipienti fovenda, vel excusanda, vel toleranda pars a qua munera accipit. Unde Moses Deuteron. xvi, vers. 19: « Non accipies, ait, personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba iustorum, » nimirum quantumvis oculatus fueris ut aquila, ut serpens, oculi tui muneribus eruentur. Donum enim tacite eblanditur et elucrat affectum ejus qui illud recipit, ac quasi cor illius non cogitantis suffuratur, illudque donanti alligat et astringit, ut non possit non eum amare, non illi favere, et vicem rependere.

Quocirca Basilius Imperator Constantinopolitanus, Exhort. ad Leonem filium, cognomento Philosophum, ita de muneribus sancit cap. XLIII: « Auro et muneribus venales honores et dignitates cave ne habeas, sed eas dignis largire gratis; qui enim magistratum pretio emit, subjectos illi magistratui multo magis emit, ut muneribus quæ dedit fretus, ipse audacius munera capiat. Proba ergo atque explora prius diligenter, atque ita demum ad honores provehe eos qui sine muneribus ambibunt, si vis a republica omnem sordium et concussionis labem exulare. Nam qui dat ut magistratum capiat, quæstum sibi a magistratu captat: dat enim ut jus capiendi habeat contra leges, hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim magistratum mercari didicerit, is nunquam munera capere dediscet, et sine muneribus aliquid facere nunquam volet; te autem concussionis et sordium habebit magistrum, quem debuerat habere vindicem: neque ipse solum munera capiet, sed eos etiam qui sub ipso erunt, munera capere coget. » Breviter, sed nervose, Demosthenes: « Dona principum, inquit, sunt auctoramentum servitutis; » quos enim donis afficiunt, hos quasi servos sibi mancipant.

VERB. 12. 32. SAPIENTIA ABSCONSA, ET THESAURUS INVISUS (SYTUS, OCCULTUS, hic enim non videtur): QUÆ UTILITAS IN UTRISQUE? — S. Hieronymus in cap. II Sophon. legit: « Sapientia abscondita, et thesaurus non comparens, quæ utilitas in ambobus? » *Αφανής* enim est non comparens, non visus, latens, occultus, obscurus, incognitus.

Respicit ad id quod dixit vers. 29: « Sapiens in verbis producet seipsum, et homo prudens pla-

cebit magnatis. » Ne enim quis otii et quietis amantior, suam sapientiam celet, eaque alios defraudet, addit: « Sapientia absconsa, » etc. Tigurina, cum sapientia occultatur, aut thesaurus abditur, quid est in utrovis utilitatis? Sicut enim thesaurus, licet in se pretiosus, nulli tamen est usui, si sit abditus: ita et sapientia, licet maxima, frustra est, nullumque habet usum, si abscondatur. Quare, sicut thesaurus a natura et Deo datur ad usum, ideoque publicandus et erogandus est, sic et sapientia. Idem docet Christus in parabola talentorum, qua docet Deum exactam exigere rationem talenti bene et cum lucro expensi, ideoque damnare eum qui talentum defodit, vel in sudario ligavit, Matth. xxv. Nam, ut recte ait S. Gregorius, I part. Pastor. cap. IX: « Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. » Si ergo litteratus es, sed solitarius et absconditus, quem doces? si prædicator, quem ab bonam frugem convertis? si sapiens, cui consilium præbes? si sacerdos, cui Sacramenta ministras? si sanctus, quem ædificas? si robustus, in cujus utilitatem laboras? Quocirca Eremitæ in solitudine suos docebant discipulos et advenas, eosque ad sanctitatem efformabant. Item scribebant epistolas et libros, ut iis suam sapientiam proximis communicarent.

Egregie hoc argumentum tractat S. Gregorius III part. Pastor. admonit. 26: « Admonendi sunt, inquit, qui, cum prædicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt, ut ex minori consideratione colligant quantum in majoribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias absconderent, adjuvatores procul dubio calamitatis exstissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Unde et bene quidam sapiens dicit: Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? » Probat idipsum per tres similitudines, dum subdit: « Si populum famas attereret, et occulta frumenta ipsi servarent, auctores procul dubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sint pœna considerent, qui, cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Unde et bene per Salomonem dicitur: Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicetur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum! Unde et bene per Prophetam dicitur: Maledictus qui pro-

In eos qui refugiunt onus prædicandi.

Prov. XI.

Jerem. xxxviii.

hibet gladium suum a sanguine. Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. » Et paulo inferius: « Audiant quod talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. Audiant quod Paulus eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitis non pepercit, dicens: Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Audiant quod voce angelica Joannes admonetur, cum dicitur: Qui audit, dicat: Veni, ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat, ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Audiant quod Isaias, quia a verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna voce pœnitentiæ se ipse reprehendit, dicens: Væ mihi, quia tacui! Audiant quod per Salomonem in illum prædicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod jam obtinuit, torporis vitio non tenetur; ait namque: Anima, quæ benedicit, impinguabitur; et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui enim exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit; et dum vino eloqui auditorum mentem deebriare non desinit, potu multiplicati muneris deebriatus excrescit. Audiant quod David hoc Deo in munere obtulit, quod prædicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens: Ecce labia mea non prohibebo; Domine, tu cognovisti, justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi. Audiant quod sponsi colloquio ad sponsam dicitur: Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam, » *Cantic. cap. viii.* Hac sententia Zozimæ persuasit S. Mariæ Ægyptiacæ (ut habet ejus Vita anno Christi 630) ut angelicam vitam, quam in eremo per 47 annos nulli hominum, sed soli Deo et Angelis visa, sancte peregerat, ad aliorum exemplum panderet: « Omnia, inquit, quæ circa te sunt edi-

cito, ut Dei magnalia facias manifesta; sapientia enim abscondita et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? » Cui sententiæ ipsa obscura, omnem vitam suam Zozimæ enarravit, qui deinde eam scripto posteris mandavit: qua proinde tum alii, tum S. Joannes Columbianus Ordinis Jesuatorum institutor, ad Deum conversi sunt.

33. MELIOR EST QUI CELAT INSIPIENTIAM (SYRUS, Vers. 33. *stultitiam*) SUAM, QUAM HOMO QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM. — Tigurina clare, *potior est homo celans stultitiam suam, quam qui sapientiam suam suppressit.* Insipientia enim sapienter celatur, ne sibi aliisve noceat; sapientia autem sapienter promittitur et evulgatur ad aliorum utilitatem et instructionem.

« Porro malum est abscondere sapientiam, ait Palacius, quando Deus aut Superior jubent eam in lucem proferre, aut quando necesse est eam manifestare. Alioqui consultissime sanctissimi illi Eremitæ Dei sapientia pleni, in abditissimas solitudines se conjiciebant. Et plane, si sapientia mea utilis futura est Christianæ reipublice, curam Deus habet eam in lucem proferendi. Hoc demum non est silentio prætereundum, hæc verba (ut arbitror) præcæmum esse dicendorum, quasi vellet Auctor dicere: Sapientiam meam vobis scribo in sequentibus capitibus; quorsum enim abscondam, cum sapientia absconsa inutilis sit? » Hæc Palacius.

Complutenses hanc sententiam addunt, *melior est expectatio inevitabilis in inquisitione Domini, quam carens Domino auriga propriæ vitæ, id est, ut clare Tigurina, pluris est inevitabilis (vel necessaria) sequenti Dominum patientia, quam vitæ propriæ gubernator absque Domino.* Quæ sane in praxi aurea est sententia. Alii, *potior est potentia quæ recusari non potest, ab eo qui quærit Dominum, quam agitator vitæ propriæ sine Domino.* Verum Græca a Romanis correctæ, Latina et Syra eam omittunt; unde non habent auctoritatem Scripturæ Canonice.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet summe cavendum ab omni peccato, et præsertim a superbia; secundo, vers. 14, depingit mores stulti, eisque opponit mores sapientis; tertio, vers. 23, describit stulti immodestiam in risu, visu, auditu, voce et sermone.

1. Fili, peccasti? non adjicias iterum; sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. 2. Quasi a facie colubri fuge peccata: et si accesseris ad illa, suscipient te. 3. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. 4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. 5. Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam:

et domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia : sic substantia superbi eradicabitur. 6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, et iudicium festinato adveniet illi. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris : et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. 8. Notus a longe potens lingua audaci : et sensatus scit labi se ab ipso. 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme. 10. Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. 11. Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ. 12. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus. 13. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. 14. Non erudietur, qui non est sapiens in bono. 15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo : et non est sensus ubi est amaritudo. 16. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, et consilium illius sicut fons vitæ permanet. 17. Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. 18. Verbum sapiens quodcumque audierit sciens, laudabit, et ad se adjiciet : audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum. 19. Narratio fatui quasi sarcina in via : nam in labiis sensati invenietur gratia. 20. Os prudentis quæritur in ecclesia, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. 21. Tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia : et scientia insensati inenarrabilia verba. 22. Compedes in pedibus, stulto doctrina, et quasi vincula manuum super manum dextram. 23. Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite ridebit. 24. Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. 25. Pes fatui facilis in domum proximi, et homo peritus confundetur a persona potentis. 26. Stultus a fenestra respiciet in domum : vir autem eruditus foris stabit. 27. Stultitia hominis auscultare per ostium, et prudens gravabitur contumelia. 28. Labia imprudentium stulta narrabunt : verba autem prudentium, statera ponderabuntur. 29. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. 31. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odiatur : et qui cum eo manserit, odiosus erit : tacitus et sensatus honorabitur.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1. 1. FILII, PECCASTI? NON ADJICIAS ITERUM; SED ET DE PRISTINIS DEPRECARE UT TIBI DIMITTANTUR. — Tigurina, *si peccasti, fili, ne pergas peccare, sed antea depreceris*. Dicit, si peccasti, quia, ut habet Arabicum proverbium, *Cent. 2, num. 57*: « Omissio peccati rectior est, quam executio pœnitentiæ, » *q. d.* Melius est non peccare, quam post peccatum pœnitere : melior est innocentia quam pœnitentia : satius est non habere occasiones pœnitendi, quam pœnitere. Jam sensus est, *q. d.* Post peccatum admissum quasi post vulnus lethale acceptum, duo tibi ad salutem necessaria remedia suggero : prius, ne iteres peccatum; sunt enim multi, qui cum peccatum unum admiserint, quasi jam perditam innocentiam et gratiam desperantes, prout in omne scelus ruunt, et quasi sues in cœno voluptatum volutantur, uti faciunt meretrices et fornicatores. Hisce ait : « Fili, peccasti? ne adjicias

iterum, » tum quia iteratio peccati novum est peccatum, novumque animæ vulnus. Sicut ergo qui unum vulnus accepit, cavet ne accipiat secundum; ita et qui unum peccatum admisit, caveat ne admittat secundum, tum quia facilius curatur unum peccatum quam duo, tria et plura; sicut facilius curatur unum vulnus quam multa; tum quia in iteratione peccati est animi protervia et libido, quæ graviter Deum offendit, facitque ut difficilis sit lapsi curatio et culpæ condonatio. Huc facit Hebræorum proverbium: « Præceptum trahit præceptum, et peccatum trahit peccatum, » *q. d.* Una observatio legis, una virtus trahit aliam; sic unum peccatum trahit allicique ad aliud.

Posterius : « Sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur, » *q. d.* Non sufficit ad veniam peccati, illud non iterare, vel vitam corrigere,

quasi poenitentia non sit aliud quam respiscencia, ut fingit Calvinus et Lutherus; sed insuper opus est dolere de peccato commisso, ejusque veniam humiliter et dolenter deprecari. Ita S. Augustinus, lib. I *De Nupt. et Concup.* cap. xxvi, ubi ex hoc loco docet actum peccati transeuntem post se relinquere reatum, sive maculam permanentem in anima, per quam homo censeatur et sit peccator, ac iræ Dei et gehennæ sit obstrictus et reus. « Nam si a peccando desistere, inquit, hoc esset, non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura: Fili, peccasti? non adjicias iterum. Non autem sufficit; sed addidit: Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu? » Hæc S. Augustinus.

Moral. ci-
to pec-
catori
poeni-
tendum.

Mystice S. Gregorius, IV *Moral.* cap. xix: « Peccatum, inquit, peccato adjicit, qui male gesta etiam defendit; et noctem illam solitariam non relinquit, qui culpæ suæ tenebris etiam paternitiam defensionis adjungit, » uti fecit Adam suum peccatum excusans, imo retorquens in Deum: « Mulier quam dedisti, inquit, mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi, *Genes.* III, 12, q. d. Tu occasionem delinquendi præbuiisti, qui mulierem dedisti. » Hæc S. Gregorius.

Moraliter, hic discere post peccatum cito agendam esse poenitentiam, et post eam cavendum a relapsu, ac constanter persistendum in justitia Dei que gratia. Audi S. Gregorium III part. *Pastor.* admonit. 31: « Admonendi, inquit, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, aut considerare sollicitè sciunt, quia flendo inaniter mundant, qui vivendo se nequiter inquinant; cum ideo se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. » Et paulo post: « Sus in volutabro lutæ cum lavatur, sordidior redditur; et qui admissum plangit, nec tamen deserit, pene graviori culpæ se subjicit, qui et ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, et quasi in lutosa aqua semetipsum volvit; quia, dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit. » Quocirca languido a se sanato hoc monitum dat Christus *Joan.* v, 14: « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. » De quo S. Cyprianus, lib. *De Disciplina et habitu Virgin.*: « Sospitantis, inquit, Domini verba sunt et docentis, curantis pariter et momentis: Ecce, inquit, sanus factus es, etc., dat vivendi morem, dat innocentiam legem, postquam contulit sanitatem, nec habentis liberis et solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius, quibus sanatus fuerat, mancipato, gravius comminatur; quod sit, scilicet, minor culpa deliquisse ante, cum necdum nosset disciplinam Dei; nulla sit venia ultra delinquere, postquam Deum nosse cœpisti. » Simile appositum affert S. Fulgentius *De Fide ad Petrum*, cap. III: « Nullus, inquit, hominum debet sub spe miseri-

cordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare; tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de eo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. »

2. QUASI A FACIE COLUBI FUGE PECCATA; ET (id est *quia*: dat enim causam fugæ peccati) SI ACCESSERIS AD ILLA, SUSCIPIENT TE. — Legit Interpretes *δέξεται*, id est *suscipient*: sic quoque legit S. Augustinus in *Speculo*; jam legunt *δέξεται*, id est *mordebit*: *δέξεται* enim significat mordere, *δέξεται*, suscipere. Sed eodem redit sensus, q. d. Peccata suscipient te quasi colubri et serpentes suis spiris, ut te mordeant, suumque virus tibi instillent, quo ita lædent animam tuam, ut naturaliter sanari nequeas per te, sed ut saneris opus habeas gratia Dei supernaturali. Figurina, *tanquam a conspectu serpentis fuge peccatum*; alii, *tanquam serpentes fuge peccatum*; nam si accesseris, mordebit te. Eleganter S. Paulinus Natali x S. Felicis:

Ut faciem colubri Salomon peccata timeri
Horrorique monet, dicens armata leonis
Dentibus: et vere, quoniam velut ore ferino
Sæva vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.

Alludit ad serpentem, per quem diabolus Evam ad peccatum pertraxit. Peccatum ergo est quasi serpens et basiliscus, qui visu solo quos aspicit necat; imo serpente ipsoque diabolo est nocentius, adeoque peccatum ex angelo pulcherrimo et felicissimo fecit teterrimum et miserimum diabolium. Unde Rabanus: « A facie colubri exponit a facie diaboli. Coluber enim ille antiquus, inquit, qui semper colit umbras peccatorum, et regnat in filiis tenebrarum, interitum nostrum sine cessatione desiderat, ideoque nobis suggerit opera facinorosa. » Syrus, *fili mi, multum fuisti fugiens a peccato; si appropinques ad illud, mordebit te*. Per *morsum* hunc intellige omnem noxam, quam animæ infert peccatum, ac præsertim remorsum conscientiam, juxta illud Dei ad Cain, *Genes.* cap. iv, 7: « Sin autem male (egeris), statim in foribus peccatum aderit; » Hebr. *accubabit*: « Videlicet more serpentis et canis morosi, inquit noster Delrio, *adagio* 9, qui nec egredi, nec ingredi hominem tranquille sinat, sed importuno latratu semper inquietet, hoc sensu perpetuo tibi tuum peccatum ante pedes, ante oculos observabitur, ut te Deus ad tempus sinat impunitum; ipse peccati morsus, angues, furiam acriter urgebunt, agitabunt, persequentur; quocumque perges, peccatum te comitabitur, conscientiam tuam se oggeret et ingeret, irrequietum malum te conquiescere animo non permittet. »

Huc facit proverbium Hebraicum: « Cogitationes peccati (de peccato admissio) graviores sunt quam peccatum; » quia cogitationes remordeant

Vers. 2.
Fuge
peccatum
quasi
colu-
brum.

tes conscientiam ob peccatum perpetratum gravius eam affligunt et cruciant, quam ipsum peccatum.

Porro S. Chrysostomus, homil., 8 *in Epist. ad Roman.* notat \rightarrow *si accesseris*. « Non enim, inquit, peccatum ad nos accedit, verum nos ad illud transfugimus. » Additque diabolus inter nos habitare « quasi latronem quemdam et tyrannum, qui, nisi quem apprehenderit inermem ac solitariam, in suas speluncas descendente, accedere sane non sustinet. » Subdit eum similem esse serpenti: *primo*, quia deorsum ad terram et terrena nos trahere satagit; *secundo*, quia sicut serpens in spinis, sic dæmon in divitiis latitat et se occultat; qui, si spinas incideris, illico auferiet; *tertio*, sicut serpens incantatur carmine; sic diabolus exorcizatur et fugatur per invocationem nominis Christi, et crucis potentiam. Rursum notant nonnulli \rightarrow *a facie colubri*. Qui enim sapiens est, non tantum serpentem et colubrum fugit, sed etiam *faciem colubri*, id est, occasionem peccati, et omnem ejus ingressum perhorrescit: qui enim ad occasionem et illecebram peccati accedit, ab ea suscipitur, implicatur et dementatur.

Vers. 3.
Et quasi
leonem.

3. DENTES LEONIS, DENTES EJUS, INTERFICIENTES ANIMAS Hominum. — Tigurina, *dentes leonini sunt dentes ipsius animis hominum exitiales*; Syrus, *sicut dentes leonis est mendacium* (omne enim peccatum vocatur in Scriptura et est *mendacium* praeceptum, quia contrarium veritati, veroque dictamini rationis, legis et virtutis), et corrumpit animas hominum. Comparavit peccatum serpenti ob virulentiam et clandestinum morsum lethiferum; nunc idem comparat leoni, ob saevitiam et ferociam, qua crudeliter animam laniat et occidit, tum adimendo gratiam, tum adigendo ad gehennam.

Vers. 4.
Et quasi
rhomphaeam.

4. QUASI RHOMPHAEA BIS ACUTA OMNIS INIQUITAS, FLAGRA ILLIUS NON EST SANITAS. — Graece *laxis*, id est sanatio, vel remedium et curatio. Pro *bis acuta* Graece est *δυσκμος*, id est anceps, biceps, utrimque scilicet acutus, sive duas habens acies quasi ora, quibus peccatorem secet, mordeat et devoret. Comparavit peccatum leoni et serpenti, nunc comparat rhomphaeae, sive gladio utrinque scindenti, *q. d.* Peccatum est quasi gladius acutissimus, qui ipsa ossa dissecat et discindit; sic enim peccatum intima animae dissecat, ipsamque animam necat et occidit. Tigurina, *instar ancipitis gladii nefas omne est, in plaga illius nulla est sanitas, vel contra plagam illius nullum est remedium*; Syrus, *gladius anceps os meretricis, et plagae illius non est sanatio*. Meretricium enim crebrum est et commune peccatum, adeoque omne peccatum mystica est fornicatio, quia per illud anima desponsata Deo, eo spreto, fornicatur cum creaturis.

Moraliter, discite hic quanta sit noxa peccati. Ipsum enim magis nocet animae quam basiliscus, quam leo, quam gladius anceps, quia quasi ex duabus

partibus scindens animam simul et corpus perforat, occidit, et ad gehennam transmittit. Ita Rabanus. Vide Bellarminum, *De Gemitu columbae*, sub initium lib. II, ubi pie et erudite ostendit peccatum summum esse malum, summeque injurium et noxium tum Deo, tum homini, tum creaturis caeteris, tum ipsi etiam inferno et damnatis; quia videlicet eorum poenam adauget: unus enim damnatus affligit et cruciat alium, ideoque dives Epule rogabat Abraham ut mitteret Lazarum ad fratres suos, ne si et illi damnarentur, per eos augetur poena ipsius. Dixit enim petitque hoc non ex charitate eorum, utpote quam non habebat, sed ex amore sui ipsius. Sic et S. Anselmus, lib. *De Similitud.* cap. cr: « Peccando, inquit, non solum iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus. Potest ergo nobis justa consideratione terra dicere: Non debeo vos sustinere, sed potius absorbere; quoniam a Creatore meo non timuistis peccando recedere, et inimico ejus, diabolo scilicet, adherere. Potest etiam cibus dicere et potus: Non meruistis ut vos pascere debeamus; imo potius ut confusionem vobis praeparemus: ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis et fons luminum, penitus coercere. Sic etiam singulae quaeque creaturae contra nos possunt surgere irrefragabili ratione. »

Peccatum nocet toti mundo.

Denique peccatum petit jugulum Dei et Christi, adeoque si cor Dei telo quopiam transfigi posset, non alio quam peccato transfigeretur. Peccatum ergo, quantum in se est, Deum e medio tollit. Peccatum est christicidium, imo deicidium. Quocirca tanta est vel unius peccati mortiferi malignitas, tanta in majestatem illam infinitam injuria, ut omnibus Sanctorum, Angelorum et hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliationibus, poenitentibus, afflictionibus ex aequo, et, ut ita dicam, ad aequilibrium justamque aequalitatem, nequeat compensari. Cum igitur nullum remedium nec in terra, nec in caelo malis nostris medendis, et bonis amissis recuperandis appareret, nec ullus Angelus, aut ulla mens creata quidquam congrui auxilii posset invenire; misericordia divina inauditum, admirabile, inefabile, incomprehensibile, omnibus saeculis, omnibus Angelis et hominibus obstupescendum excogitavit consilium, nimirum ut Filius Dei, Sapia genita, per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, et in ea ac per eam totum genus humanum repararet.

Peccatum est quasi deicidium.

Audite, mortales, audite, peccatores, S. Augustinum, serm. 114 *De Tempore*: « Agnosce, homo, inquit, quantum valeas et quantum debeas; et dum tantam redemptionis tuae perspicias dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia

illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia affigitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expavit scelus hominum natura rerum; et quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi dominum tremens terra testatur, et cœli Regem sol fugiens confitetur.»

Vers. 5.

5. OBJURGATIO ET INJURIE ANNULLABUNT SUBSTANTIAM: DOMUS, QUÆ NIMIS (valde) LOCIPLES EST, ANNULLABITUR SUPERBIA (per superbiam, in penam superbiam superbæque discordiæ et injuriarum); SIC SUBSTANTIA SUPERBI ERADICABITUR. — A genere descendit ad speciem, puta a peccato ad superbiam, quia hæc peccatorum est regina, imo mater, fons et radix. Pro *objurgatio* Græce est *καταργήσις*. Unde Rabanus et alii Græcam vocem latinitate donantes, legunt *cataplectatio*; *καταργήσις* autem est *objurgatio* superba, severa et acris, horribilis et formidabilis, quæ animos subditorum et servorum concutit, percellit, sternit et stupefacit, redditurque quasi attonitos et apoplecticos: *καταργήσις* enim est perferreo, injicio pavorem, percello: inde *καταργήσις* vocatur timore percussus, stolidus, stupefactus, attonitus; et *καταργήσις* vocatur pavor, confusio, stupor; unde Lucretius: «Magna, inquit, atque immanis *καταργήσις*, velut quæ quasi numen attonitos stupefacte efficiat granditate sua.» Pro *injuria* Græce est *βλάβη*, id est, superba violentia, immanior improbitas, contumelia, sævitia, ferocia, procacitas, petulantia, fastus, insolentia, protervia: *βλάβη* enim est injurius sum, injuriam facio, contumeliose tracto, insolens sum, insulto, abuter, vim infero, stupro, contamino: inde *βλάβη* vocatur injurius, convitiator, stuprator, corruptor, flagitiosus, impotens, insolescens ob copias et potentiam, oppressor, violentus. Sensus ergo est, q. d. Herus vel dominus, qui superbe objurgat, injuriam inferit, et tyrannice tractat suos servos, subditos, cæterosque qui in sua familia vel dominio degunt, hic attenuabit et ad nihilum rediget suam *substantiam* et opes; quia ob nimiam asperitatem, fastum et injurias servos et ministros faciet fugitivos vel fures. Sic Roboam ob superbium et asperum responsum datum decem tribubus Israel, eas a se alienavit, regnumque perdidit, III Reg. cap. XII. Id fit justo Dei judicio, qui superbiam et superbos juste opibus, regno et dominio privat et punit. Græcus hic de more brevis et bimembris sic habet, *vehemens objurgatio et contumelia annullabunt substantiam*: sic domus superbi annullabitur; Tigurina, *concertationes et injuriarum opes dissipant*: similiter domus superbi desolabitur; alii, *insultatio et contumelia desolant opes*: sic et domus superbi ad eremum vel desertum redigetur: hoc enim est Græcum *ερημώθησεν*; Syrus, *a mane usque ad vespem vastat cenacula, et palatia multa subvertit vel eradicat et excellit*. Græcis adap-

tanda esse Latina censet Jansenius et Franciscus in *Notis* hic, ac proinde delendum esse *et sic substantia superbi eradicabitur*. Verum Romani codices et cæteri plerique constanter id legunt, sensumque per hoc faciunt uberiorem et clariorem.

6. DEPRECATIO PALPERIS EX ORE USQUE AD AURES Vers. 6. EJUS PERVENIET, ET JUDICIUM FESTINATO ADVENIET ILLI.—«Ejus,» scilicet Dei (ut habent nonnulli codices), cujus proprium est deprecationes pauperum audire et exaudire. Dat causam cur substantia superbiorum et violentorum annulletur, quia, scilicet, subditi et pauperes ab eis oppressi clamant ad Deum, Deus autem eos exaudit: unde quasi justus vindex suum in eos judicium cito profert, oppressores puniendo, oppressos liberando. Nota *et ex ore usque ad aures, q. d.* Os pauperum oppressorum quasi vicinum est auribus Dei, ita ut deprecatio ore eorum prolata mōx tangat et feriat aures Dei. Oppressio enim pauperum est peccatum clamans in cœlum, quod illico vindictam Dei ciet et extorquet. Unde Tigurina vertit, *ab ore pauperis vel afflictivi exaudietur precatio, q. d.* Mox ut oratio ore afflictiorum prolata fuerit, audietur a Deo; unde subdit: «Judiciumque illius festinato veniet.» Syrus eleganter, *oratio pauperis tanquam ab ore suo ad aurem suam, et ante judicem sæculorum ascendit, q. d.* Os pauperis est os Dei, et vicissim auris Dei est auris pauperis. Quam facile ergo sermo ex ore pauperum ad aures ejusdem ascendit, tam facile quoque et cito ab ore eorum ascendit ad aures Dei, quia Deus ori eorum vicinus est, imo ori eorum insidet, in eoque format precationem qua opem suam invocent, ut invocatus illico eam præstet. Hoc est quod ait Psalter *Psalms. IX, vers. 17.* «Desiderium pauperum exaudivit Dominus.» Non enim expectat Deus pauperem oppressum ad se clamantem ut eum audiat, sed clamorem ejus prævenit, et merum desiderium audit et exaudit.

7. QUI ODIT CORREPTIONEM, VESTIGIUM EST PECCATORIS: ET QUI TIMET DEUM, CONVERTETUR AD CORRECTUM. — Prosequitur materiam de superbia et peccato, fugaque peccati: magna enim superbia, magnumque peccatum est, odio prosequi corripientem se de peccato. Hoc enim odium signum est animum in peccato esse obfirmatum et obduratum, ut monitiones et monitores non admittat, sed quasi inimicos odiat, respuat et exsecratur. Unde Græce est, *qui odit reprehensionem, in vestigio est peccatoris, q. d.* Inhæret viis et vestigiis peccati et peccatoris, per easque constanter et irrevocabiliter incedit et ingreditur. Tigurina, *qui odit castigationem, in vestigio scelerosi constitit*; Syrus, *qui odit correptionem, vir iniquus*. Noster vero in *vestigio*, legit *vestigium*, alia significatione, sed eodem sensu.

Pro quo notandum, quod *vestigium* proprie sit pedis impressio, id est, signum et figura quæ in terra a pede relinquitur, juxta illud Virgillii, lib. III *Georgic.*:

Vestigium
tria si-
gnificat.

Et gradiens ima verrit vestigia cauda.

Et Plautus in *Cistellar.*: « Video vestigium in pulvere. » Hinc *secundo*, « vestigium » metonymice vocatur ipsa ima pars pedis, quæ vestigium terræ imprimit. Sic Cicero IV *Academ.* ait: « Adversis vestigiis contra nostra vestigia stant Antipodes. » Tertio, « vestigium » sumitur pro reliquiis, monumento, indicio; quia vestigium est indicium, et quasi reliquiæ pedis impressi, ex quo vestigamus et conijcimus quis, qualis, et quantus fuerit pes et homo qui illud efformavit. Sic Cicero ait Act. 7 in *Verrem*: « Cujus rei neque index, neque vestigium aliquod. » Et Virgilius, IV *Æneid.*:

Agnosco veteris vestigia flammæ.

Sic ergo « vestigium » vocatur indicium et nota, quæ rei formam et qualitatem ostendit: et *vestigium* est quærere diligenter, quasi per vestigium indagare: quod a vestigiis, quasi indicibus dicitur.

Græcus ergo cum ait, *qui odit correptionem, in vestigio est peccatoris*; sumit « vestigium » proprie in primo significato jam assignato; Noster vero cum vertit, « vestigium est peccatoris, » sumit in tertio significato, *q. d.* Cum quis odit correptionem, id ipsum « vestigium, » id est, certum indicium et signum, « est peccatoris, » puta hominis animique plane suis cupidinibus et peccatis affixi. Peccator enim significat eum qui habet habitum peccandi, ut peccatis assuetus, iis constanter et pertinaciter adhaereat. Ex adverso: « Qui timet Deum, convertetur ad cor suum; » Tigurina, *at qui reveretur Dominum, respiciet ex animo*; Syrus, *et qui timet Dominum, pœnitent ex corde suo, q. d.* Peccator correptus odit correptionem: at vero qui timet Deum, si de quopiam delicto corripitur, ad cor redit, culpam agnoscit, pœnitet, vitamque mutat et corrigat. Igitur « vestigium, » id est, argumentum absoluti et consummati « peccatoris, » est odisse correptionem; nam qui timetur Deum, ut corripitur, ad cor suum redit, ut se emendet. Ergo sunt gradus in hac re. Est enim amare correptionem, est pati, est odisse. Primum, est signum prædestinationis, ut ultimum reprobationis. Nota phrasim Hebræam. *Converti ad cor*, est pium esse: ut enim peccando, relicto Deo, qui habitabat in corde, egreditur peccator e corde ad temporalia: ita in justitia vivendo, e temporalibus regredimur ad cor, ubi habitat Deus: ut simus homines interiores, juxta S. Paulum, et ut « omnis decor » noster sit « ab intus, » juxta Davidem, *Psal.* XLIV, 14. Ita Palacius. Porro Rabanus per peccatorem accipit diabolum, *q. d.* « Qui non vult se corrigere a peccatis, et odit correptionem admonitoris, ipse indicium præbet in se nequitiae sui seductoris, quoniam malignus induravit cor ejus, ne cederet et obaudiret veritati. »

Nec tantum veritati, sed et charitati: nam correptio est instar speculi, quod nobis ostendit

maculas, quæ nos deturpant et infamant, ut eas eluamus. Unde Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædagog.* cap. IX: « Quemadmodum, inquit, speculum non est malum deformi, eo quod ipsum ostendat qualis sit: ita nec is qui reprehendit, ei male vult qui laborat animo; nec enim ei delicta adjungit, sed ea quæ adsunt peccata ostendit. » Rursum, *correptio* est pharmacum eluens maculas et sanans animæ morbos; qui ergo eam odit, suam sanitatem odit. Unde exclamat S. Bernardus, serm. 42 in *Cantic.*: « Mira perversitas: medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti. » Quin et Psaltes: « Consumetur, inquit, nequitia peccatorum, et diriges justum, » *Psal.* VII, 10. Ubi D. Chrysostomus: « Infer, inquit, supplicium, et cessare facies a vitio: quemadmodum enim putrefactiones cedunt usturis et sectionibus, ita et a supplicio arcetur improbitas. Qui scinditur et uritur, ita ad sanitatem ingreditur. » Unde Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* cap. VIII: « Est, inquit, reprehensio, veluti quædam chirurgia affectionum animæ; medicamentum autem est, probri insimulatio: quæ resolvit affectiones quæ jam occalluerunt, impudicæque ac libidinose vitæ sordes expurgat, fastusque ac superbiæ carnes, quæ excreverunt, exæquat. Jam vero admonitio est veluti quædam diæta ægrotantis animæ; quæ sunt sumenda, consulit; et quæ non sunt, prohibet. » Et paulo post: « Benevolentiae, inquit, non odii, signum est reprehendere: ambo enim probum objiciunt et amicus et inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus vero benevolens. »

Moraliter, disce hic proprium timentis Deum esse crebro introverti, et a rebus externis converti ad cor, ut ibi internum animæ suæ statum, sensusque et affectus omnes examinet, corrigat et componat ad legem et voluntatem Dei. Quocirca virum bonum et sapientem ita pingit Ausonius S. Paulini magister, *Idyllio* 16:

Vir bonus et sapiens (qualem vix reperit unquam
Milibus e multis hominum consultus Apollo),
Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus:
Externæ ne quid labis per levia sidat,
Cogitat, et justo trutinæ se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amissis.

Et mox:

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei:
Quæ prætergressus, quid gestum in tempore, quid non;
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi;
Cur aliquem fracta persensit mente dolorem, etc.

8. NOTUS A LONGE POTENS LINGUA AUDACI: ET SEN- Vers 3.
SATUS SCIT LABI SE AB IPSO, — *q. d.* Qui « potens » est « lingua audaci, » id est, qui pollet audacia dicendi,

Odiens
correptionem
odit medicinam.

Sancit
crede re
redem
ad cor.

hic «longe» latèque «notus» est, celebris et famosus: plebs enim et rude vulgus miratur ejus in dicendo audaciam et facundiam; at vir prudens et «sensatus» deprehendit, scitque ipsum multa falsa et temeraria audacter effutire, seque, si ei credat et adhærat, «ab ipso labi,» id est, falli et decipi, ac ruere in multa incommoda et pericula, v. g. litium, rixarum, seditionum, carcerum, ut bonorum et vitæ discrimen incurrat: quare ei non credit, ac sibi ac ejus consortio cavet. Hæc quoque spectant ad superbos et superbiam: ipsa enim est mater audaciæ, facitque linguam audacem et effrenem.

Græca de more concisa sic habent, *notus a longe potens in lingua: sensatus autem novit cum ille labitur*; Tigurina, *potens procul ex sermone notus est: at qui sapit, caducum* (qui facile in errorem labatur et cadat) *esse meminit*; Syrus vero de sensato tantum sic habet, *sapiens e regione* (ex intuitu et aspectu) *oculorum suorum dignoscitur, et scrutatur in momento iniquum*. Hinc discite audaces et effrenes in loquendo esse insipientes, sapientes vero esse modestos et cautos, ideoque facile audacium insipientiam et falsitatem deprehendere et arguere.

Aliter Palacius, qui *scit labi* accipit pro *novit elabi*, ideoque sic explicat, *q. d.* Qui linguam audacem habet, sit tibi non prope, sed a longe notus; et si tibi appropriaverit, si sensatus es, elabere ab illo: cum enim ille linguam ardentem habeat, aduret te, nisi elabaris; et cum linguam venenatam afferat, effundet in te virus suum; cum linguam peste infectam adducat, pestis contagio te inficiet. Tu ergo cordate effugies illum, non eum offendendo, ne in te virus evomat; sed causas afferendo idoneas, cur ab eo mature discedas. Verum priorem sensum exposcunt Græca, et *scit se labi*. Sic enim habet Latina versio, non autem *scit labi*, id est elabi.

Vers. 9. 9. QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IMPENDIS ALIENIS, QUASI QUI COLLIGIT LAPIDES SUOS IN HIEME. — Ex prima specie peccati, puta superbia, descendit ad secundam ex illa manantem, puta injustitiam. Solent enim divites superbi per injustas angarias, exactiones et oppressiones pauperum augere suas opes et domos, *q. d.* «Qui ædificat domum suam,» non suo sumptu, sed alieno, puta injuste, per vim, fraudem, aliamve injustitiam ab aliis extorto vel rapto; hic similis est homini, qui ædificaturus colligit lapides ad fabricandum in hieme, Græce *eis χειμῶνα*, id est, in hiemem, vel ad hiemem: ut scilicet in hieme ædificet, tempore nimirum importuno. In hieme enim ob frigus calx congelatur, aut ob humorem dissolvitur; quo fit ut lateres et lapides inter se non satis firmiter conglutinet: qua de causa hiemalia ædificia rimas agunt, et facile corruunt, nec diu durant. Simili enim modo facultates alienæ nunquam inter se cohærent, et in unam rem coeunt; sed solutæ et dissectæ ruunt. Quare qui ex alieno vel rapto ædificat domum, illa diu non fruetur;

sed vel ipse cito morietur, vel domus corruet aut ad alium transferetur, ulciscente sic Numine ejus injustitiam, ut in domo quam fabricando peccavit, in eadem et puniatur. Hæc enim est congrua talionis pœna. Complutenses pro *eis χειμῶνα*, habent *eis χύμα τῶνς αὐτοῦ*, id est *in tumultum sepulture suæ, q. d.* Qui ex alieno ædificat domum, non tam domum quam tumultum et sepulcrum sibi ædificat; quia in illa brevi morietur et sepelietur. Sic et Tigurina, *qui ære alieno domum suam ædificat, congerenti lapides in tumultum sepulture suæ similis est*; et Syrus, *qui ædificat domum suam facultatibus sociorum, congregat lapides tumulto suo*; ut facultates hæ quasi lapides in tumultum coacerati, mole sua ipsum opprimant et sepeliant; quia, scilicet, domino suo interitus sunt causa, et celeriolem mortem ipsi conciliant.

Alludit, imo citat illud *Jerem. xxxii, 13*, de Joakim rege impio: «Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei.» Unde pœnam sepulcri jam dicti ipsi intentat vers. 19, dicens: «Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.» Jeremiam secutus Habacuc cap. ii, vers. 9: «Væ, inquit, qui congregat avaritiam malam domui suæ, etc. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate.» Vide utrobique dicta.

Aliter Palacius: Tempore hiemali, inquit, non sunt lapides colligendi, sed ligna contra frigus. Si igitur in hieme colligas lapides, stultus eris; qui non ligna quibus calescas, sed lapides sine utilitate collegisti: ita si ære alieno domum ædificas in qua habites, stultus eris; non enim in ea habitabis, sed potius a creditoribus inde expelleris. Verum priorem sensum exposcunt Græca.

Mystice idem Palacius: Cum, Domino dicente, temporalia nostra plane non sint, sed aliena («si in alieno, inquit Dominus *Luca xvi, 12*, fideles non fuistis: quod vestrum est, quid dabit vobis?») qui ex temporalibus domum suæ conversationis ædificat in terris, plane stultus est. Cum enim habitare hic voluerit, inde pelletur.

Vers. 10. 10. STUPPA COLLECTA SYNAGOGA PECCANTUM, ET CONSUMMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS. — Complutenses addunt *in perditionem*. Culpæ assignat pœnam, *q. d.* Putant potentes et superbi se esse insuperabiles, invictos et quasi omnipotentes; at revera omnis eorum «synagoga,» id est, cœtus et multitudo, fragilis est, instar stuppæ collectæ. Sicut enim stuppa illico ab igne vicino corripitur conflagratque, et quo major est stuppa, eo facilius magisque ignis inflammatur: ita pariter ignis vindictæ divinæ facillime corripet et consumet omnes peccantes, eoque facilius et ardentius, quo major fuerit eorum synagoga et multitudo. Hæc enim non est aliud quam «stuppa collecta» id est, momentum et pabulum iræ et indignationis divinæ, æque ac ignis conflagrationis orbis in fine mundi,

ac iudicii divini et gehennæ, juxta illud *Malach. IV, 1*: « Et erunt omnes superbi, et omnes facientes iniquitatem stipula: et inflammabit eos dies veniens. » Unde in Græco est elegans paronomasia inter *συναγωγή*, id est, collecta, in unum coacta; et *συναγωγή*, id est, synagoga, cœtus, congregatio, q. d. Impiorum synagoga non est aliud nisi stупpa coacta ad ignem, nisi synagoga, id est congregatio, ignis.

Nota: « Consummatio » primo, idem est quod *consumptio*, q. d. « Consumptio illorum » erit « flamma ignis, » hoc est, flamma ignis consumet eos. *Secundo*, « consummatio, » id est finis, « illorum » erit « flamma ignis; » hoc innuit Græcum *συντέλεια*: nam *τέλος* est finis. Porro, ignis hic consumens impios est quintuplex. *Primo*, ignis indignationis Dei. *Secundo*, vindictæ, qua Deus impios igne, id est, peste, fame, gladio (*ignis enim significat omnem acrem vindictam, omneque ejus instrumentum*) perdit in hac vita. *Tertio*, ignis conflagrationis mundi: hic enim superbos cum eorum domibus et opibus comburet. *Quarto*, ignis acerrimi iudicii divini, quo Christus scrutabitur, damnabit et percellat improbos in ultimo die mundi, de quo ait *Daniel. VII, 10*: « Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. » *Quinto*, erit ignis gehennæ, de quo vers. seq. Unde Complutenses addunt, *in perditionem*; et Tigurina, *stупpa collecta cœtus est nefariorum, flammaque ignis exitialis eorum exitus*. Ex quo infert Palacius, impios in gehenna non esse solutos, ut libere vagentur, sed esse colligatos in fascem, ut ait *Isaias cap. XXIV, 22*. Hoc enim significat « stупpa collecta, » scilicet, eos collectos, vinctos jacere, et velut stупpam constipatam comburi, juxta parabolam zizaniorum, de quibus ait Christus: « Alligate ea in fasciculos ad comburendum, » *Matth. XIII, 30*. Denique hæc erit impiorum « consummatio, » id est finis, sed sine fine. Eorum enim finis erit perpetuum incendium, et perennis flamma ignis, quæ ex eorum corporibus velut titionibus sursum ascendet, ait Palacius.

Moraliter, discant hic peccatores, evanidas esse suas vires, opes, conspirationes, fœdera, quibus fidem vel justitiam opprimere satagunt, adeoque ea non esse aliud quam stупpam collectam ad ingens incendium. Ex adverso justii et pii qui ab eis vexantur vel opprimuntur, nil eos formident, certique sint eos brevi, ut stупpam igne vindictæ divinæ conflagrandos. Unde Rabanus: « Comparat, inquit, rei fragili peccatorum synagogam, ut ostendat ejus vilitatem et velocissimum interitum: quia sicut stупpæ collectio igne adhibito facile conflagrat, ita peccatorum cœtus in futura vindicta sine mora disperiet. »

11. VIA PECCANTUM COMPLANATA LAPIDIBUS, ET IN FINE ILLORUM INFERI, ET TENEBRE, ET PŒNÆ. — Græce, *in fine illorum fovea inferni, q. d. Via concupiscentiæ per quam incedunt peccatores, initio videtur concinna, pulchra, amœna et jucunda,*

perinde ac si lapidibus planis esset strata et complanata: at postmodum apparet aspera, tristes et horrida; nam finis ejus deducit et desinit in infernum, ubi sunt tenebræ densissimæ et pœnæ atrocissimæ. Sicut ex adverso via virtutis per quam incedunt justii, initio est aspera et stricta; sed progredientibus in ea paulatim fit laxior, faciliior et amœnior, ac tandem eos deducit ad beatitudinem et gloriam æternam. Alludit ad *Prov. XIV, 12*: « Est via, quæ videtur homini recta: novissima autem ejus deducunt ad mortem. » Hoc est quod ait Christus *Matth. VII, 13*: « Spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! » Idem representabat Pythagoras per suum Ypsilon, de quo exstat elegans epigramma Virgilii:

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humana vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditam primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata; sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

Sytus hunc versum et præced. hoc uno exprimit, *sicut ascensus arenæ pedibus viri senis* (alia lectio habet *duri, asperi*); *ita robur iniquorum juxta ignem, et semita impii offendiculum est illi; quia finis ejus fovea profunda est, q. d.* Sicut ascensus arenæ initio mollis et facilis est, sed quo altius per eam ascendit senex, eo fit ei difficiliior, quia arena in cumulum assurgens ascendenti fit profundior, ita ut tandem non tantum pedem, sed et reliquum corpus sorbeat, et in voraginem sive abyssum arenæ demergat: ita plane via impiorum initio facilis, sensim fit difficiliior, ac tandem in abyssum ignis aeterni eos demergit: quare semita impii fit ei offendiculum, quia finis ejus est fovea inferni.

12 et 13. QUI CUSTODIT JUSTITIAM, CONTINEBIT SENSUM EJUS. CONSUMMATIO TIMORIS DEI, SAPIENTIA ET SENSUS. — Complutenses, *sapientiæ assumptio. Justitiam* vocat observationem legis, hæc enim facit hominem justum; *sensum* vocat mentem et sententiam. Unde Græca habent, *qui custodit legem, tenet νόημα*, id est, *cogitationem, notionem, intellectum, sensum ejus, q. d.* Qui observat legem, hic acquiritur legis intelligentiam, hic percipit ac perspicit legis mentem et sensum, ut videat quid lex jubeat et velit, ejusque finem et causam, æque ac sapientiam et ordinem, scilicet, quam id quod Deus lege sua præcipit et sanxit, sit æquum, justum, sanctum; quam sapienter ordinatum ad suum finem, quam justa de causa sancitum. Lex enim Dei non tam speculando quam practicando discitur et intelligitur, uti docet S. Bernardus, *epist. 108*: « Quam utique scientiam, inquit, haud facile nisi qui mundo crucifixus erit, apprehendit. Falleris, fili, falleris,

Symbolum Pythagoræ de via virtutis et vitii.

Vers. 12 et 13.

Ignis impiorum quintuplex.

Impii colligati in gehenna.

Vers. 11.

Osee x. 12. si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli discipuli, id est mundi contemtores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio; non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit Osee x, 12, vobis in justitia, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Vides, quia non recte proditur ad lumen scientiæ, nisi justitiæ germen præcedat ad animam: ex quo formetur granum vitæ, et non palea gloriæ. »

Ex quo recte infert Siracides: « Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus, » q. d. Perfectio timoris Dei, quæ consistit in perfecta observatione legis Dei, parit veram sapientiam et intelligentiam, adeoque ipsa est vera sapientia et intelligentia. Vere enim sapiens et intelligens est, non qui alta speculatur, sed qui timet Deum, ejusque mandata opere exsequitur. Unde Tigurina vertit, *finis religionis Domini est accessio sapientiæ*, id est, ad sapientiam; Syrus, *qui timet Deum, nullius rei indigebit*. Quare sapientis et sapientiæ est timere Deum, ut nulla re indigeat, sed Deus ei de omnibus abunde provideat. Rursus *sensus justitiæ*, inquit Palacius, est quædam lux intellectualis a Deo homini pio infusa, qua acute, intime, affec-

tuose et amanter divinam legem intelligit, Deique justitiam penetrat et amat. Ait ergo Auctor: Qui custodit justitiam, assequitur illum sensum ejus, quo viri docti et pii non destituuntur. Unde egregie infert: Perfectus et consummatus timor Dei socios habet *sapientiam*, id est, divinam in affectu *dilectionem*; et *sensum*, id est, divinam in intellectu lucem. Hanc lucem, hunc sensum, hanc Spiritus Sancti doctrinam non accipiet qui non est sapiens in bono. Beatus enim ille est, quem tu erudieris, Domine: is non est sapiens in malo, sed sapiens in bono.

Nota: Pro *continebit sensum ejus*, Græcè est *κρατεί* (vel, ut alii legunt, *κατακρατεί*) τοῦ ἐνοήματος αὐτοῦ, ubi si per spiritum lenem legas *αὐτοῦ*, significat *ejus*; sin per asperum *αὐτοῦ*, significat *suum*, itaque legunt plerique. Unde Complutenses vertunt, *qui custodit legem Domini, dominatur cogitationi suæ*; Romana, *continet sensum suum*; Tigurina, *qui servat legem Domini, cogitationibus suis imperat*; Syrus, *qui custodit legem, subigit* (vel affligit) *appetitum suum*. Lex enim refrenat motus inordinatos appetitus et concupiscentiæ, eosque ordinat et componit. Quare qui legem Dei observare satagit, appetitus suos domet, legique Dei subjiçiat.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA OPPONIT MORES STULTI MORIBUS SAPIENTIS.

Ver. 14 et 15

14 et 15. NON ERUDIETUR, QUI NON EST SAPIENS IN BONO. EST AUTEM SAPIENTIA (ita Romana et Græca: perperam ergo aliqui contrarie legunt, *insipientia*), QUÆ ABUNDAT IN MALO: ET NON EST SENSUS UBI EST AMARITUDO. — Græcus de more brevis et bimembris sic habet, *non erudietur qui non est astutus: est enim astutia multiplicans acerbitatem*, puta malitiam; Tigurina, *qui non est callidus non erudietur: erudit se: est autem cum et calliditas amaritudinem multiplicat*. Distinguit duplicem *πρωυργια*, id est, astutiam, calliditatem et sapientiam. Unam in bono quæ vera est, alteram in malo quæ adumbrata, ficta et falsa est, q. d. Astutia et sapientia vera consistit in observatione legis Dei, uti dixi vers. præced. Quocirca ea non erudietur, nec ejus est capax qui non est *πρωυργος*, id est, astutus et sapiens in bono, qui scilicet non sapit, non amat, non operatur bonum. Est enim quædam *πρωυργια*, id est, astutia et sapientia, « quæ abundat in malo, » ut scilicet mala multa astute molietur et perpetret, juxta illud *Jerem. iv, 22*: « Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem agere nescierunt. » Hæc non est vera sapientia, nec verus sensus, veraque prudentia; « et, » id est quia, « non est » verus « sensus, » id est, vera sapientia, intelligentia et prudentia, « ubi est amaritudo, » Græcè, *πικρία*, id est, malitia quæ amaricat animum, eumque facit

acerbum tum sibi, tum Deo, tum proximis. Idque *primo*, quia « amaritudo, » id est, ira et rancor, offuscat judicium, illudque facit amarum, indignans et rancidum. *Secundo*, quia Deus sua luce cœlesti sensuque divino non donat, nec dignatur eos, in quibus est hæc amaritudo. Unde S. Jacobus cap. iii, 14: « Si zelum, inquit, amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. »

Porro *πικρία*, id est *amaritudo*, est animi ægritudo et morositas. Unde Cicero *ad Atticum*: « *Amariorum me senectus facit, stomachor omnia;* » sed maxime, *πικρία* est acerbitas animi ultionem ex-petentis. Unde *πικροί* dicuntur amari et amarulenti, teste Gellio, qui exasperantur odio tendente ad vindictam, qui scilicet iram odiumque non deponunt, nec condonant, sed diu reservant. Sic Theocritus Pana vocat *πικρία*, id est, amarum; causamque addit: « Quia illi bilis aeris semper naribus insidet. » Quocirca S. Paulus *Ephes. iv, 31*, monet dicens: « Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. » Et *Hebr. xii, 15*: « Ne qua radix amaritudinis, inquit, sursum germinans impediatur. » Alludit ad *Deuter. xxix, 18*: « Ne forte, etc., sit inter vos radix germinans fel et amaritu-

Sapientia vera et falsa q. d.

Amaritudo tollit sapientiam duabus de causis.

dinem. » Ubi ostendi omnem malitiam, omneque peccatum vocari fel et amaritudinem, causamque assignavi.

Vers. 16. 16. SCIENTIA SAPIENTIS TANQUAM INUNDATIO (Græce *καταχειμασία*, id est eluvio, diluvium) ABUNDABIT, ET CONSILIUM ILLIUS SICUT FONDS (Complutenses addunt, *purus*) VITÆ PERMANET, — *q. d.* Sicut crescente luna crescit mare, adeo ut luna plena exundet, camposque vicinos irriget et fecundet : sic crescente Dei illuminatione et gratia crescit « scientia sapientis, » adeo ut in alios exundet, eisque se communicans, illos pariter efficiat scientes et sapientes. Qua fit, ut « consilium » et doctrina sapientis sit quasi « fons » vitæ, qui jugiter manat aquas vitales sapientiæ, quibus alios assidue riget, ut vivant vitam gratiæ in terra, victuri vitam gloriæ in cælo.

Sapiens est quasi fons sapientiæ.

Nota : Sapientiam nunc vocat *scientiam*, nunc *consilium*, nunc *eruditionem*, nunc *intellectum*, nunc *sensum*, nunc *disciplinam*. Causam dedi in Proœmio. Unde Tigurina vertit, *scientia sapientis exuberabit tanquam inundatio vitæ, ac veluti fons vitæ purus ejusdem consilium*; Syrus, *mens sapientis sicut fons aquarum abundavit, et cogitatio ejus sicut aquæ vivæ*. Alludit ad Prov. xvi, 22 : « Fons vitæ eruditio possidentis. » Et cap. xviii, 4 : « Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ. » Ad quæ loca alludens Christus : « Qui biberit, inquit, ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, » Joan. iv, 14, et cap. vii, 38 : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. »

Moraliter, discite hic doctorem semper debere manare sanam sanctamque doctrinam, sive pauci sint auditores, sive multi ; sive pauperes, sive divites ; sive benevoli, sive malevoli ; sic enim fons omnibus et singulis perennes fundit aquas. Ita fecit Christus unam Samaritanam docens, Joan. iv, ac pauperes piscatores in Apostolos efformans. Christum secutus Paulus ait Roman. i, 14 : « Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum. » Ubi S. Chrysostomus : « Sicut cælum, ait, stellæ, sol non uni tantum genti : sic D. Paulus, sic omnes qui Deo militant, non uni, sed omnibus per doctrinarum exempla lucere debent ; nec, si desint qui illis utantur, desistere debent. Aquarum enim, ut inquit homil. 4 De Lazaro et divite, venæ, et fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras erunt. » Plura de hoc fonte dicam Proverb. xvi, 22.

Vers. 17. 17. COR FATI QUASI VAS CONFRACTUM, ET OMNEM SAPIENTIAM NON TENEBIT. — Opponit stultum sapienti, *q. d.* Mens sapientis est quasi fons vitæ, jugiter emanans aquas doctrinæ salutaris et vivificæ ; at mens stulti est quasi lagena contracta, et ideoque nullam sapientiam quam legit vel audit, retinebit ; sed illa ex ea effluet, sicut effluit aqua ex lagena fracta vel pertusa. Nota : Non omnem,

Hebræis idem est quod *nullam*. Pro *cor* Græce est *εγγρα*, id est *interiora*, puta viscera, inter quæ primum et præcipuum est cor. Unde Tigurina, *viscera stulti instar vasis contracti sunt, ut qui nullam in vita sua scientiam contineat* ; alii, *intestini stulti tanquam vas contractum, nullam continent scientiam* ; Syrus, *cor impii sicut cisterna disrupta, et omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non diseret*. Præclare S. Antonius in *Melissa*, part. 1, serm. 48 : « Sicut, inquit, vas ficile sono et tinnitu, sic homo sermone probatur. » Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pi. ke Avoth*, id est, in *Sententiis Patrum* : « Quatuor hominum differentiæ sunt coram sapientibus astantium. Alii sunt quasi spongia, quæ humorem undequaque sugit ac trahit ; alii quasi dolium pertusum, quod aquam hauriens una ex parte, ex alia effluit, et quidquid accepit evacuat ; alii quasi cuppa, quæ cum vinum effluere sinat, fæces retinet ; nonnulli denique ad instar cribri seplasiarii vel pigmentarii, quod et furfur retinet, sed distinctis cellulis ; in superiore siquidem furfur, in inferiore vero farinam servat. »

Quatuor studiosorum differentia.

18. VERBUM SAPIENS QUODCUMQUE AUDIERIT SCIUS (Græce *σοφιστος*, id est, sciens, prudens, sensatus), LAUDABIT, ET AD SE ADJICIET, id est, sibi applicabit, ut illud in arca memoriæ recondat, et in actus moresque conferat. Aliter Jansenius : *Adjiciet*, inquit, id est, auctius illud reddet. Sed priorem sensum exigit *ad se*, et antithesis quam subdit, *dicens* : *ADJICIT LUXURIOSUS* (verbum sapiens), ET DISPLICEBIT ILLI, ET PROJICIET ILLUD POST DORSUM SUUM, — *q. d.* Sapiens omnem sapientiam, quam audit vel legit, instar ovis ruminat, et in viscera transfert, ut inde crescat et pinguescat : at stultus qui suas voluptates præfert sapientiæ, qualis imprimis est luxuriosus, hic aversatur eam, ideoque ab oculis abjicit post tergum, ne cogatur eam aspicere, indeque vel mutare vitam, vel assidue corripri, castigari et verberari.

Nota : Pro *luxuriosus* Noster legit cum multis *καταλαβω*, id est, *delicias, luxurians, luxui vacans* ; sed Complutenses et alii legunt *αδελφω*, id est *insipiens*. Rursum pro *ad se adjiciet*, Græce est, *επι τοις ποσιν* : ubi Noster *αυτου* legit spiritu aspero, ut significet *se* ; jam legunt spiritu leni, *αυτου*, id est *ipsum* ; unde vertunt, *et ad ipsum adjiciet*. Ita Tigurina, *si peritus, inquit, audiet dictum sapientis, laudabit illud, reddetque auctius ; quod si audierit imperitus, improbabit idem, et post tergum suum abjiciet* ; et Syrus, *verbum sapientis audit sapiens, et laudat illud, et super illud addit ; et audit illud stultus, et de eo ridet, et projicit illud ad unum ex lateribus suis*, id est, in angulum retrudit. Nimirum sicut lyre aut citharæ similes, et simili modo temperatæ et modulatæ, invicem sibi respondent, adeo ut una pulsata alteram per quamdam sympathiam et occultam obsequentiam ex adverso accinere et similiter sonare compertum sit : sic etiam sapiens sapienti asquiescit

Et lyra lyre, sicut sapiens sapiens.

accinitque, ejusque dicta, velut stuppæ flammam, eminus odoratur, haurit et concipit. Idem facit stultus stulto et viliosus vilioso. Unde illud: Fur furem agnoscit, mœchus mœchum, latro latronem. Tanta est vis similitudinis, similisque in corde affectionis et dispositionis; hæc enim per motus et gestus similes foris se prodit, ex eisque a simili et conscio agnoscitur. Quin et sicut chordæ factæ ex nervis lupinis dissonant et quasi obstrepunt chordis quæ factæ sunt ex nervis ovinis per naturalem antipathiam: sic stultus dissonat et obstrepit dictis sapientis; et vice versa.

Vers. 19. 19. NARRATIO FATUI QUASI SARCINA IN VIA: NAM IN LABIIS SENSATI INVENIETUR GRATIA. — Tigurina, *lepor*. Dixit, quale quamque differens et diversum sit cor stulti a corde sapientis: nunc idem dicit de ore; os enim sequitur cor et mentem; qualis enim est cogitatio cordis, talis est et sermocinatio oris. Dicit ergo: « Narrationem fatui esse quasi sarcinam in via, » quia sicut hæc onerosa est et molesta, gravatque et impedit viatores, ne facile et expedite in via progredi queant: ita pariter illa narratio stulti molesta est, gravatque auditores, tum quia importuna est, tum quia multiloqua, tum quia insulsa. At vero « in labiis sensati invenitur gratia; » quia, sicut gratiosa, id est, discreta, prudens, concinna, suavis, utilis et salubris, est eorum cogitatio, ita est et eorum oratio et narratio; quocirca auditores non gravat, sed delectat, ut cupiant eam crebro audire, ut sequitur. Unde Syrus vertit, *narrationes impij sicut sarcina gravis in via* (quia narrat sibi similia impia et turpia; aut, si pia et sancta narret, narrat ea modo ingrato et insipido): *et omne verbum justij gratia*. Audi S. Ambrosium, lib. I *De Interpell. Job.* cap. III: « Narratio fatui sarcina in via. Quid enim aliud est peccatum nisi sarcina? quæ hujus seculi onerat viatorem gravi depressum fasce delicti? qui se nollet oneri subjacere, debuit audire dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » *Matth. XI, 28.*

Vers. 20. 20. OS PRUDENTIS QUERITUR IN ECCLESIA, ET VERBA ILLIUS COGITABUNT (SYRUS, *ponent*, scilicet auditores; Græca Romana, *cogitabit*, scilicet Ecclesia) IN CORDEBUS SCIS. — « Ecclesia » significat congregationem vel cœtum quemlibet hominum, *q. d.* In cœtu homines quærunt audire sapientem et prudentem, ut ejus doctrina instruantur, castigatione corrigantur, consiliis dirigantur, ideoque verba illius in corde suo appendent et ruminabunt. Unde Tigurina, *os sapientis in cœtu consultitur, et quisque dicta ipsius perpendit animo*. Contrarium facit stultus. Unde subdit:

Vers. 21. 21. TANQUAM DOMUS EXTERMINATA, SIC FATUO SAPIENTIA: ET SCIENTIA INSENSATI IN ENARRABILIA VERBA. — Græca, *tanquam domus destructa, sic fatuo sapientia: et cognitio imprudentis investigabilia verba*. Ita sic fatuo sapientia, duplicem habet sensum. Prior est, *q. d.* Sapientia prudentis, quæ quasi

grata quæritur et perpenditur in Ecclesia, ingrata et contemptibilis est fatuo; ipse enim eam nihili æstimat, imo odit et aversatur tanquam insipientiæ suæ contrariam. Sicut qui amat et quærit domum rite ædificatam, odit domum destructam et eversam, suisque ruinis obrulam et sepultam. Huic sensui favet Tigurina, *instar domus eversa est stulto sapientia, et scientia imperiti sermones inconsulti sunt*; et Syrus, *sicut carcer est sapientia stulto; et intellectus insano sicut carbonem ignis, quibus se et alios comburat*.

Posterior et germanior est, *q. d.* Sapientia quæ in fatuo est, quam scilicet a sapiente audivit aut legit, ab ipsomet fatuo incondite, inepte, inordinate, inconnexe, inconcinne, confuse, imo contrarie et contradictorie proposita, est quasi domus eversa. Sicut enim fatuus sua fatuitate domum destruit et evertit: sic idem evertit sapientiam quam protulit, dum ei immiscet vel subjungit sententias stultas, imo contrarias et contradictorias, quæ sapientiam ab ipso prolatam evertant. Sermo enim sapientis ordinatus, verax, compositus, connexus, pulcher, similis est fabricæ domus pulchræ, in qua una pars alteri recto ordine inædificatur, cohæret, compaginatur, ut omnes junctæ elegantem orationem quasi domum construunt. At stultus sapientiæ, quam ædificare cœpit, admiscet et quasi inædificat fatua, insulsa, contraria, quæ sapientiæ fabricam evertant et destruant. Unde subdit: « Et scientia insensati inenarrabilia verba, » *q. d.* Insensatus et stultus scientiam suam profert et eloquitur incomposite, inordinate, inintelligibiliter, ut ejus scopus et connexio, imo et summa sententiaque, mente comprehendi et voce enarrari nequeat; adeo ut si rogeris, Quid dixit ille fatuus? responsurus sis, Nescio; neque animi ejus sensa possis mente complecti, multo minus verbis enarrare. Unde nonnulli vertunt, *fatui* in genitivo, hoc modo: « Quod eversa domus, id est fatui sapientia, et scientia insipientis, res quæ perscrutari nequeunt. » Sicut enim in domo eversa omnia sunt confusa, incompressa, perturbata, eversa, sic et sunt in sapientia et sermone stulti. Hic verum est illud Nazianzeni in *Carm. ad Nicobutum*: « Simia est simia, etiamsi purpura vestiatur. Asinus etiam auro onustus, propterea rudere non desinit. »

Parabolam hanc festivo galli et vulpis apologo illustrat Cyrillus, lib. II *Apolog. moral.* cap. XV, cui titulus: *Contra tumentes ex scientia*. « Gallus, inquit, intelligens dispositionem mutabilitatis cœlestis, mox de sua scientia tumidus, in arboris ramunculum ascendit, et recto collo alta voce cantavit. » Quem cum vulpes audisset, ad ejus cantum quam citissime accurrit, et stans deorsum ipsum salutavit et dixit: Frater mi, audivi vocem exultationis tuæ, quæso, cantationis causam indica mihi. At ille protinus inquit: Nimirum intelligentia supernæ dispositionis dotatus, eam cum

Apologus
galli jac-
tantis
cantum.

sentio, statim voce cantabili nulli invidus pango. Tunc vulpes subridens ait: Ergo plenus es scientia, quæ est divinatorum sublimium disciplina. Quo audito gallus plus intumescens cantavit, moxque vulpes saltavit. Cui ille desuper? Ut quid saltasti? Ipsa respondit, quia tu prius exultasti. Gaudere namque cum gaudentibus licet. Dolositatis deinde rete exponens, verbis callidis adjunxit: O galle, tu es gloria nostra, tu es bestiarum lætitia. Te nunc quæso porrige, si dignaris, ut osculer mirum intelligentiæ tuæ caput. » Sed vide stolidam superbi de scientia sibi blandientis inscientiam et amentiam: « At ille adulationis dolosæ mellea lingua emollitus, statim vitale caput improvidus ori famelico porrexit. Quod avida vulpes stringens, deorsum miserum traxit et subjunxit: Galle, galle, ubi est sapientia tua? concepisti superbiam, et perdidisti prudentiam, et dedisti pro nihilo vitam tuam. Cui gallus: Quid gloriaris in malitia? At illa respondit: Non est malitia humiliare superbiam, sed ars vera. » Denique idipsum exemplo stellæ et oculi constabilit: « Sodus namque quanto splendidus, tanto demissius est; et quanto sublimius, tanto apparet minus. Parvus oculus rimatur acutius, et in cauda vermiculi lucis clarissimæ fulget decus. Porro quid sci-

Similia.

visti, si te ignorasti? aut si novisti, quomodo superbisti, pulvis et cinis? Quid plura? Nulla major dementia est, quam, per scientiam cum inflaris, perdere sapientiam. Quo dicto, statim famelica suum ori ex præda officium dedit. »

22. COMPEDES IN PEDIBUS, STULTO (græce ἀνοήτων, id est stultis) DOCTRINA, ET QUASI VINCULA MANUUM SUPER MANUM DEXTRAM. — Tigurina, disciplina compedes sunt pedibus stultorum, et instar manicularum in manu dextra; alii, pedicæ in pedibus sunt amentibus disciplina, et ut manica super manum dextera; Syrus, sicut compes est doctrina in pedibus stulti, et sicut vinculum in dextera ejus. Dat causam cur stulti oderint sapientiam, quia, scilicet, ipsa est quasi compes vinciens et stringens eorum pedes, nè ad fatua exercenda progrediantur. Eadem est quasi manica stringens « manum dextram, » ne quid fatui operetur q. d. Sapientia, quia sua disciplina restringit et coerct disciplinatos stultorum affectus, gressus et actiones, hinc eis est exosa. Unde ipsi ut suas cupiditates sequantur, libere incedant, agantque quod lubet, vincula hæc sapientiæ excutiunt dicuntque: « Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum, » Psalm. II.

TERTIA PARS CAPITIS.

DE STULTI IMODESTIA IN RISU, VISU, AUDITU ET SERMONE.

Vers. 22. 22. FATUUS IN RISU EXALTAT VOCEN SUAM: VIR AUTEM SAPIENS VIX TACITE RIDEBIT. — Distinxit fatuum a sapiente in cogitatione et sermone: nunc eundem distinguit in risu; quod scilicet fatuus ad quamlibet occasionem, imo nulla de causa, temere solvatur in risum, rideatque effuse, late, diducto ore, ac insulte, ad ea ob quæ potius lugere et flere deberet, quodque in risu vocem exaltet, cachinnetur et perstrepat. Cujus risus causa est animi levitas, mobilitas, lascivia et stoliditas. Sapiens vero raro et modice rideat, nec tam rideat quam subrideat, et labia instar ridentis diducat; quia sapiens sapienti, id est, gravi, maturo et constanti, æque ac modesto et verecundo est animo, scitque se in hoc mundo pleno serumnis et periculis, quasi in valle lacrymarum versari, ideoque potius lugere quam ridere debere, juxta illud: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Matth. V, 5. Unde Græca habent, stultus in risu attollet vocem suam, vir autem callidus vix placide subridet; Tigurina, stultus per risum sustollit cachinnum, at vir sapiens subridet tacite; Syrus, cum quiete ridet, vel potius subridet; hoc enim significat Græcum ἀνοήτων ψιδόσσει. Alludit ad Ecclesiastæ cap. VII, 5: « Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi læti-

Sapiens
ne dice
ridet.

tia, etc., quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. »

Ita Christus Dominus sæpius flevisse, nunquam risisse legitur, ut Christianos doceret hic flendi, in cælo ridendi fore tempus. Ita S. Basilius, Regul. XVII, fusius disputat. Idem ad filium spiritalem ita ei præscribit: « Noli dissolutis labiis risum proferre, amentia namque est cum strepitu ridere; sed subridendo tantummodo mentis lætitiã indicat. Nec in modum parvuli velis jocari assidue, quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, et vir perfectus in sensu. Nullum enim habet accessum cordis compunctio, ubi fuerit imoderatus risus ac jocus. Ubi vero fuerint lacrymæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat, et vitia cuncta exurit. Tunc aviditate cœlesti anima flagrans, Christi amori copulatur, cum in terris degens de coelestibus jugiter meditatatur, calcet sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eam segregat ab amore Christi; sed ut figura quædam inter homines versari videtur, et tota ejus conversatio in cœlis est. Mors illi præsens, tanquam vita ipsa, est dulcis. Cupit dissolvi et esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum. S. Basilio succinit

Gnomæ
Patrum.

ejus symmystes S. Gregorius Nazianzenus in *Tetrastichis* :

Risum, inquit, meretur quilibet risus procox,
Fletum immodestus haud levem risus parit.
Tristem esse præstat, quam solutis moribus.
Firmum caduca nulla res tangit virum.

Idem orat. 11 *De Gorgonia* sorore sua ita scribit : « Quænam oculos ita frenavit? quænam risum ita irrisit? adeo ut vel leniter subrisisse, nimium pene ipsi videretur. » Vide S. Ephrem, tom. I, tractat. 44, cujus hic est titulus : *Non esse ridendum, sed lugendum et plorandum*. S. Bernardus, tractat. *De Natura divini amoris*, cap. III : « Amplectatur, ait, amans Deum cordis puritatem, corporis munditiam; silentium, vel verbum ordinatum; oculos stabiles, et non sublimes; aures non prurientes, victum et vestitum sobrium, et qui faciat, non impediatur, boni operis diætam; manus continentes, gressum mitem, non ridendo cordis prodere lasciviam, sed leniter subridendo gratiam. » Idem in sermone de S. Machia, Archiepiscopo Hiberniæ, modestum ejus risum ita dilaudat : « Risus aut indicans charitatis, aut provocans, rarus tamen et ipse. Equidem interdum eductus, excussus nunquam; qui ita nuntiaret cordis lætitiæ, ut ori gratiam non minueret, sed auget. Tam modestus, ut levitatis non posset esse suspectus; tantillus tamen, ut vultum hilarem ab omni tristitiæ nævo vel nubo vindicare sufficeret. » Sic de nostro R. P. Petro Canisio scribit P. Sacchinus lib. III *Vitæ ejus*, p. 328 : « Risus ei perrarus, idemque non nisi humanitatis et charitatis in tempore condimentum. Lingua sancta, nescia nugarum, in mediis aulis religiosa, ubique cœlestia divinarum laudum mella manans. »

Sic inter Gentiles ἀγέλαστοι, id est, risu expertes, cognominati sunt et celebrati, Heraclitus, Anaxagoras, Aristoxenus, Phocion, M. Crassus, Licinius, M. Cato, Nerva, Bessarionus, lib. IV *Apologiæ Platonis*, cap. I, scribit Platonem adeo fuisse modestum et gravem, ut raro subriserit, riserit nunquam. Risus enim nimius ridiculum facit, vel indicat; quare insipientem decet, non sapientem, juxta illud vulgo tritum :

Per risum multum poteris cognoscere stultum.

Quocirca Seneca in *Proverb. litter. M* : « Morbum, ait, esse scias, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, et ad omnium æstimationem ipsum quoque os diducere. » Denique Beda in *Proverbiis* : « Præceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram. » Et Daerianus in *Speculo Monach.* : « Cachinum, inquit, tanquam alium animæ præcipitium fuge, sciens quia risus excussus indisciplinatusque claustra pudoris violat. » Plura de risu dicam *Ecclesiast. II, 2*.

24. ORNAMENTUM AUREUM PRUDENTI DOCTRINA, ET QUASI BRACHIALE IN BRACHIO DEXTRO. — Est anti-the-

sis; nam vers. 22 dixit fatuo doctrinam esse quasi compedes pedum, et manicas manuum; hic ei opponit sapientem; huic enim doctrina et sapientia est instar ornamenti aurei, v. g. instar monili et torquis aurei: quia similiter eum ornat in se, magisque eum ornabit, si quasi doctor eam aliis communicet et doceat; quare est ei instar armillæ et brachialis, quod manus et brachia decoret et exornet. Unde Tigurina, *veluti ornamentum aureum est eruditio sapienti, et instar armillæ brachio dextro*; Syrus, *sicut monile aureum sapientia intelligenti, et sicut gemmâ annulo super manu ejus dextera*. Sicut ergo annulus aureus et gemmeus ornat dexteram, sic sapientia ornat sapientem. Hujus rei symbolo Doctores dum creantur, torque aurea et annulo aureo donari et insigniri solent, uti dixi cap. VI, 25.

25. PES FATUI FACILIS IN DOMUM PROXIMI: ET HOMO PERITUS CONFUNDETUR A PERSONA POTENTIS. — Dis-
tinxit sapientem a stulto, in corde, ore et risu: nunc distinguit in incesso, q. d. Fatuus, quia curiosus et impudens, facile ingreditur domum proximi, ut curiose et impudenter scrutetur et audiat quid in ea agatur: at « homo peritus, » Græce ποδὴταιρος, id est, multa expertus, indeque prudens, qui scilicet experientia didicit quam ingrata sit hominibus curiosa perscrutatio domus propriæ, nimiaque libertas in eam ingrediendi; hic confundetur, Græce ἀλογυθίερατι, id est, erubescet, verecundabitur, reverebitur personam; et, ut Græce est, vultum hominis potentis, q. d. Sapiens est verecundus et reverens, adeo ut et vultum potentis fixius inspicere erubescat; at fatuus est inverecundus et irreverens, adeo ut non solum vultum potentium intueri, sed et domum eorum sine causa, nec vocatus, ingredi, inspicere et perscrutari audeat. Unde S. Ambrosius ad *Virgin.* sic legit: « Pes fatui facilis in domum proximi; qui autem sapiens est, verecundatur; » Tigurina, *pes stulti in domum alterius proclivis est; at peritus homo reformidat vel inspectionem*; alii, *pes stulti festinus est ad domum, homo autem expertus erubescit ad aspectum*; Syrus, *pedes stulti ingrediuntur cito intra domum, et vir sapiens inclinat faciem suam*; quasi erubescens curiose eam inspicere, ideoque oculos deprimens, ne videat quæ in domo sunt vel fiunt, q. d. Prudens verecunde, nec nisi invitatus vel coactus ingreditur domum potentis; ejus enim faciem erubescit. Hoc vitio notatus fuit Crates Thebanus, qui idcirco vulgo dictus est ἀπειροδοκίτης, id est, ostiorum apertor, quod in omnes domos irrumperet, et, si quid displicuisset, reprehenderet cynica libertate, teste Laertio, lib. VI, cap. v. Quocirca Socrates, ut suos auditores a curiositate rerum alienarum avocaret, crebro usurpabat illud Homeri:

Edibus in nostris quæ prava aut recta gerantur.

26. STULTUS A FENESTRA RESPICIET IN DOMUM: VIR

Vers. 25.

Fatuus est curiosus et impudens.

Vers. 25.

Vers. 24.

Vers. 26.

AUTEM ERUDITUS FORIS STANT. — Secundus est hic gestus stulti, q. d. Fatuus, si nequeat ingredi domum alterius, quia fores sunt oclusæ, aut obsidentur ab aliis, similive de causa, tunc per rimas ostii aut fenestræ, rustice et curiose quasi stultus prospiciet in domum, præsertim si quem ex domo convenire vel alloqui desideret; at vir bene institutus et moratus, foris stabit pulsans ostium, ut evocet eum quem conventum cupit; vel, si Prælatus aut vir primarius sit, expectabit donec ab eo evocetur, aut donec is domo egrediatur, itaque ei occurrat, seseque insinuet. Unde Græca habent, *insipiens per januam instrospicit in domum; vir autem bene institutus foris stat*; Tigurina, *insipiens ab janua domum instrospicit, at vir eruditus foris consistit*; Syrus, *stultus ex janua instrospicit in domum, et honor viri est ut stet foris et loquatur*. Ita Xenocrates (ait Laertius, lib. IV, cap. II) nihil referre dicebat, utrum pedes an oculos inferas in alienas aedes, imo ab oculis magis metuant incolæ, quam a pedibus.

Præclare Hugo Victorinus, lib. *De Institut novit. cap. XII*: « Gestus hominis, inquit, in omni actu debet esse gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, et sine turbulentia severus. » Huc facit apophthegma R. Judæ in *Pirke Aroth.*, id est in *Sententiis Patrum*: « Proccacis ac inverecundi hominis habitatio est infernus; sicut e contra modesti et verecundi, Paradisus. Placuit tibi, Domine Deus noster, præcipuam nostram sortem in legis tuæ studio constituere.

Vers. 27. STULTITIA HOMINIS AUSCULTARE PER OSTIUM: ET PRUDENS GRAVABITUR CONTUMELIA. — Tertius hic est gestus stulti, qui si nequeat ingredi domum, nec in eam per januam vel fenestram instrospicere, inverecunde et imprudenter aures applicat ad ostium, ut audiat quid in domo dicatur, aut geratur; et vir prudens grave sibi reputat hanc incivilitatem, immodestiam et inverecundiam committere; quia eam æstimat ingens esse suum, æque ac domus incolarum probrum, dedecus et contumeliam: « Prudens ergo gravatur contumelia, » q. d. Primo, gravem dicit hanc infamiam et contumeliam. Secundo, q. d. Prudens putat sibi a fatuo gravem fieri injuriam et contumeliam, dum is curiose et inverecunde ad ostium suum auscultat, ut secreta audiat. Unde Syrus vertit, *stultitia est homini auscultare ad januam, et sapienti gravis est contumelia ejus*. Summa horum omnium est, stultum rerum suarum esse incurium, alienarum vero esse curiosum, ideoque immodeste et inverecunde eas scrutari; sapientem vero alienarum rerum esse incurium, suarum vero curiosum, ideoque sua attente instrospicere et circumlustrare, aliena vero negligere et præterire: quia eorum curam aliis ad quos pertinet relinquit, eam vero arrogare sibi, incivile, rusticum et ignominiosum ducit.

Pro stultitia Græce est ἀναισθησία, id est imperitia, rusticitas, incivilitas, ineptia, insolentia, insulitas. Unde Tigurina vertit, *ad ostium auscultare quemquam incitia est; qui sapit, hoc dedecus gravatim suscipit*; alii, *incitia hominis est auscultare ad januam; prudens vero graviter fert infurium*, q. d. Auscultare ducit esse infame.

28. LABIA IMPRUDENTIUM STULTA NARRABUNT: Vers. 28.

VERBA AUTEM PRUDENTIUM STATERA PONDERABUNTUR, — tum statera rationis a prudentibus antequam ea proferant, tum statera auctoritatis ab iis qui ea audiunt. Hi enim ea quasi præmeditate, graviter et sapienter prolata, magni æstimabunt, verisque et factis ostendent ea apud se magnum auctoritatis momentum et pondus habere, ut ea crebro ruminent, meditentur, mente expendant, librent et ponderent, eaque in opus conferant, ac juxta ea mores suos conformant, vitamque instituunt. Septuplicem stateram, qua singula verba, æque ac opera libranda sunt, recensebo *Proverb. xi, vers. 1*. Græca habent, *labia loquacium ea quæ non sunt sua narrabunt, verba autem prudentium in statera librabuntur*; Tigurina, *labia loquacium narrant absurda; sapientes autem quæ dicunt statera ponderant*; alii, *labia multiloquorum aliena narrant, sermones autem prudentium statera ponderantur*; Syrus, *os impii in corpore (in corpus) sui ipsius (id est, contra seipsum) loquetur; et cum pondere loquitur sapiens*. Græca vero Romæ correcte aliter habent, nimirum hoc modo, *labia aliorum in his gravabuntur, verba autem prudentium statera ponderabuntur*. Huc facit dogma S. Bernardi: « Verba tua prius veniant bis ad limam, quam semel ad linguam. » Lima verborum est mens, est ratio, est prudentia, est consideratio. Unde sequitur: « In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum. » Huc etiam facit proverbium Arabicum, *Cent. 4, num. 16*: « Esto cum paliuro oliva, » id est, esto cum stulto sapiens, et cum insano polylogo mentis compos et micrologus.

Præclare B. Petrus Damianus, *epist. 10, ad Petrum Cerebrosam*: « Qui dicaciam, ait, eloquentiam putat, rerum similitudine ductus aberrat. Sicut enim vir sapiens dicit: Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. Plane sicut equus effrenis per anfractus et invia, plana vel ardua, quæque transmittit; sic lingua stultorum recta vel frivola, ut quælibet suppetunt, indifferenter ac leviter effluit. Prudens autem quæ dicenda sunt ponderat, et tanquam cautus viator solerter attendit, ubi linguæ suæ vestigium figat. Ille quidquid occultum est, per impatientiam fandi producit in medium; iste, si dictet utilitas, sub clave silentii servat arcanum. Unde et idem Sapiens: In ore, inquit, fatuorum cor eorum, et in corde sapientium os illorum. »

Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke Aroth*, id est, in *Capitulis Patrum*: « Septem di-

Septem
alscri-

mina sa-
pientis
et stulti
in lo-
quendo.

cuntur de stulto, et totidem de sensato ac sapiente: Vir sensatus tacet et obmutescit coram seniore aut sapientiore se, loquentem non interpellat, importune aliquid effutians et extra tempus, in medio, videlicet, sermonis interserens; vix respondet interrogatus, interrogat autem ipse ad rem apposite, respondetque etiam aptissime ad quæsitæ: quæ primo loco proposita sunt, de iis agit primum et ante omnia; posterius autem ad ea descendit agitanda quæ posteriore loco sunt oblata discutienda; si quæ autem sint quæ forte non intellexit, ingenue admonet, et dicit: Hæc et hæc capere non potui, hæc autem intellexi. Tandem cognita perspectaque veritate, dat manus et ultro cedit. Contrario prorsus modo de stulto ratiocinandum est. »

Vers. 29.
Stulti ha-
bent cor
in ore,
sapientes
os in
corde.
Primo.

29. IN ORE FATUORUM COR ILLORUM: ET IN CORDE SAPIENTIUM OS ILLORUM. — *q. d.* Fatui quidquid habent in corde, id ore effutiant, nesciunt enim sensa sua celare; hinc videntur cor non habere intra viscera reconditum, sed in ore repositum, omnibusque patulum et expositum; ex adverso sapientes ore nihil proferunt, nisi quod prius in corde bene expendunt; quare quæ celanda sunt celant, nihilque dicunt nisi quod hoc loco, tempore, coram talibus, etc., dicendum est; quare videntur os non habere in vultu patulum omnibus, sed reconditum in corde; quia cor dirigit et moderatur os eorum, ut non tam os quam cor eorum loqui, ac vicissim tam os quam cor eorum sapere videatur. Unde Tigurina, *ab ore stultorum pendet cor eorum, at in corde sapientum os eorum situm est*; quia scilicet sapientes os et verba cordis discretionem reprimunt et mesurant. In stultis ergo dominatur os, id est, garrulitas et protervia loquendi, adeoque os regit cor ipsum. In prudentibus vero dominatur cor, illudque regit os eorum, juxta illud *Proverb.*, cap. xvi: « Cor sapientis erudiet os ejus. » Et illud *Psalms Psalm.* xxxvi, 30: « Os justi meditabitur, » id est, meditato vel meditatam proferet, « sapientiam; » quia, scilicet, justus os habet in corde: cordis enim est meditari, oris vero meditatum eloqui. Unde Syrus *nervose, os stulti ipsum est cor ejus, et os sapientis in corde suo*. Sapienter Gellius, lib. I, 16, scribit garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Ex adverso Homerus Ulysses virum sapientem ait vocem mittere non ex ore, sed ex pectore. Hinc et dicitur *Psalms.* li, vers. 2: « Tota die injustitiam cogitavit lingua tua. » Ubi recte Origenes apud Agellium: « Cor, ait, fatuorum in superficie situm est, non in profundo, ad labia exsilit. » Sic olim dictum est, Græcis sermonem e labiis et ore, Romanis e mente et corde proficisci. Huc pertinet illud Themistoclis: *ὁ λόγος ἐκ τῆς διόγης*, id est, *sermoni inest os et vigor*, dictum de oratione non inani et fatua, sed gravi et sapienti solidas habente sententias. Sic Quintilianus rerum inventionem appellat *orationis ossa*, sumpta similitudine ab animantium corporibus

quæ ossibus sustententur, colligantur nervis, vestiuntur carnibus et pelle, cohærent anima, moventur actu.

Secundo, cor symbolum est secreti, os vero revelationis secreti. Cor enim in abscessu pectoris latitat, et intra præcordia se reducit. Sapientibus ergo os est in corde; id est, in abdito profundoque mentis recessu, ut silere et celare norint quod alii ore produnt. Fatuis vero cor est in ore, id est, secretum in lingua, quia omnibus illud pro-palant. Ita S. Gregorius Nazianzenus, epist. *1 ad Celsusium* silentiū se arguentem, scribit apologum hirundinum et cynorum; hirundines enim habent cor in ore, cyni vero habent os in corde: « Melius est, inquit, silentium cynorum, quam garritus hirundinum, » *q. d.* Melius est silentium sapientum, quam loquacitas insipientium, tandemque alio proverbio concludit: « Tum cantabunt cyni, cum graculi tacuerint. » Idem de diversis vitæ generibus:

Non ego, inquit, cum gruibus, non anseribusque in synodis, quæ se Marte furente petunt. [sebedo]

Synodos anserum et gruū vocat illa concilia, in quibus nil recte et ordine gerebatur, sed confusis pugnantium inter se hominum clamoribus omnia perstrebebant, quales erant Synodi Arianorum ad evertendum Concilium Nicæanum.

Tertio, Pineda, lib. III *De Rebus Salomon.* cap. XII, num. 4: « In corde, inquit, sapientum os illorum, et in ore fatuorum cor illorum, *q. d.* Stultorum vana est eloquentia, at sapientum solida, ut quæ non solum verbis constet, sed et cordata sit, et gravibus sententiis polleat. Quod Salomon *Sapient.* vii, vers. 15, ait: « Mihi dedit Deus dicere ex sententia, » id est, ex anima et corde sententiose, cum sensu quodam et quasi sapore eorum quæ dicuntur.

Quarto, Rabanus: « In ore fatuorum, inquit, cor illorum est, quando hæreticorum et schismaticorum stulta intentio verborum intendit ornatui; in corde autem sapientum os illorum, quando electorum studet eloquium, veræ sapientiæ fideliter exprimere sensum, » *q. d.* Stulti solam eloquentiam, prudentes magis sapientiam aucupantur, eamque verbis ostentant. Stulti ergo cor in ore, id est sapientiam in loquacitate, collocant; sapientes vero os in corde, id est, eloquentiam in sapientia repouunt, censentque se eloquenter dicere, si sapienter dicant. Huc facit illud vulgo tritum: « Stulta est egena sapientiæ eloquentia; » sapiens vero est sapientia, etiam carens eloquentia.

Denique cor symbolum est prudentiæ, magnanimitatis, consilii; os vero, id est garrulitas, imprudentiæ, levitatis, insipientiæ. Cor enim est animæ receptaculum, voluntatis fons, consilii et rerum agendarum radix. Unde Beda in *Proverbis*: « Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde. » Nam, ut ait

Aristoteles lib. *De Sensu et sensibili* : « Anima est in corde, sicut aranea in sua tela ; » tum physice, tum ethice. Physice, quia in corde quasi arce habitat anima, indeque per spiritus vitales vivificat totum corpus. Unde cor est principium vitæ et sensus, præsertim tactus, quem acutissimum habet aranea, juxta illud : « Lynx visu, sus auditu, præcellit aranea tactu. » Quia, ut ait Aristoteles lib. II *De Anima* : « Animal est animal propter sensum tactus. » Omne enim animal habet tactum ; et quicquid habet sensum tactus, est animal, esto careat visu, auditu aliisque sensibus. Ethice, quia anima per cor, id est mentem et rationem, loquitur et agit omnia. Stulti ergo cor, id est, sapientiam et virtutem in ore, id est, in sua insipientia, reponunt ; sapientes vero sumum os, id est levitatem et insipientiam, in corde abscondunt et celant. Plane, inquit Palacius, stultus homo exterior est, idcirco cor habet exterius in lingua ; at prudens interior homo est, linguam igitur revocat ad cor.

Vers. 30.

30. **DOMINUS MALEDIXIT IMPIUS DIABOLUM ; MALEDIXIT IPSE ANIMAM SUAM.** — « Maledicit, » id est, primo, execratur, ut vertit Tigurina, *q. d.* Dum impius execratur diabolum, execratur seipsum ; quia ipse similis est diabolo ; est enim impius ut ipse. Fatue ergo fatuus execratur diabolum, cum non desinat eum imitari, imo eum venerari et colere, dum ejus suggestionibus obedit, ejusque inspirationes præfert inspirationibus Dei : quocirca ipse est servus et filius diaboli ; fatuum autem et indignum est ut servus hero, filius patri maledicat.

Impius est quasi diabolus.

Ubi nota quam turpe sit peccatum, quod angulum pulcherrimum fecit teterrimum diabolum, et hominem facit similem diabolo, imo diabolum, juxta illud Christi de Juda : « Nonne ego vos duodecim elegi ? et ex vobis unus diabolus est ? » Joan. VI, 71. Et cap. VIII, vers. 44 : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. » Sic ebrius vel cholericus, dum furit, videtur esse diabolus incarnatus, inquit S. Chrysostomus et S. Gregorius Nazianzenus.

Secundo, q. d. Dum impius male precatur diabolo, male precatur sibi ipsi, quia eandem penam ob eandem impietatem meretur, quam diabolus. Unde eandem sortem et gehennam recipiet, quam diabolus, juxta illud Christi in judicio : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, Matth. cap. xv, vers. 41.

Tertio, Palacius : « Simplicissimus, ait, sensus erit, si diabolum sumas pro adversario, » ut sit sensus : Si maledicis adversario, maledixisti tibi ; quia eum provocas, ut statim maledictum in te regeat. At si diabolum proprie sumas, ita explicatur : Diabolus ex se malus non erat ; malitia eum malum et diabolum fecit, ac ideo quia malus est, male ei dicimus. Cum igitur tu etiam

malus sis, male de malo dicens male de te dicis ; imo si male imprecaris illi, quia malus, imprecaris et tibi, utpote malo. Ut enim qui jurat in altari, jurat per Deum qui est in altari ; ita qui male precatur diabolo, male precatur malitiæ quæ est in eo, et cum ea malitia sit in te, male etiam precaris tibi.

Dicit hoc Siracides, ut explicet quod dixit vers. 28 : « Labia imprudentium stulta narrabunt. » Et illud vers. 29 : « In ore fatuorum cor illorum, » *q. d.* Imprudentes et fatui, id est, impii, assidue habent diabolum in ore, quia eum semper habent in corde. Unde tertio quoque verbo eum nominant, et cum quid sinistra malive eis accidit, id fatue imputant diabolo, eique maledicunt, dicendo : Diabolus hoc malum mihi intulit ; sit ergo maledictus, eat in malam crucem, in gehennam. At sapientes et pii non diabolum, sed Deum habent jugiter in ore, quia eum jugiter habent in corde. Unde in adversis æque ac prosperis dicunt cum S. Job, cap. I, vers. 21 : « Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. »

Porro Syrus sic vertit, cum stultus maledicit ei qui non peccavit illi, ipse maledicit seipsum, vel maledictionem inducit animæ suæ. Tristis est anima sapientis propter stultum, quia nescit quid dicat illi.

31. **SUSURRO COINQUINABIT ANIMAM SUAM, ET IN OMNIBUS ODIETUR : ET QUI CUM EO MANSERIT** (sic legendum cum Romanis non, qui permanserit ; nec cui manserit, id est, cui cohabitavit vel adhæserit, ut vult Jansenius), **ODIOSUS ERIT : TACITUS ET SENSATUS HONORABITUR.** — Inter stulta quæ narrare solent stulti et impii, uli dixi vers. 28, unum valde frequens est, nimirum susurri, id est, occultæ detractiones, quibus absentis famam clam proscindunt, eumque audienti invisum reddunt, itaque amicitiam utrimque dissociant. Quod proinde hic taxat Siracides, *q. d.* Susurro et detractor, primo, inquinat animam suam culpa et vitio detractionis ; secundo, in omnibus locis æque ac actibus odietur ; tertio, non tantum ipse, sed et qui se illi sociarit, exosus erit. At vero tacitus et sensatus, qui vitia proximi, quæ vidit vel audivit, silentio premit, honorabitur ob prudens amicumque et justum silentium. Græcus de more brevis et bimembris clare sic habet, *maculat suam ipsius animam susurro, et ubicumque commorabitur, odio erit ;* Tigurina, *obtractator polluit animam suam, et quocumque commorabitur, odiosus erit ; homo vero tacitus et cordatus honorem consequetur.* Paulo aliter Palacius : « Sicut, inquit, maledicens diabolo maledicit sibi, ita susurro detrahens honori aliorum, et culpans alios, cum eadem frequenter in eo culpa inveniat, plane sui susurro est, se accusat, et de se maledicit. Tum grandem sibi maculam irrogat ; quod enim vilius probrum, quam susurro vocari ? Is etiam odiosus omnibus

Vers. 31.

est, et qui cum eo perseverat, ei scilicet familiaris, similiter odiosus erit. Contra, quam honorandus erit qui tacet, nec vitia aliorum ut sensatus traducit! » Hæc Palacius.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quam viles, contemptibiles, probrosi, incorrigibiles et insupportabiles sint stulti et insensati, usque ad vers. 24. Inde usque ad finem recenset nonnulla quæ violant amicitiam, eaque cavenda monet.

1. In lapide luteo lapidatus est piger; et omnes loquentur super aspernationem illius. 2. De stercore boum lapidatus est piger: et omnis, qui tetigerit eum, exentiet manus. 3. Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem in deminoratione fiet. 4. Filia prudens hæreditas viro suo; nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. 5. Patrem et virum confundit audax, et ab impiis non minorabitur: ab utrisque autem inhonorabitur. 6. Musica in luctu importuna narratio: flagella et doctrina in omni tempore sapientia. 7. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. 8. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. 9. Cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam: et in fine narrationis dicit: Quis est hic? 10. Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus: et supra fatuum plora, deficit enim sensus. 11. Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit. 12. Nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui. 13. Luctus mortui septem dies: fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. 14. Cum stulto ne multum loquaris, et cum insensato ne abieris. 15. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, et non coinquinaberis peccato illius. 16. Deflecte ab illo, et invenies requiem, et non acediaberis in stultitia illius. 17. Super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen quam fatuus? 18. Arenam, et salem, et massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium. 19. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur: sic et confirmatum in cogitatione consilii. 20. Cogitatus sensati in omni tempore, metu non depravabitur. 21. Sicut pali in excelsis, et cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt: 22. sic et cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. 23. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui omni tempore non metuet, sic et qui in præceptis Dei permanet semper. 24. Pungens oculum deducit lacrymas: et qui pungit cor, profert sensum. 25. Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa: sic et qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam. 26. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. 27. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio, excepto convicio, et improprio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus. 28. Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut et in bonis illius læteris. 29. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis. 30. Ante ignem camini vapor, et fumus ignis inaltatur: sic et ante sanguinem maledicta, et contumeliæ, et minæ. 31. Amicum salutare non confundar, a facie illius non me abscondam: et si mala mihi evererint per illum, sustinebo. 32. Omnis qui audiet, cavebit se ab eo. 33. Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me?

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1
et 2.

1 et 2. IN LAPIDE LUTEO LAPIDATUS EST PIGER, ET OMNES LOQUENTUR SUPER ASPERNATIONEM ILLIUS. DE STERCORE BOVM LAPIDATUS EST PIGER; ET OMNIS, QUI TETIGERIT EUM, EXECUTIET MANUS. — *Lapidem luteum* vocat non laterem ex luto plasmatum, sed lapidem luto conspurcatum et sordentem: hinc enim significat Græcum ἑρδαλομένης. « Lapidatus est, » id est, lapidari solet: sic enim Hebræi per unum tempus significant cætera. Rursum per metalepsin, « lapide luteo lapidatus est, » id est, lapidando luto conspurcatus est, q. d. Piger adeo vilis, contemptibilis et exosus est, ut eum homines dignum censeant qui impetatur lapidibus sordidis et stercore boum: omnes enim eum quasi torpidum et sordidum aspersionantur, ita ut eum tangere, cum eoque conversari nolint; sed omnes eum refugiant et aversentur, perinde ut qui tangit lapidem sordidum, vel sterces, illico illud manibus excutit. Stultorum et stultitiæ speciem unam persequitur, scilicet acediam et pigritiam; hæc enim facit hominem non tantum otiosum, sibi que et aliis inutilem, sed et noxium multisque vitis commaculat: otium enim et pigritia est causa omnis mali. Noster legit κατεσθίειν, id est, telis vel lapidibus impetitus est, aut αμαρτίζω, id est, lapidatus est, a λείπειν, id est, lapido, q. d. Piger adeo omnibus est vilis, ut eum quasi commune naturæ probrum lapidibus insectentur, in eumque jaciant lapides luto immersos, sordes et stercores. Jam legunt αμαρτίζω, id est, comparatus est; unde Græca sic habent, *lapidi inquinato vel polluto assimilatus est piger, et omnes sibilant ad ejus infamiam; ac stercores fimentorum comparatur piger: omnis qui tollit eum, excutiet manus*; Complutenses et Roman., *lapidi conspurcato comparatus est piger, et omnis exultabit in ignominiam ejus, stercores boum de sterquilinis comparatus est piger, omnis qui tollit illud, excutiet manum*; Tigurina, *lapidi conspurcato comparandus est piger, quem ignominia causa omnes irrideant; piger conferendus est stercores sterquilini: quod quicumque contigerit, manus suas excutiat*; Syrus, *sicut lapis sordidus qui projectus est in platea, et unusquisque fugit ab odore ejus; ita et stultus, et unusquisque recedet ab eo. Dum erit quispiam foras in plateam, conviciatur ipsi, et omnis qui videt eum, complodit manibus suis*; Arabicus breviter rem acu tangit, *insipiens jam sibi acquisivit contumeliam et malum*. Porro Isidorus lib. X *Originum*: « Piger, inquit, dicitur quasi pedibus æger. » Idem, *De Differentiis verborum*, num. 46: « Inter tardum, inquit, pigrum, inertem et segnem hoc interest, quod tardus dicitur qui trahit tempus; iners sine arte, nullius officii capax; piger per omnia ægro similis; segnis semotus est a calore et igne. »

Piger
quasi pe-
dibus æ-
ger.

Apposite pigro pœnam assignat sterces boum potius quam equorum vel aliorum animalium, quia bos, utpote gravis, lentus est et tardus: symbolum et figura est pigri. Unde illud:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Ita Palacius: « Piger, inquit, comparatur lapidi conspurcato, et stercores boum. Ut enim qui lapidem ita sordidum, aut sterces boum inopinate tangit, statim utrumque e manibus excutit; ita qui ministrum habet pigritantem, excutit et repellit a se. Ita enim ministros pigros fugimus ut sterces, ut lutatos lapides. Ex hæc Græcæ litteræ explicatione habemus sensum Latinæ, qui est hic: Talis est piger, ac si eum lapidasset lapidibus luto sordentibus, aut stercores boum; ita enim sordet ille in oculis hominum, ac si rebus sordidis conspurcatus esset; ac ideo omnes loquentur super ejus aspersionem, dicentes quam sit ille spernendus, imo et excutiendus et repellendus. Si piger contemnitur a dominis temporalibus, si ab eis excutitur et repellitur, quam spernetur et repellatur a Deo! Nam quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo; et, quia opus Dei facis desidiose, maledictus eris. O quantum est a Deo maledici et repelli, scilicet in ignem æternum!» *Apoc. III, 16; Jerem. XLVIII, 10; Matth. XXV, 41*. Adde bovem, etsi lentum, tamen laboriosum esse; quare significat pigrum suum lentorem et pigritiam vincere debere labore, ad bovis imitationem. Hinc monetæ, puta didrachmis, olim imprimebatur figura bovis, ut ait Pollux lib. IX, quod labor pariat nummos et opes, pigritia vero inopiam et famem. Apposite ergo in pigri opprobrium et castigationem bovis sterces assumitur, ut bove se deteriorem et pigriorem agnoscat, et a bove suam tarditatem labore vincere discat. Accedit quod sterces boum servit stercores agris, ut, injecto semine, copiosam ferant segetem. Ager hic est piger: stercores ergo stercores boum, ut, injecto diligentia semine, copiosos illius proferat fructus.

Anagogice S. Gregorius, XV *Moral.* cap. III, explicans illud *Job.* cap. XX, de impio et hypocrita: *Quasi sterquilinum in fine perdetur*: « Quia, inquit, in morte sua, cum ad tormenta ducitur stercores vitiorum plenus, a malignis spiritibus conculeatur. Gaudia etenim vitæ presentis, quæ injusti æstimant magna bona, justis stercores deputant. Unde scriptum est: De stercores boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit; et quoties rerum temporalium damno percussus, ex his nimium affligitur, quæ justis viri velut stercores contemunt. Qui ergo ex terrenarum rerum per-

cussione atteritur, quid aliud quam de boum stercore lapidatur? Et recte hypocrita sterquilinio similis dicitur: quia dum temporalem gloriam habere appetit, modo per cogitationem apud semetipsum timet; modo eandem gloriam aliis invidet, eamque alios veraciter habentes irridet. Quot ergo vitis plenus est quasi tot stercorebus in conspectu aeterni iudicis illius pectus foetet. »

Tropolo-
gice.

Tropologicè, Rabanus per lapidem luteum accipit increpationem S. Scripturæ; per stercus boum, increpationem prædicatorum: hi enim sunt boves mystici excolentes agrum Ecclesiae: « In lapide luteo, inquit, lapidatur piger, quando peccatori duris Scripturæ sententiis foeditas seclorum suorum exprobratur, omnesque loquantur super aspersione illius, quia omnes boni detestantur et despiciunt sordes operum ipsius. Lapidatur piger de stercore boum, quando pigritia malorum in bono opere torpentium, per aptam stultitiæ suæ orationem a sanctis prædicatoribus illis improperatur, ita ut omnes qui aliquo modo communicaverint negligentiae eorum, manus operum a squalore foeditatis illorum excutiant, et ad observantiam mandatorum Dei utili exercitio recurrant. »

Sic fere et S. Bernardus, serm. 2 De SS. Petro et Paulo: « Itaque arguere et increpare, inquit, interdum necesse est: nec ignoro fimum esse verbum increporium, verbum improprium; et quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod hoc fimo etsi aliquos impinguari, sed alios plane lapidari et indurari videmus? Hinc namque scriptum est: De stercore boum lapidabitur piger. An non impinguatur, qui increpatus benigne accipit, mansuete respondet, libenter emendare conatur? Hæc plane salubris et fecunda impinguatio est, ut corripiat me justus in misericordia, et increpet; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. » Et mox: « Quid autem faciamus tibi, o piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis et exasperaris? Nonne bonum fimum sparsi in agro tuo? Unde ergo lapides habet? Sed tu, inimice homo (quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam), tu, inquam, inimice homo, hoc fecisti, qui desidiam tuam non excutere, sed excusare pergens, fimum tibi pervertis in lapides; et unde impinguari debueras, lapidaris. »

Apolo-
gus p
gritice.

Huic apologo similis est apologus hovis et lupi, acutus et argutus, apud Cyrillum, lib. I Apolog. moral. cap. XIV, cuius titulus: *Quietem mentis dilige, et otium fuge*: « Hora vespertina, inquit, bovem iugo oneratum otiosus vagusque lupus reperiens, quasi compatiens illi, dixit: Quandoam solutus beata libertate vagaberis, et fatigatus grata quiete refocillaberis otiosus? cui ille respondit: Nimirum quando sapientia relinquet naturam. Labores enim quamdiu sustinebit membrorum societas, nunquam me rapiet vagationis captiva libertas, aut otiositas cordis fluctuans tempestatibus. Nam vagatio quedam mentis est alicuatio, et otium

tempestas est cordis. Siquidem alienatus a virtute sensus, mox sicut Cain (*Genes. iv*) profugus vagusque diffunditur, et veluti David (*II Regum, cap. xi*) statim procella vitiositatis involvitur animus; otiosus. Ad hæc lupus adjunxit: Nunquam ergo quiescit sapiens? Respondit bos: Imo possidet eum securus quies. Nonne attendisti quod superior mandibula, licet non moveatur, minime sit otiosa? sic utique sapiens etiam nunquam otiosus, continue aut mente exercitatur aut corpore. » Otium deinde proprietates et damna recenset: « Quid enim est otium, nisi perditio irrevocabilis horæ, effusio vitæ, retrogradatio proficienti? Hinc gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, solvit linguam, nutrit indigentiam, et introducit rapinam. Egestatem namque operatur remissa manus (*Prov. x, 4*); et qui sectatur otium, est stultissimus. Etenim, sabbatizante Israele (*Exodi, xvi, vers. 30*), cælum non pluebat manna. Quin et aqua putrescit immobilis, et immotus ensis rubigine mox sordescit, pes quietus obstupescit, et vestem depositam dirus fineæ dens corrodit. E contra cælum continuo currit; cor, dum vivit, nunquam quiescit; naturalis virtus non dormit, et regina mundi prudentia semper agit. Propter hoc, carissime, ego otium vitans, semper aut aro, aut comedo, aut rumino, aut ligatis nubecula sensibus cibum digerens requiesco et dormio. Quibus auditis, lupus otiosus vagusque mox abiit confusus. »

Oti-
damus
et epi-
th. l.

Exem-
pla.

3. CONFUSIO PATRIS EST DE FILIO INDISCIPLINATO: Vers. 3.

FILIA AUTEM (indisciplinata et fatua, ut habent Latina Complutens.) IN DEMINORATIONE FIET. — A probro pigri descendit ad probum filiorum, quod male morati sibi suisque parentibus conciliant, q. d. Confunditur, et ignominia pudoreque afficitur pater, si habeat filium male institutum et dissolutum: filia autem similis, puta male morata et dissoluta, « in deminoratione fiet, » id est, minoris fiet, eritque contemptibilis, ut nemo eam velit habere uxorem: rursum deminorationem, id est, damnum sibi suisque afferet. Siracides enim Græcum *ἐλάττωσις*, id est *minoratio*, usurpat pro damno, ut superius ostendi. Unde vers. sequer antithesin, opponit ei filiam prudentem et bene moratam, quæ viro suo commoda, imo hæreditatem adducit. Ita Syrus, *confusio*, inquit, patri est filius stultus; et femina in defectum vel in detrimentum generatur; Græca Complutens., *pudor patris in generatione indisciplinati, filia autem in diminutione fit*; Tigurina, *ignominia patris filius ignavus est, filiaque (ignava) minoris venit æstimanda*; alii, *dedecus patri ex procreatione ineruditi, filia vero (inerudita) nascitur ad detrimentum*, tum famæ, tum substantiæ et opum, quin subinde et vitæ. Filia enim dissoluta infamat se et patrem, dotemque suam et opes patris dilapidat, ac non raro mororis et mortis ei est causa.

Aliter Palacius: « Filia fatua, inquit, in deminoratione fiet; » quia minor confusio et ignominia

est filia fatua, quam filius. Nativum enim et fere commune id vitium feminis est, ideoque minoris est ignominiae, quam in masculis.

Vers. 4. **4. FILIA PRUDENS HEREDITAS VIRO SUO : NAM QUAE CONFUNDIT, IN CONTEMELIAM FIT GENITORIS, — q. d.** Optima filiae hereditas et dos est prudentia, eaque magis viro optanda et ambienda est, quam opima opum dos et hereditas; quia per prudentiam prudentemque conjugem opes quaelibet conservantur et augentur. Graeca habent, *συζυγὴν πρόνουός κληρονομίαν ἀνδρός ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς*, quod Complutenses vertunt, *filia prudens haeres erit viro sui*; quia solent viri uxoribus suis, si prudentes et obsequentes sint, sua credere, easque haeredes instituere. Alii pro *ἀνδρός*, id est viri, legentes *ἀνδρῶν*, id est virum, vertunt, *hereditabit virum suum*, id est, virum suum possidebit, quasi hereditatem, ut eum regat et dirigat instar familiae. Aut potius, *q. d.* Hereditate bona, scilicet, eius prudentia et sapientia, eum donabit, ut ejus domum et substantiam prudenter administret, eique suam prudentiam communicet et doceat. Prudenti opponit imprudentem et fatuam, dum subdit: « Nam quae confundit, in contumeliam fit genitoris, » *q. d.* Quae autem dedecus et probrum affert sua levitate, dissolutione, imprudentia, stultitia; haec contumeliam parit suo parenti et genitori generique eaque ac marito, qui apud parentem saepe de ejus mala institutione queritur et exposulat. Graeca habent, *puδendu vel probrosa tristitiam affert genitori*; tristatur enim parens de pudendis et probrosis filiae moribus. Unde Tigurina vertit, *filia prudens viro est vice hereditatis, ac turpiter vivens tristitiam affert genitori*; Syrus vero, *patrem suum et matrem suam confusione afficiet stulta, et ab utrisque ipsa contumelia afficietur*.

Mystice et tropologice Rabanus: « Filia prudens, inquit, id est, anima, quae prudenter et devote Christi servitium agit, ad hereditatem ejus pertinet; quae autem confusione res dignas gerit, contumeliam genitori spirituali facit, qui eam per Spiritus Sancti gratiam in baptismo regeneravit, et sibi filiam adoptavit. » Et Palacius: « Ita plane, inquit, anima sancta multas Deo lucratur; at miseram animae nostrae contumelia sunt Creatoris. »

Vers. 5. **5. PATREM ET VIRUM CONFUNDIT AUDAX (femina et filia: Graece enim est ἡ Σπουδαία), ET AB UTRISQUE INHONORABILITER; AB UTRISQUE AUTEM INHONORABILITER, — q. d.** Filia audax et inverecunda pudore et ignominia afficiet patrem aequae ac maritum; quia in superbia, luxuria, gula, ebrietate caeterisque vitiis non erit minor, nec cedet viris impiis. Unde ab utrisque, puta a patre et viro, inhonorabitur. Graecus de more bimembris sic habet, *patrem et virum pudore afficiet quae audax est, et ab utroque infamia afficietur*; Tigurina, *impudens patrem et matrem afficiet ignominia (et impiis nihilo est inferior); quare ab utroque vituperabitur*.

Porro, causa audaciae est cupiditas et aviditas; quia enim femina avida plena est cupidinibus,

hinc ut eas expleat, iisque potiat, ducem assumit audaciam, fitque audax. Unde Festus censet audaciam dictam ab avide, id est cupide, agendo. Et Cicero, lib. II *Offic.*: « Animus, inquit, paratus ad periculum si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habeat quam fortitudinis. » Et Aristoteles, lib. III *Ethic.* cap. VIII, asserit adulteros esse audaces propter libidinem. Audacia enim vitium est oppositum ignaviae et timiditati; in medio enim utriusque consistit virtus, quae fortitudo dicitur. Unde Aristoteles, lib. II *Ethic.* cap. II: « Qui, inquit, omnia fugit et timet, neque quidquam sustinet, ignavus; qui contra nihil animo timet, sed omnia adit, audax efficitur. » Qui autem timet timenda, et non timet non timenda, fortis est. Vide eundem, lib. III *Ethic.* cap. VII, ubi docet ignavum esse desperandum, audacem nimis confidentem, fortem autem nec desperare, nec nimis confidere, sed mediocriter se gerere. Unde « audaces, inquit, praecipites sunt, voluntque ante ipsa pericula periclitari, in ipsis vero constituti absistunt (juxta illud: « In pace leones, in praelio cervi »); sed fortes in operibus ipsis acres ac celeres, antea quieti sunt. » Adde: aetas filiae, puta juvenus, causa est audaciae, sicut senectus causa est timiditatis. Ratio physica est, quod juvenus abundet spiritibus, calore et sanguine, quae causant audaciam et animositatem; senes vero iis destituti abundant phlegmate et frigore, quae causant timiditatem. Ethica est, quod juvenes sint imperiti et inexerti, unde imperitia rerum in illis confidentiam et audaciam parit; in senibus vero multorum experientia malorum parit timorem et cunctationem. Hinc illud: « Dulce bellum inexperitis. Expertus metuit. » Unde Vegetius, lib. III *De Re milit.* cap. XIII: « Ne confidas, inquit, si tiro praelium cupit; inexperitis enim dulcis est pugna. » Sic filia amat speciosos juvenes, quia nondum sensit quantum amori insit amari.

Mystice Rabanus: « Pater, inquit, animae christianae Deus est, vir autem ejus Christus; haec ergo si ad apostasiam venerit, et haereticam errorem procaeciter defenderit, inhonorat patrem suum spiritalem et virum; sed licet ab impiis, et sui erroris participibus, praesentialiter non vituperetur; ab utrisque tamen, hoc est, patre et viro, de quibus superius dixit, in futuro judicio confundetur, et damnatione merita perpetuis poenis subjicietur. »

6. **MESICA IN LUCTU IMPORTUNA (S. Hieronymus, Vers. 6. epist. 33 legit, intempestiva) NARRATIO; FLAGELLA, ET DOCTRINA IN OMNI TEMPORE SAPIENTIA. —** Complutenses, *in tempore sapientiae*; Romana, *in omni tempore sapientiae*. Alludit ad *Proverb.* cap. XXV, 20: « Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo, » id est, tristissimo, ut vertit Symmachus, *q. d.* Sicut acetum acuit et exasperat nitrum, sic cantus exasperat tristitiam maesti. Ex adverso Nazianzenus apud Antonium in *Melissa*: « Mag-

Juvenes audaces, senes timidi. Causa.

110
aut ab
cap. 19

111
112

113
114

115
116

Causa
audaciae
aviditas.

num, inquit, remedium tristitiæ affertur a condolentibus; nam qui æquali afflictione laborant, plus solatii patientibus exhibent; cum inter dolendum causas lætitiæ inveniunt aut offerunt. »

Hæc sententia videtur hic incongrue interseris quæ dicuntur de filia et filio dissoluto; at si quis penitus introspeciat, congruam et opportunam hoc loco censebit. Dat enim causam dissolutionis filiorum et filiarum, nimirum quod vacent conviviis et symposiis (hisce enim prisca inserebant musicos et musicam, ad oblectandum convivas); cum potius deberent vacare disciplinæ, abstinentiæ et luctui; flagella enim, luctus et disciplina docent decentque sapientiam; joci vero, convivia, cantus et recreationes dissolvunt sapientiam, docentque insipientiam, ac faciunt insipientes et improbos. Parentes ergo qui filios non castigant, sed sinunt indulgere suis cupiditatibus, causa sunt eorum dissolutionis et insipientiæ, ideoque juste ab eis probro et tristitia afficiuntur.

Sensus ergo est, q. d. Sicut musica in luctu est importuna narratio, quia lugentes, dum lugent, non delectantur musica, sed ea magis contristantur, luctumque quasi per antiperistasin adaugent; ita ex adverso in sapientia, id est, ad addiscendam sapientiam opportuna sunt flagella et doctrina, Græce παιδεία, id est, disciplina, q. d. Ut filios et filias doceas sapientiam, lascivos eorum mores coerce, et corrige per flagella et disciplinam; arce vero ab eis nimias recreationes, ludos, musicam et cantus; quia hæc importuna sunt luctui, id est, sapientiæ. Sapientia enim omnibus, sed maxime juvenibus cupiditate plenis, gravis est et lugubris, potius quam levis et dissoluta; præsertim quia ipsa docet monetque assidue hanc vitam esse tempus lugendi et flendi, in cælo vero fore tempus gaudendi et ridendi. Ita Rabanus. Igitur « flagella et doctrina, » id est, disciplina, « in omni tempore sapientiæ, » scilicet sunt, hoc est, semper opportuna sunt sapientiæ, semper accommodata ad discendam sapientiam. Unde Græca habent, *flagella et disciplina* (scilicet sunt adhibenda) *in tempore sapientiæ*, quando nimirum filii et filiæ instruendi et docendi sunt sapientiam. Unde exclamat Palacius: « O miseram carnem nostram, quæ omni tempore requirit flagella! o insipientem animam nostram, quæ omni tempore eget doctrina! Non ergo miremur, si nos Deus flagellis frequentius verberet. Nec enim est pater, qui non assiduat filio flagellum; et qui parit virgæ, odit filium suum, » *Hebr. cap. xii, Proverb. cap. xiii.*

Hunc sensum indicat Syrus, dum vertit, *sicut musica inter luctum narratio importuna, et (id est, sic) correptio et doctrina in omni tempore sapientia est, id est, sapientiam parit.* Priorem partem citat, sui que silentii dat causam ob vastatam a Gothis Romam S. Hieronymus *Præfat. in Ezech.* « Postquam, inquit, clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imo Romani imperii trunca-

tum caput, et, ut verius dicam, in una urbe totus orbis interiit, obmutui, etc. Musica in luctu, importuna narratio. » Idem, epist. 34 *ad Julianum*, lugentem mortem filiarum et uxoris: « Musica in luctu, inquit, intempestiva narratio. Unde et nos leporem artis rhetoricæ contemntes, et puerilis atque plausibilis eloqui venustatem, ad S. Scripturæ gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est, ubi dolorum certa remedia. » Aliter Lyranus: « Flagella, inquit, et doctrina in omni tempore est sapientiæ, hoc est, debet fieri sapienter et prudenter. »

Moraliter, solentur se discipuli, subditi, cives omnesque homines, cum aut a magistris, Superioribus, Prælati, aut a Deo flagellantur et affliguntur, cogitantes se per hæc flagella deduci ad sapientiam, id est, virtutem et perfectionem: « Patientia enim opus perfectum habet, » *Jacob. i, 4.*

Secundo, Jansenius per metathesin sententiam invertit, sicque exponit, q. d. Importuna narratio est, sicut musica in luctu, scilicet, intempestiva, et illo tempore incongrua. Unde Tigrina vertit, *intempestiva narratio velut in luctu musica est, flagella vero et castigatio semper opportuna sunt sapientiæ.* Verum, quid hæc ad filiam, vel filium disciplinatum? quid flagellis sapientiæ, cum intempestiva narratione? Nisi dicas hanc esse importunam, flagella vero opportuna ad sapientiam. Sed et hoc alienius et frigidius est. Quid enim flagellis cum narratione? Nisi rursus dicas flagella esse disciplinæ, narrationem vero intempestivam esse indiscipline et insipientiæ, q. d. Narratio intempestiva parit insipientiam, flagella vero disciplinæ parit sapientiam. Qui sensus filio indiscipline aptari potest; hic enim narrando lepida et insulsa, solet parentum aures oblectare, sibi que devincire, ne licentiosam ejus vitam disciplina severiore castigent et flagellent.

Tropologice, Rabanus hæc exponit de concionatoribus, qui populi plausum, non planctum quærunt, quorum proinde conciones sunt quasi carmen musicum mulcens aures, non feriens cor, ut ait *Ezechiel. cap. xxxiii, 32.* « Contra eos facit, inquit Rabanus, qui operatione sua in Ecclesia plausum populi et favorem quærunt, et non ad hoc tendunt ut magis compunctionem lacrymarum in auditoribus suis excitent; cum Ecclesia panis non panis sit ridentium, sed lugentium. Ideo dicit: Flagella et doctrina in omni tempore sapientiæ: quia in omni tempore convenit ut ad præsentium rerum despectum, et ad futurorum appetitum, per doctores suos populus provocetur; ut sciat nunc tempus esse lugendi, tunc autem ridendi; nunc tempus belli, tunc autem pacis. Unde ipsa Veritas in Evangelio ait: Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. E contra alibi mundi amatoribus, qui præsentis vitæ consolationem quærunt, comminatur dicens: Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis! Hinc et Salomon ait: Cor sapientium in domo luctus, et cor insi-

Tropo-
logice, in
concio-
natores
qui
quærunt
plau-
sum, non
planctum.

piantum in domo lætitiæ, id est, in domo talis viri qui se corripit delinquentem, et adducat ad lacrymas; non in domo lætitiæ, ubi doctor decipit et decipitur, quando non conversionem audientium, sed plausus quærit et laudem.»

Post hunc versum Græca addunt hos duos : *Filii in bona vita artem* (Complutenses, *escam vel alimentum*) *habentes, propriorum parentum abscondent ignobilitatem. Filii in contemptu et vacuitate eruditionis, id est, in insipientia, gloriantes, cognationis suæ maculant nobilitatem; Tigurina, liberi si cum proba vita alimenta habeant, parentum suorum ignobilitatem obliterabunt. Liberi si cum contumacia imperitiæque fustosi fuerint, sedant nobilitatem suæ cognationis.* Verum Græca a Romanis correctæ, æque ac Syrus, et Latina omnia hosce versus omittunt.

Vers. 7.

7. QUI DOCET FATUUM, QUASI QUI CONGLUTINAT TESTAM, — *q. d.* « Qui docet fatuum, » inutiliter et frustra laborat, agitque rem difficilem vel impossibilem, perinde ac qui « testam » contractam conglutinare conatur. Fatui enim cerebrum et caput est quasi testa contracta, tum quia phantasiam et sensum communem habet quasi distractum et diffractum; tum quia vires mentis et animi habet dispersas et quasi divulsas; adeo ut anima ejus contracta videatur, et divisa in duas partes, scilicet, in concupiscibilem et rationalem, ita ut concupiscibilis rationali, prout debet, subesse et connecti nolit; tum quia conceptus cogitationes et volitiones habet disparatas, imo sæpe contrarias; quas inter se combinare et connectere nequit, sicut testa diffracta nequit conglutinari, ut firmiter cohæreat sicut prius, cum esset integra. Denique sicut testa contracta liquorem, puta vinum vel oleum, continere non potest, sic nec caput stulti sapientiam.

Fatum intelligit non physice, sed moraliter, puta peccatorem concupiscentiis deditum et affixum, qui suos appetitus regere nequit, sed suas voluptates rationi, suas cupiditates legi Dei, bona terrena cœlestibus, caduca æternis anteponit; hæc enim ingens est stultitia et fatuitas. Fatuus ergo est superbus, avarus, invidus, ebriosus, luxuriosus, etc.; hic est quasi testa contracta, quia rationes terrenas et temporales nescit combinare, et subordinare rationibus et legibus æternis; æternas enim tantum speculative cognoscit, temporales vero practice. Unde dicit: « Video meliora proboque, deteriora sequor. » Sic Aristoteles, lib. I *Politic.*, ait servos integrum non habere arbitrium, sed quasi dimidium mentis; et nonnulli Indi dicuntur dimidiatam habere animam, ob exile ingenium et tenue iudicium, præsertim in rebus fidei et divinis. Unde cap. VIII, ait: « Servus omnino non habet deliberandi arbitrium, mulier vero habet quidem, sed invalidum; puer autem habet, sed imperfectum. » Exstat imago stulto-sapientum, in qua Deus stultorum capita quasi testas contractas refingit et conglutinat, efficitque sapientia; quia hoc est opus pro-

Fatuus
luculentus
discipli-
ne,
quis?

prium, imo miraculum Dei, ac nullus figulus, nisi Deus, id efficere potest. Porro hunc locum ita citat Zacharias Pontifex, qui floruit anno Domini 740, *epist.* 11: « Docuisti, inquit, eos, et non susceperunt, et factum est illis sicut scriptum est: Sapientiam qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam, arenam et salem. » Operam ergo, o concionator, perdis, ait Palacius, si sola tua narratione eum velis glutinare, cum his quæ diximus bonis. Manus Dei potens requiritur, ut iis iterum glutinetur. Christi vox requiritur, ut Lazarum quatruiduano somno depressum vigilem efficiat. Dormiens hic mortuus est; dicat igitur Christus: Surge, qui dormis, exsurge a mortuis. Plus igitur concionator orationi nitatur, quam verbo. »

Huc spectant duo symbola Pythagoræ. Prius: « Apud quadrupedem poema ne canito; hoc est, apud ignaros et stupidos seria ne proferas. » Posterius: « In nive ne scribito, hoc est, incapicibus et mollibus animis dogmata tua ne committas. »

8. QUI NARRAT VERBUM NON AUDIENTI, QUASI QUI EXCITAT DORMIENTEM DE GRAVI SOMNO. — Comparavit fatuum testæ contractæ, nunc eum comparat dormienti. Unde Græca hæc ita combinat, *testam conglutinat qui stultum docet, et dormientem ex profundo somno excitare laborat.* Ita Tigurina, *q. d.* Frustra narres sapientiæ dictamina stulto, quia is suis cupiditatibus indormit; quare quasi dormiens non audiet quid narres; aut, si subinde semi-experrectus aliquid subaudiat, leviter, et quasi dimidius, id faciet, moxque iterum in somnum suarum voluptatum relabetur; iis enim incumbens et intentus, non attendit, nec percipit, imo avertit mentem a monitis sapientis; quia hæc contraria sunt iis quæ adeo adamat, quæque nullo modo vult dimittere. Alludit ad *Proverb.* XXIII: « In auribus insipientium ne loquaris. » Et: « Ubi non est auditus, non effundas sermonem. » Idipsum luculentius explicat vers. seq. Huc facit proverbium Arabicum, *Centur.* 1, num. 43: « Ne admittes ad volatum accipitrem tuum in terra pulverulenta, id est, ne projicias sapientiam coram stultis et impiis. » Constat enim in terra pulverulenta male succedere aucupia, eo quod cursu aucupum pulvis excitatus adimat aspectum accipitris et prædæ.

Vers. 8.

9. CUM DORMIENTE (Græce *κατακοιμηται*, id est dormitante, dormituriante, somnolento) LOQUITUR QUI ENARRAT STULTO SAPIENTIAM: ET IN FINE NARRATIONIS DICIT: QUIS EST HIC? — Græce, *quid est? q. d.* Sicut dormiens, audiens se excitantem et loquentem, dicit: Quis est qui me excitat, quid loquitur, quid vult? ac mox rursus somnolentus indormit: ita et fatuus audiens sapientiam a sapiente, quasi cupidinibus suis indormiens dicit: « Quis est hic, » qui mihi molestus est? quid dicit? cur me a somno deliciarum mearum avocat? non audio, non attendo, non capio; quia non gusto,

Vers. 9.

non delector sapientia et virtute; sed omnis meus gustus et delectatio est in voluptate, puta in ambitione, gula, ventre et venere. Syrus addit aliam similitudinem comedentis sine fame, ideoque nauseantis; sic enim nauseat stultus mente versans, et quasi comedens cibum sapientiae: «Sicut, inquit, qui excitat dormientem de somno profundo, et sicut qui comedit panem, cum non esuriet; ita qui docet stultum: et, cum completa fuerint verba tua, dicit: Quid dixisti?»

Peccator
sini
lis dor-
mie nti
ob quin-
que ana-
lo, jas.

Apposite stultum, puta peccatorem, comparat dormienti: primo, quia uti hic somno, ita ille peccato, id est voluptati, saviter et deliciose indormit; secundo, sicut in dormiente ligatur mens et ratio: sic in fatuo funibus concupiscentiae ligata est ratio et prudentia; tertio, sicut dormiens vivit vitam animale, non rationalem, sic et peccator; quarto, sicut dormiens variis luditur et illaditur somniis et phantasmatibus: sic et peccator luditur specie creaturarum, quasi amasiarum, juxta illud: «Et amantes sibi somnia fingunt. Quid enim sunt omnes hujus vitae illecebrae? Quid sunt omnes res et spes mortalium, nisi somnia vigilantium?» ut aiebat Plato. Denique, sicut pueri altum dormitantes, flagellis et verberibus a somno excitandi sunt: sic et stulti, puta impii, a veterno peccatorum plagis evellendi sunt. Huc facit proverbium Ben-Sira, *alphabeto* 4, littera *Lamed*: «Sapientem nutu, et stultum fuste,» scilicet corrige et emenda. Sapiens enim verbo monitus praestat officium, quod stultus non facit, nisi verberum ictibus coactus. Sic Pharaon non nisi decem plagis coactus cessit Deo, dimisitque Hebraeos.

Vers. 10. 10. SUPRA MORTUUM PLORA; DEFECIT ENIM LUX EJUS (S. Augustinus, in *Speculo*, legit *et*): ET SUPRA FATUUM PLORA, DEFICIT ENIM SENSUS. — Graece, *defecit enim sensus ejus*, id est *intellectus*; unde Rabanus legit, *defecit enim sensus ejus*; alii legunt, *defecit*; unde vertunt, *relinquit enim intelligentiam*; *defecit* enim tam active accipi potest, ut significet *relinquit*, quam neutre, ut significet *defecit*, eclipsin passus est instar lunae.

Et mor-
tuu.

Comparavit fatuum testae contractae, deinde dormienti; nunc eum insuper comparat mortuo. Dormiens enim speciem habet mortui, juxta illud:

Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago?

et multi dormientes in somno catarrho suffocantur, aut apoplexia aliove symptomate encantur. Sensus ergo est, *q. d.* Stultus, puta peccator, non tantum est dormiens, sed et mortuus per peccatum, cui affixus adheret. Quare sicut ploras mortem amici mortui, quia «defecit» ejus «lux,» id est vita, qua videbat et fruebatur luce solari in hoc mundo: «et» (id est *sic*, vel *similiter*; est enim *et* et Hebraeis nota similitudinis et comparationis, uti saepius monui) lege et «plora fatuum,» quia «defecit sensus,» id est prudentia et sapientia, quae est quasi vita et anima animae. Rur-

sum «defecit sensu,» quia nullum habet sensum suae salutis et rerum divinarum, perinde ac si is esset mortuus. Unde Tigurina vertit, *mortuum lumentaris quod sit luce privatus; nec minus deploret stultum, quod sensum (alii, intelligentiam) amiserit*; Syrus, *super mortuum aequum est plorare, quia privatus est luce, et super stultum, quia privatus est sapientia*. Sic Christus ploravit mortem Lazari, et plorando eum resuscitavit, ut hoc symbolo ostenderet quam deplorandus sit peccator (cujus typum gerebat Lazarus defunctus), quantisque Sanctorum et Ecclesiae lacrymis sit revocandus ad vitam gratiae. Sic Monica plorabat inconsolabiliter filium Augustinum, haeresi et libidine mortuum; unde a quodam Episcopo audivit: «Fieri nequit ut filius tot lacrymarum pereat!» Verus hic fuit vates; nam ipsa jugibus lacrymis impetravit ei veniam et vitam a Deo. (S. Hieron.)

Porro, maxime plorandi sunt fatui, id est peccatores qui in peccato moriuntur; hi enim utramque mortem, et naturalem et spiritalem obeunt, ac ad mortem secundam, puta ad gehennam ignis, transeunt, nec ab ea revocari possunt, sed per omnem aeternitatem in ea cruciabantur. Quare de his hunc locum accipit Isidorus Pelusiota, lib. 1, *epist.* 334: «Non vetat, ait, plorari omnes e vivis excedentes, sed etiam qui improbis actionibus extinctus est, nec vitam vitae rationem consecutus est, ut qui a futura luce (gloriae caelestis) exciderit.» Damna enim non sunt lugendi, tum quia desperati et perditii, tum quia a charitate et societate fidelium prorsus exclusi, et in aeternum a Deo, caelo, vita omnique bono privati, reprobati et excommunicati. Quocirca Synodus Alexandrina, quae exstat apud S. Athanasium, *Apolog.* 2 *Contra Arianos*, sic legit: «Ne fleas mortuum, neque lugeas; sed complora comploratione egredientem, quia non amplius revertetur,» *q. d.* Ne lugeas damnatum quasi mortuum resuscitandum in fine mundi; sed plora, imo omnes Sancti omnesque homines, complorate comploratione et complosione manuum pedumque, quasi perditum, desperatum et condemnatum irrevocabiliter. Summum enim malorum summe deplorandum est; huncque ploratum naturaliter ciet movetque plorantium fidelium non charitas, sed communis natura, et damnatorum extrema calamitas; charitas enim damnatis succurrere nec vult, nec valet.

11 et 12. MODICUM PLORA SUPRA MORTUUM, QUONIAM REQUIEVIT (a laboribus, doloribus et miseriis innumeris hujus vitae). NEQUISSEM ENIM NEQUISSIMA VITA SUPER MORTEM FATUI, — *q. d.* «Modicum plora supra mortuum,» quia mors ipsi est quies a labore et dolore: at «plurimum plora super vitam fatui (uti addunt quaedam manuscripta); nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui;» hoc est, quia fatui, id est impii et nequissimi, vita est nequissima, ideoque nequior, id est deterior, peior, miserior, adeoque magis deploranda quam

ipsa mors naturalis ejusdem fatui; vivit enim in peccato, id est in hostilitate Dei, ac proinde continuo auget sibi incendia æterna gehennæ, quæ augere cessat dum moritur. Hunc sensum exigunt Græca: ἡδίων, id est *dulcius, jucundius, mitius plora supra mortuum, quoniam requievit*: τοῦ γὰρ μέρου ὑπὲρ θανάτου ἢ ζωῆς, id est, *nam fatui super mortem vita, intellige ex præcedenti, est deploranda; aut super mortem, id est morte pejor et deterior, est vita fatui.* Unde Tigurina, *mortuum tamen levius defleas, utpote quiescentem; vita vero stulti morte pejor est; alii, mitius defle mortuum, eo quod requiescat; stulti autem vita morte deterior est: quia nunquam requiescit a peccato, ac consequenter nec a labore, et dolore, tum præsentium æterno; Syrus, non est plorandum super mortuo qui requiescit; pejor enim morte est vita prava.*

Quocirca S. Blancha hoc aureum dogma dabit filio S. Ludovico IX, regi Franciæ: « Fili, super omnia fuge peccatum. Mallem enim te videre, o fili, mortuum, quam peccatum mortale committentem. » Amplius dico: Vita in peccato præcise et formaliter est pejor morte, quam subeunt damnati in inferno. Peccatum enim est pejor gehenna; quia peccatum est culpa, gehenna est pœna: culpa autem altioris est ordinis longeque gravior quam quævis pœna. Ita S. Anselmus, ut habet ejus Vita, dictitabat, hocque quasi præmeditatum fixumque habebat: « Si hinc inferni ardorem, inde peccati horrorem cernerem, ac necessario alterutrum mihi eligendum foret; mallem in infernum insilire, quam peccatum committere. » Peccatum enim est offensiva Dei, eaque summa et gravissima, adeoque peccatum est Christicidium et Deicidium, ut alibi explicui.

Aliter Palacius, q. d. « Nequissimi fatui nequissima est vita super mortem, » id est nequius est eum vivere quam mori. Nam quamdiu vivit, auget peccata, indeque suam damnationem; at moriendo peccare cessat, ideoque augere damnationem tam suam quam aliorum desistit. Ipse enim nulli est bonus et commodus, sed sibi et talis nequam et noxius. Lege epistolam 23 S. Hieronymi, qua S. Paulæ ingentem luctum ob mortem filiæ Blesillæ moderatur, ac inter cætera ait: « Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis aestuat. Nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus. Quia quamdiu hic moramur, peregrinamur a Domino. Illa nos cupido teneat: Hei mihi! quia peregrinatio mea prolongata est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. » Et inferius S. Melaniæ exemplum proponens: « S. Melania, inquit, nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus mihique concedat in die sua habere partem, calente adhuc marito

corpuseulo duos simul perdidit filios, etc. Lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, et ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditus, inquit, tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti. »

13. LECTUS MORTUI SEPTEM DIES; FATUI AUTEM ET Vers. 13.
(et significat id est) IMPII, OMNES DIES VITÆ ILLORUM, — scilicet lugendi et plangendi sunt. Dat causam cur magis lugendus sit fatuus quam mortuus, q. d. Sufficiunt « septem dies » ad lugendum mortuum; at « fatui; » id est impii, « dies omnes vitæ » lugendi sunt, quia hi non tam vitæ quam mortis continuæ sunt dies. Hanc causam indicat Syrus, addens enim: *Luctus enim, inquit, mortui septem dies, et luctus stulti omnes dies vitæ ipsius.*

Non negat quin pluribus diebus quam septem liceat lugere mortuos: nam Mosen planxerunt Hebræi per triginta dies, Deuter. xxxiv, Jacobum per septuaginta, Genes. cap. l, sed quod septem dies satis sint, ideoque apud Hebræos, quos postea secuti sunt Christiani, septenarius hic luctus funeris fuerit usu receptus; septenarius enim numerus est plenitudinis et revolutionis; post hebdomadam enim septem dierum, iidem dies revolvuntur, et in orbem redeunt. Unde Tigurina, *defunctus septenis diebus est lamentabilis; stultus autem et impius diebus vitæ suæ omnibus; alii, luctus mortui septem dierum est; stulti autem et impii omnium dierum vitæ ipsius.* Adde die septima finiri luctum; quia octava symbolum est resurrectionis, lætitiæ et felicitatis. Unde S. Augustinus, serm. 13 De Sanctis, ex nuper inventis ad finem tomæ X, expendens citatum Ecclesiastici locum, ostendensque sicut homo moritur, recedente anima, ita animam recedente Deo; subdit: « An vero, inquit, non in te sunt viscera Christianæ miserationis, ut plangas corpus, a quo discessit anima; et non plangas animam, a qua recessit Deus? » Quasi nihil magis præposterum ac perversum esse possit.

Per luctum intellige ploratum et planctum (hic enim durabat per septem dies) in quo ejulabant; saccum sive cilicium induebant, caput cinere adspergebant, publico abstinebant. Adhibebant quoque tibicines et præficas, id est mulieres lamentatrices, quæ passis crinibus manus compludentes, pectora tundentes, et nœniam lugubri voce modulantes, omnes excitabant ad planctum. Unde illud Poetæ:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Addebant Gentiles, præsertim Romani, lacerationes genarum, maledicta in deos, laniationem comarum, lacertorum et pectorum. Unde Virgilius, lib. IV *Eneid.*, de Anna Didonis mortem deplorante:

Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis.

Post hunc tamen planctum, sive luctum sepulcralem et vehementem septem dierum, alium

Olim
lugebant
per septem
dies.

Virg.
lugebat
per septem
dies.

Peccatum
pejor
gehenna.

Moral.
de luctu
de fun
erorum
modo
laudat.

addebant leniorem qui durabat per annum integrum. In hoc luctu funebri apud Romanos erat justitium; consules sedebant vulgari sede in curia; fasces præferebantur inversi; læta omnia vitabant; abstinebant publico; fugiebant convivia; focum non instruebant; uxoribus jam marito mortuo viduis, aliud inire matrimonium non licebat, tum ut maritum honeste lugerent, tum ut ejus manes placarent (quæ erat Gentilium superstitio); tum, ut ait Ulpianus, lib. VIII *ad Edit.*, « propter turbationem sanguinis, » ne, si iorte prægnans a defuncto marito relicta esset uxor, et illa intra legitimum tempus alteri nuberet, dubitari posset cujus esset proles. Ita Romulus luctus tempus decem mensium spatio (todidem enim mensibus annum ipse definivit, teste Macrobio, lib. XI, cap. XII, cui postea Julius Cæsar duos addidit, fecitque ut essent duodecim menses in anno) circumscripsit, ut tanto tempore lugeretur hominis occasus, quanto fit ejus ortus. Novem enim vel decem mensibus homo formatur in utero matris. Unde Ovidius, lib. I *Fastorum* :

Quod satis est utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Per totidem menses a funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristitia signa domo.

Idem docet Cicero, orat. *pro Cluentio*. Et Seneca, *epist.* 63. « Annum, inquit, feminis ad legendum constituere majores, non ut tamdiu lugerent, sed ne diutius: viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. » Sic de Junio Bruto consule Romano ait Livius lib. II: « Matronæ annum ut parentem eum » luxerunt, quod tam acer « ultor violatæ pudicitie fuisset. » Sic et Gratianus, Valentinianus ac Theodosius Imperator annum *legendi marito præscripserunt, ut patet lib. II Codicis Theodosii.*

Vers. 11. 14. CUM STULTO NE MULTUM LOQUARIS, ET CUM INSENSATO NE ABIERIS. — Est dictorum conclusio, *q. d.* Cum stulti, id est impii, suis peccatis affixi, sint incorrigibiles, ut moneri nolint, imo monita non audiant quasi dormientes et mortui; hinc infero et suadeo ut ab eorum consortio caveas, nec cum eis multum loquaris, incedas aut converseris; tum ne eorum insulsos improbosque sermones et mores audire et tolerare cogaris; tum ne ipsi suam stultitiam et improbitatem tibi afflent: qui enim versatur cum superbo, esto sit humilis, sensim ejus superbiam induit; qui cum avaro, ejus avaritiam; qui cum guloso, ejus gulam; qui cum luxurioso, ex ejus obscænis verbis et actibus quos quotidie aspicit, obscænitatem etiam nescius et invitus imbibit. Unde Salomon *Proverb.* cap. XIII, vers. 20: « Qui cum sapientibus graditur, inquit, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur; tum ne stulti et impii suum malum nomen et infamiam tibi affricent: qui enim cum improbis versantur, censentur improbi et malæ famæ; tum denique, quia cum eis,

utpote desperatis, perdis oleum et operam. Unde Græca Complutens. addunt, *non sentiens* (non audiens, nolens attendere et advertere tua monita) *enim spernet omnia tua*; Tigurina vertit, *ne verba multa facias cum insipiente, nec ad exordem accesseris*; alii, *cum amente ne multiplices sermonem, et ad insipientem ne accedito*; Syrus, *cum stulto ne complaceas in sermonibus, et cum sue* (impio et carnali, qui loquitur et vivit sordide, ut sus et porcus) *ne incedas per viam*. Hoc est quod ait Salomon *Proverb.* XXIII, 9: « In auribus insipientium ne loquaris, quia despiciet doctrinam eloqui tui. » Et, cap. IX, 8: « Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te. »

15. SERVA TE AB ILLO, UT NON MOLESTIAM HABEAS, **Vers. 12.**

ET NON COINQUABERIS PECCATO ILLIUS. — Solent enim impii suis sceleribus sibi familiares et amicos in periculum litium, rixarum, carceris, privationis bonorum, infamiae, mortis, peccati et gehennæ adducere. Græce pro peccato est, *ἐν τῷ ἐπιπορευθῆναι αὐτῷ*, id est, in concussione illius. Unde Tigurina, *ne labem ex conquassatione* (Vatablus, *ex interitu, vel dum quid ejaculatur*) *ipsius contrahas*; alii, *ne contamineris tīs quæ excusserit*; Syrus, *recede ab illo ne contristet te, et ne conspurcet, cum ipse excusserit se, cum, scilicet, impia sua verba et opera protulerit: sicut mendicus cum suum centonem excutit, vicinos implet sordibus et vermibus*. Unde Noster apte vertit, « et non coinquinaberis peccato illius. » Huc facit proverbium Hebræorum: « Væ improbo, et væ vicino ejus. » Et: « Qui cum improbo habitat, cum eo vapulat; » Et: « Propter folium vapulat caulis, » hoc est, propter impios pii eis familiares vituperantur.

Moraliter, discite hic quam noxia sit societas stultorum, id est perversorum, qui non ratione, sed stultitia, id est concupiscentia et imprudentia, aguntur. Horum enim consilia, colloquia, risus, actiones, etc., sunt pestifera, ac instar pestis contagium et virus suum aliis afflant. « Neque enim, inquit Nazianzenus, orat. 21, vel pannus tincturam ita facile concipit, vel is qui foetidus aut suavi odori propius se adjunxit, ejus particeps fit, vel vapor quidam morbidus et noxius pari facilitate in aerem diffunditur, ac per aerem animantibus impertitur, quam nos vero nomine pestem dicimus, ut subditi præfectorum vitio celerrime imbui atque impleri solent, et quidem multo facilius quam virtute. » Porro longe magis noxia est societas malorum, quam salutifera sit societas bonorum, tum quia ad malum procliviores sumus quam ad bonum, tum quia bonum est difficile et arduum, malum vero facile et in promptu. Audi S. Augustinum, lib. *Contra Fulgentium Donat.* cap. XVI: « Facilius, inquit, sanctus qui junctus fuerit genti huic pessimæ, pessimatur, quam gens ista in melius commutetur; quia proclivius ad imitationem malorum curritur, quam ad virtutes bonorum animus excitatur. Sicut mellis plurimo parum absinthii

Con-
sortis
pervo-
rum pes-
tiferæ.

injectum, velocem amaritudinem trahit : mellis vero etiamsi duplum injiciatur, non poterit ejus obtineri dulcedo. » Eadem autem mellis et absinthii similitudine utitur Nazianzenus ad idem, aliasque affert non reticendas : « Citius, inquit, exiguum vitium uberrime largissimeque cuiquam impertiri queat, quam vel copiosissima virtus parce communicari : nam et exiguum absinthium amarorem suum melli celerrime impertiverit; mel contra ne duplo quidem majus, dulcedinem suam absinthio infuderit : ac parvo quidem lapide summoto, flumen totum in pronum trahitur; ejusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi reprimique vix potest. » Hujus rei symbolum erat apud Judæos, quod caro immunda et polluta suo contactu polluebat omnia quæ tangebat; caro vero sancta Deoque oblata non sanctificabat tangentes vel comedentes eam, uti docet Aggæus cap. II, 12. Vide ibi dicta.

Vers. 16. 16. DEFLECTE AB ILLO, ET INVENIES REQUIEM, ET NON ACEDIABERIS (tædio afficeris) IN STULTITIA ILLIUS. — Alii, in amentia illius; unde Tigurina, nec ab amentia ejus marorem accipias; Complutenses, in otiositate illius. Græce enim est ἐν ἀνομοῖς αὐτοῦ. Ἀνομοῖα autem primo, dicitur quasi ἀνόμος, id est, sine lābore, puta otium, segnitias, socordia; secundo, ἀνόμοια est ἀνομία; nam deducitur a νόμος νόμος, id est, mens, cum ἀπό, id est, sine; et sic ἀνόμοια idem est quod sine mente, vecordia, amentia, vita flagitiosa et contaminata: item astus, superbia, arrogantia, contumacia, desperatio. Syrus, recede ab illo, et invenies requiem, et non fatigabit te multitudine narrationum, suarum. Quocirca sapienter P. Syrus Mimus in Sentent.: « Amicitie firmamentum, ait, est sapientia. »

Vers. 17. 17. SUPER PLUMBUM QUID GRAVANTUR? ET QUOD ILLI ALIUD NOMEN QUAM FATUUS? — Corrupte Complutenses legunt, quam plumbum. Sensus est, q. d. Gravissimum inter metalla resque omnes est plumbum; at illo gravior, onerosior et molestior est stultus, id est impius, præsertim quia in graves ærumnas, adeoque in gehennæ periculum se suosque conjicit, deprimit et demergit, quasi dicas: Impius est plumbeus, imo plumbum et plumbo onerosior. Tigurina, quid nomines aliud quod gravius sit plumbo, quam stultum? Syrus, plumbo enim valde gravior est: et quod nomen ejus nisi stultus? Alludit ad Proverb. XXVII: « Grave est saxum, et onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior. » Vere S. Bernardus, tract. De Vita Solit.: « Malus homo, ait, nunquam tute secum habitat, quia cum malo homine habitat; et nemo ei molestior est, quam ipse sibi; » si sibi, ergo et aliis.

Vers. 18. 18. ARENAM, ET SALEM, ET MASSAM FERRI FACILIUS EST FERRE, QUAM HOMINEM IMPUDENTEM, ET FATUUM, ET IMPIUM, — id est, quam impium, qui est imprudens et fatuus, quia imprudenter et fatue anteponebat terram cælo, tempus æternitati, gehennam gloriæ, rogum regno, venerem Deo. Non enim hi sunt tres distincti, sed unus et idem tria habens

nomina quasi epitheta. Idem enim « imprudens est scientia, fatuus doctrina, impius vita, » ait Rabanus. Semper enim hoc libro per fatuum, insipientem et imprudentem intelligit impium. Unde Græca pro hisce tribus habent unum, scilicet ἀρρητοῦ, id est, imprudentem. Quem vers. præced. comparavit plumbo ponderosissimo, hic tribus aliis valde ponderosis pari modo comparat, nimirum, arenæ, sali et massæ ferri: hisce enim ponderosior est stultus et stultitia. Illa enim, ait Jansenius, corpus duntaxat gravant, hæc vero animus: illa facile excutiuntur, hæc ægre et raro; illa arte allevari possunt, puta curru, equo, mulo vectari queunt; hujus pondus nulla re naturali (sed sola Dei illuminatione et gratia) non dico tolli, sed nec minui potest: præsertim quia fatuus putat se esse sapientem, imo sapientibus omnibus sapienterem: quare a nemine doceri aut moveri se patitur, sed ipse omnes vult docere et arguere, nihilque rectum putat nisi quod ipse dixerit aut gesserit. Quod sane ei qui cum eo versatur ingens est onus et molestia. Unde Syrus, arenam, et salem, et pondus ferri facilius est ferre, quam habitare cum viro stulto; Tigurina, cum ex corde. « Igitur gravissima, ait Palacius, in mundo sunt plumbum, arena, sal et ferrum. At his gravior est stultus. Si enim deorsum ferri, gravitatis est signum: fatuus in infernum descendit, quo plumbum et alia gravissima descendere nequeunt. Et quidem fert Deus omnia, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et fert omnia verbo virtutis suæ: fatuum tamen non sustinet. Ait enim: Laboravi sustinens, Isaiæ I, 14, et tandem pondus in infernum excutiet. »

Quocirca Boetius, lib. IV De Consolatione, docet stultos, id est impios, non tam esse homines quam bestias. « Evenit igitur, inquit, ut, quem transformatum vitium videas, hominem existimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Ira intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum vivit. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate definetur. Ita fit, ut qui, probitate deserta, homo esse desiderit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. » Hinc diducit hæc paradoxa, sed reipsa verissima. Primum: « Sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est. » Secundum: « Cum ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quod boni sunt, fieri beatos liquet; sed qui beati sunt, deos esse convenit. » Tertium: « Infeliciores esse necesse est malos, cum cupita perfecerint, quam si ea quæ cupiunt, implere non possint. Nam si miserum est voluisse prava,

Impii
sunt
quasi
lrua.

Quin-
que co-
rollaria.
Primum.
Secun-
dum.

potuisse miserius est, sine quo voluntatis misera langueret effectus. Ita tunc cum sua singulis miseria sit, triplici infortunio necesse est ut urgeantur, quos videas scelus velle, posse, perficere. » *Quartum*: « Feliciores esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ poena coerceat. » Rationem subdit, quod ipsa peccandi impunitas magnum sit malum et infelicitas; ex adverso poena castigans culpam magnum sit justitiæ bonum, quo carent improbi, dum manent impuniti. *Quintum*: « Veram illam Platonis esse sententiam liquet, solos, quod desiderant, facere posse sapientes: improbos vero exercere quidem quod libeat; quod vero desiderant, explere non posse. Faciunt enim quælibet, dum per ea quibus delectantur, id bonum quod desiderant, se adepturos putant; sed minime adipiscuntur, quoniam ad beatitudinem proba non veniunt, » nec cupiditatem explent, nec mentem satiant.

Vers. 19. 19 et 20. LORAMENTUM (male nonnulli legunt, ornamentum; alii, levamentum pro ligamentum) LIGNEUM COLLIGATUM IN FUNDAMENTO EDIFICII NON DISSOLVETUR: SIC ET COR CONFIRMATUM IN COGITATIONE CONSISTIT.

Vers. 20. LH. COGITATUS SENSATI IN OMNI TEMPORE, METU NON DEPRAVABITUR — « Loramentum » proprie est lorum, quo quasi retinaculo constringuntur et retinentur canes, boves cæteraque jumenta, quales sunt habena equorum. Hinc per catachresin loramentum significat quodvis vinculum et ligamentum, sive illud ex loris, sive ex catenis, sive ex lignis, sive ex alia materia sit factum. Hic ergo significat vinculum ligneum, sive aptam lignorum inter se connexionem et contignationem, quæ fit per clavos ligneos. Idem significat Græcum *ἰσχυρῶς*, id est colligatio, conjunctio: *ἰσχυρῶς* enim est lorum vel corrigia qua res colligantur; item ferramentum rote. Rursum *ἰσχυρῶς* est lignum, quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur, ait S. Hieronymus et Suidas.

Syrus pro *ἰσχυρῶς*, legit *ἰσχυρῶς*, id est vestimentum. Unde vertit, sicut vestis ex lino aut lana alba (*ἰσχυρῶς* enim et ligneum significat, et lineum vel laneum, puta gossypinum; *ἰσχυρῶς* est gossypium, sive bombax aut bombasum) coram tempestate non consistit: ita et cor stulti in visceribus eius contritum est, et coram tribulatione non potest consistere.

Græca addunt *συστοιχῆς*, id est in concussione, Sensus ergo, q. d. Sicut « loramentum, » id est alligamentum vel connexio trabium ædificii, quæ lignis et ligneis clavis quasi loris firmissime colligantur, non facile dissolvitur, nec vi ventorum concutitur: sic nec prudens et firmum sapientis consilium facile dissolvitur, aut vi tentationum, adversitatum, persecutionum infringitur vel concutitur: validis enim rationibus quasi clavis connexum et compactum est: quo fit ut sapientis animus non facile a suo proposito, prius bene expenso et consultato abducatur: cogitatus ergo sensati et prudentis, metu potentum et quarumvis difficultatum, non floccitur, non concutitur, ut ejus pro-

positum evertatur aut depravetur: metum enim assimilat concussioni. Unde ex Græca sic vertunt Complutenses, *connexio lignea ligata in ædificium, concussione non dissolvitur: sic cor firmatum in cogitatione consilii, in omni tempore non timebit*; Tigurina, *et compages et jugamenta lignea ædificio indita concussu non dissolvuntur: sic animus firmatus per penso consilio nullo tempore pertimescet*. Vatablus pro *compages* vertit, *subscudes*. « Subscudes sunt tabellæ, inquit Fletus, quibus tabulæ inter se confignantur; sic dictæ, quia qua immittuntur, succeduntur. » Rursum subscudes sunt lignea retinacula, quæ etiam securicula a forma vocantur, quasi securicula, quibus duo tigna tenacissime inter se vincuntur. Galli hirundinum caudas appellant. Sic Vitruvius, lib. XVIII, cap. x, vocat subscudem, molle ferrum molendini, quod molam continet. Et Pacuvius: « Nec ulla subscus continet compagem. » Alii vertunt, *compages lignea in ædificatione connexa commotione non dissolvitur: sic cor deliberato consilio firmatum nullo tempore, pertimescet*; Syrus, *sicut structura lignorum colligata in parietibus angulorum domus: sic cor intelligens in consilio mentis suæ, et omnis timor non dimovebit illud*. Hoc est quod canit Psaltes Psal. CXI: « Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus: non commovebitur. »

Causa est, quod prudens prudenter omnia provideat, examinet, disponat et connectat, contraque omnes tentationes et difficultates se præmuniat et obarmet. Imitatur enim Deum, cujus providentia et provida dispositio certa et inconcussa persistit, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter; quia rerum omnium series et ordines adeo sapienter rationibus inter se connexuit, ut nulla hominum vel dæmonum vi everti possint. Hanc sapientiam inconcussam et inviolabilem justis, quasi suis amicis et filiis, per gratiam aspirat Deus: quo fit ut ipsorum consilia quasi divina, contra omnes dæmonum hominumque vires et fraudes inconcussa consistent. Sic de Fabricio dicebant Romani: « Facilius est solem a suo cursu, quam Fabricium a suo proposito deducere. » Talis fuit S. Athanasius, qui nullis imperatorum, episcoporum, totiusque orbis persecutionibus per 46 annos a proposito tuendi homousii contra Arianos deduci potuit. Tales fuere S. Basilus, S. Chrysostomus, S. Nazianzenus cæterique heroes Ecclesie, Tales fuere Martyres, de quibus canit Ecclesia:

Hi pro te furias atque ferocia
Calcarunt hominum, savaque verbera:
Cessit his lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.

Moraliter, discite hic per Dei gratiam et consilium firmare cor tuum in proposito serviendi Deo, ut firmiter decernas nullo metu, pretio vel præmio a Dei cultu resilire. Hoc enim propositum dum perseverat, nullo temporis lapsu senescit, nullo tyrannorum metu evertitur. Si ædificium sancti-

tatis dirui debet, prius hoc propositum a corde auferatur oportet. Ita David *Psal. cxviii*: «Juravi, inquit, et statui custodire iudicia justitiæ tuæ.» A bonis ergo firmisque propositis crebro iteratis et confirmatis, pendet constantia virtutis, honorum operum, sanctitatis et salutis.

Mystice Rabanus: «Loramentum, inquit, lignum colligatum fundamento ædificii non dissolvitur, quoniam fides passionis Christi in cordibus credentium adjuncta doctrinæ Apostolorum, indissolubile ædificium Ecclesiæ facit, veræque charitatis glutino fortiter connexum, nec persecutorum minis et flagellis, nec hæreticorum insidiis unquam destrui permittit: firmum enim stat Domini fundamentum, et cor fidelis viri in hujusmodi dogmatibus confirmatum, aliqua adversitate infirmari non potest; sed summi artificis manu corroboratum, illæsum permanet in perpetuum.»

SICUT ORNATUS ARENOSUS IN PARIETE LIMPIDO. — Dele hæc verba cum Romanis; licet enim habeantur in Græco, tamen noster Latinus ea expressit verbis sequentibus, scilicet «cæmenta sine impensa posita;» hæc enim sunt ornatus arenosus parietis, puta crusta ex calce et arena, quæ parietis superinducitur. Verum, quia id sciolas quispian non advertit, hinc quod in Græco invenit, sic ad verbum expressit: «Sicut ornatus,» etc. Porro Græca hæc jungunt versui præced. hoc modo: «Cor firmum in mente intellectus vel consilii, sicut ornatus arenosus in pariete raso,» id est, terso, *q. d.* «Sicut ornatus arenosus,» id est calx mixta arenæ, puta cæmentum, parietem incrustat, firmat et ornat: sic et consilium viri prudentis cor firmat et ornat; prudentia enim et solertia deliberandi et dijudicandi, animo sapientis ingens est munimentum, æque ac ornamentum. Unde Syrus, *cor sincerum in cogitatione mentis suæ, sicut ornamentum statuarum in parietibus ornatis*; Tigurina, *animus sententia cordata nixus, est velut in polito pariete arenarum tectorium*. Græca tamen Romæ emendata hæc verba jungunt sequentibus, uti faciunt Latina; unde sic habent, *sicut ornatus arenosus parietis limpidi, pali in excelso contra faciem venti positi non permanent: sic cor timidum in cogitatione stulti contra omnem timorem non resistet.*

21 et 22. SICUT PALI (minus recte nonnulli legunt *palæ*; Græce enim est *χαρμυξ*, id est valli, id est firmiores pali cui vitis alligatur; pedamentum dicitur Latini et statumen) IN EXCELSIS, ET CEMENTA SINE IMPENSA POSITA CONTRA FACIEM VENTI NON PERMANEBUNT: SIC ET COR TIMIDUM IN COGITATIONE STULTI CONTRA IMPETUM TIMORIS NON RESISTET.

— Cordi sapientis firmo, quod nullo metu concutitur, eo quod in omnibus se dirigat sano consilio et prudentia, opponit «cor timidum» stulti, quod quia consilio et prudentia destituitur, timore occurrentium difficultatum agitur, sicut vento agitantur canne et «pali in excelso» collo-

cati, et sicut «cæmenta sine impensa,» id est, leviter et temere (quia scilicet parvum est calci, ut nimium sit arenæ, quæ tam exigua calce imbui et conglutinari nequeat; vel quia calx negligenter fuit præparata, ut parceretur impensæ) præparata, injecta parieti, facile a vento, velut decidua, discutiuntur, vel pluvia diluuntur. Eodem enim modo et cor fatui, ait Jansenius, quod sibi non est bene conscium, et in bono firmatum non est, nec habet suarum actionum solidas rationes, mox, cum tempestas aliqua malorum ingruerit, timorem ineutiens, non persistit; sed deiecitur et turbatur, animi consiliique inops, nihil firmum sequitur, sed fluctuat, dilabitur, et in omnem se mutat occasionem. Unde Græca Complutensium habent, *sustentacula in alto posita contra ventum non permanent: sic cor timidum in cogitatione fatui contra omnem timorem non resistet*; Tigurina, *ut positi in excelso valli ventum non sustinent: sic animus meticulousus in cogitatione stulti contra vultum metum substitit*; alii, *ridicæ in sublime posita adversus ventum non permanent: ita cor pavidum in cogitatione stulti adversus nullum metum subsistit*. Metus ergo discriminat cor sapiens et stultum; nam vincit cor stulti, vincitur vero a corde sapientis. *Ridicæ* est pedamentum vinearum, quod e quercu et junipero solet fieri, et subinde olea. *Ridicæ* ergo sunt pali quærnei, aut juniperini, vel oleagini, aut sambucei, etc., qui vites sustentant: quod Romæ faciunt canne, sive calami arundinum. Porro codices Græci et Latini hic mire variant. Vide Franciscum Lucam hic: sed sequenda nobis est Latina Vulgata Romæ emendata. Syrus, *ligamen parvum super lapide elevato, et qui parum bonus est coram vento non poterit stare*. Siracidi attestatur Christus *Matth. vii, 24*: «Omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.»

Ratio a priori hujus sententiæ est. *Prima*, quod sapientia, id est virtus, natura sua sit fortis et constans; vitium vero et vitiosa conscientia sit pavida, levis et incostans, de quo plura *Sapient.* cap. xvii, 3 et seq. *Secunda*, quod sapiens, id est prudens, nihil aggrediatur nisi prius bene libratum et discussum; quare omnia agit ex præscripto prudentiæ, et ex sapientium consilio: consilium autem firmat hominem, et communit contra omnes incidentes casus, pericula et timores, ut in omnibus impavidus consistat. Imprudens vero et stultus, quia temere sua agit, sine præmeditatione et consilio, hinc, cum in rei ex-

Ratio a priori.

Insi-
piens pa-
vidus,
sapientis
impavi-
dus.

secutione occurrunt difficultates et pericula, iis se expedire nequit; quare trepidat, angitur, et variis timoribus discruciat. Igitur stultus similis est cervo ubique timido, quia innata est ei timiditas et pavor, de quo exstat apologus apud Gabrielelem Faernum: « Hinnulum cum cervo sic locutum aliquando ferunt: Mi pater, cum multis major canibus, et pedum his celeritate praestes, praeterea cum tibi sint ardua cornua, quibus a te vim propulsare facile possis: qui fit, ut canes tantopere metuas? Ibi cervus ridens: Mi nate, vera, inquit, memoras; mihi tamen, nescio quo pacto, semper accidit, ut audita canum voce, in fugam statim convertar. » Affabulatio:

« Timidi et fugacis ingenii qui sunt, eos
Nulla arma, nulla texerint sat mœnia. »

Talis fuit Pisander, qui anxie metuebat ne suam ipsius animam alicubi videret, quæ se vivum dereliquisset. Unde proverbium: « Pisandro timidior. » Ita extimuit cor Adæ post comestum pomum vetitum: « Vocem, inquit, tuam audivi in paradiso, et timui eo quod nudus essem, et abscondi me, » *Genes. III, 10.* Ita pavidum fuit cor Caini post paricidium Abelis; unde ait: « A facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me, » *Genes. IV, 14.* Ita trepidarunt Ægyptii ad plagas Mosis, quorum pavorem graphice depingit Sapientia, cap. XVII, 3. Porro pavor hic ingens est malum et tormentum, juxta illud Arabum adagium: « Accidens (infortunium) patienti unum est, paventi autem geminum. » Et illud: « Pejor est bello timor ipse belli. »

Vers. 23. 23. SICUT COR TREPIDUM IN COGITATIONE FATUI, OMNI TEMPORE NON METUET, SIC ET QUI IN PRÆCEPTIS DEI PERMANET SEMPER. — Jansenius et Franciscus Lucas censent hunc versum irrepsisse ex varia translatione vers. præced., tum quia hic versus deest in Græco, eumque omittit Rabanus, tum quia incongruum videtur habere sensum, tum quia in speciem repugnat versui præcedenti. Verum, quia Biblia Latina pleraque, etiam a Romanis correctæ, eum constanter legunt: primo, Jansenius eum sic necit et exponit: « Omni tempore non metuet sic, » scilicet, sicut stultus, « et, » id est etiam, « ille qui in præceptis Dei permanet semper, » *q. d.* Stultus metuet, at non etiam id faciet sapiens et justus. Unde Biblia Bessarionis, Brugensia et Atrebatensia, quæ citat Franciscus Lucas, omittunt *et sicut cor trepidum in cogitatione fatui*, sicque legunt quasi sequitur: « Et in omni tempore non metuet qui in præceptis Dei permanet semper; » quæ sane lectio plena et apta est hoc loco.

Secundo, sequendo editionem et distinctionem Romanam, hic erit sensus, *q. d.* Sicut cor fatui trepidum ad terricula humana, nunquam metuit ruinas et terriculamenta divina, puta non timet Deum, non judicium, non dæmonem, non infernum: sic ex adverso sapiens, qui permanet in præceptis Dei, non metuit terriculamenta humana, sed divina. Aut potius, ut aptius cohæreat præcedentibus, *q. d.* Fatuus « non metuit omni tempore, » sed aliquo tantum, nimirum tempore timoris, uti præcessit, quando, scilicet, timor paupertatis, infamiæ, adversitatis aut cladis eum invaserit. At vere sapiens, qui in præceptis Dei permanet, semper non metuet, semper erit metus et timoris expers, unde Rabanus pro *sic et qui*, legit *sed qui*, ut vis antitheseos consistat in *et non omni tempore, et semper, q. d.* Stultus omni tempore non metuet, sed aliquo; at sapiens semper non metuet, id est, nunquam metuet; nimirum, non metuet paupertatem, non persecutionem, non mortem, non dæmones, non gehennam: quia « perfecta charitas foras mittit timorem, » *I Joan. IV, 18*: vide ibi dicta. Hinc justus confidit ut leo, imo morti insultat, uti fecit S. Andreas, S. Ignatius, S. Polycarpus, S. Laurentius, S. Vincentius, etc. Metus ergo spoliationis, infamiæ, incarcerationis, mortis, est lapis lydius quo discriminantur stulti a sapientibus et cordatis: stulti enim metui cedunt; cordati constanter et fortiter resistunt, ut sapientiam et justitiam conservent.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus in *Distichis*: « Ut incus maxima, inquit, ictus non pertimescit: sic mens sapiens omne detrimentum extrudit. Ut foliorum strepitus exterrent lepores, ita rerum umbræ timidus homines atque ignavos. » Sapiens ergo audet ut leo, insipiens pavet ut lepus; illius cor leoninum est, hujus leporinum. Hinc S. Pancratius martyr ad Diocletianum: « Noli, inquit, Imperator, frustra decipi, quod me puerum vides. Nam Dominus Jesus Christus eam mihi mentem infudit, ut nullos terrores principum aut judicum reformidem. » Et S. Acathius centurio et martyr: « En, inquit, corpus ad flagella paratissimum, utere eo ut libet; animi vero mei propositum nec Imperator, nec omnis dæmonum malitia evertere poterit. »

PUNGENS OCULUM DEDUCIT LACRYMAS: ET QUI PUNGIT COR, PROFERT SENSUM. — Rabanus hæc jungit præcedentibus, sicque legit, *sed qui in præceptis Dei permanet, semper pungens oculos deducet lacrymas.* Verum Græca et cæteri Latini legunt et dispungunt eo modo, quo Vulgatus Interpres. Sensum jam dabo.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE CAVENDIS CONVICTIIS ET INJURIIS IN AMICITIA, DEQUE SERVANDA FIDE AMICO IN ADVERSIS ET SECRETIS.

Vers. 21. 21. PUNGENS OCULUM DEDUCIT LACRYMAS, ET (id est sic, similiter, simili modo) QUI PUNGIT COR, PROFERT SENSUM. — Pro *sensum* Græce non est *σύνεσις*, id est sapientiam, prudentiam, sed *αἰσθησις*, id est, sen-

sationem, qua sentitur ipsa punctio et punctura, q. d. Sicut oculus dum pungitur, ostendit se hanc puncturam sentire et dolere, huncque suum sensum et dolorem testatur per lacrymas, quas velut sui indices emittit et profundit: ita similiter, « qui pungit cor, » id est mentem, minando, laudando, terrendo, interrogando, agitando, vexando, obiecta amoris vel odii proponendo, etc., « hic profert sensum, » id est, affectus iræ, lætitiæ, timoris proritat et prodi facit, ut illi se has minas, laudes, terrores, vexationes sentire per signa externa significent. Unde Tigurina, *qui pungit oculum*, inquit, *elicit lacrymam: qui cor stimulat, affectus prurit; alii, patefacit sensum.*

Analo- Apposite cor comparat oculo. Primo, quia
gic cor- utrumque est præstantissimum hominis mem-
ais et brum, æque ac tenerrimum. Secundo, utrumque
oculi. valde est sensibile. Unde sicut oculus est sedes
quinque. lacrymarum, ita cor est sedes passionum et affectionum animi. Tertio, quia sympathia est inter cor et oculum; cor enim suos affectus amoris, odii, iræ, lætitiæ, tristitiæ, pavoris, sollicitudinis maxime ostendit per oculos. Quarto, quia quod oculus est in capite, hoc est cor in pectore; sicut enim præcipuus sensus externus, puta visus, quo homo percipit sentitque res omnes, est in capite: sic præcipuus sensus internus, quo omnes animæ affectiones circa res quaslibet sentiuntur ab homine, est in corde. Quare sicut oculus est quasi cor capitis et sensuum exteriorum: sic vicissim cor est quasi oculus pectoris et sensuum interiorum. Quinto, sicut oculus, quia tener, illico in punctura suum dolorem per lacrymas significat: ita cor suam in punctura sensationem, per affectus internos et externos manifestat.

Porro sententia hæc, quia generalis, cuilibet punctioni cordis, et cuilibet ejus sensationi aptari potest; proprie tamen Siracides respicit ad puncturam, qua læditur amicus et amicitia, de qua enim agit in sequentibus, q. d. Sicut qui oculum alterius pungit, eum dolore afficit, facitque ut ipse dolorem suum indicet per lacrymas: sic qui pungit amici cor verbis mordacibus et aculeafis, aut factis injuriis; hic illud dolore afficit, facitque ut ipsum hunc sui doloris sensum per gemitus, fremitus, suspiria verbaque dolentia significet; cum enim sedes tristitiæ cor sit, cor punctum contumelia, gemitu et lacrymis uberlim manat, quæ ingentis mæroris testes sunt. Ita Syrus, *plaga* (vel percussio) *oculi*, inquit, *descendere facit lacrymas, et plaga cordis aufert amicitiam.* Tacite ergo admonet, ut caveamus ab omni injuria et mordacitate, ne illa amicum offendamus, et amicitiam evertamus. Idem clarius significat sequent. versu, alia avium similitudine. Unde Palacius sic explicat: « Vis, inquit, cognoscere, quali sensu quilibet est? punge cor ejus, illum aliquo verbo extimula, aliqua injuria vel molestia affice. Ut enim naturale est oculo puncto lacrymas proferre: ita cordi puncto, sui specimen et indicium produ-

cere. Facile abscondas cor tuum, si tibi detur cogitandi locus; at, si subito pungaris, subito proferes quis sis, scilicet mansuetus, patiens, humilis, aut contra. »

25. MITTENS LAPIDEM IN VOLATILIA, DEJICIET (Græce Vers. 25. ἀποβάσει, id est, abigit, repellit, excutit, alienat) ILLA: SIC ET QUI CONVICIATUR AMICO, DISSOLVIT AMICITIAM, — q. d. Sicut jaciens lapidem in aves, dejicit et depellit illas ex arbore in qua resident, illasque abigit et avolare facit: ita « qui conviciatur amico, » depellit abigitque illum, » ejusque « amicitiam » alienat et « dissolvit. » Monet ergo in amicitia summe cavendum a convicio, utpote quod sit quasi telum jactum in amicum, eum fugans et offendens. Amici enim ab amicis non ferunt probra, sed ab eis coli et honorari volunt. Hanc autem amicitia legem transgreditur, qui hostis ingenium induens, dedecore afficit amicum, ejusque vitia in publicum prodit, percutiens eum mucrone convicii. Agit enim hic de convicio non levi et familiari, sed gravi, quod amici famam adimit, aut valde lædit. Unde Syrus, *qui projicit lapidem in avem, avolare facit eam; et qui fraudat socium suum, tollit* (alia lectio habet perdit) *amicitiam ejus; Tigurina, qui volucres lapide petierit, abiget eas: qui probrum objicit amico, dirimit amicitiam.* Addit Syrus, *erga amicum tuum ne muleris, et si mutatus fueris, ne speres futuram tibi cum illo amicitiam.* Huc facit gnome P. Syri: « Amicum lædere ne joco quidem licet. » Et: « Amicum perdere est damnorum maximum. Tanti homo est absque amico, quanti corpus sine spiritu. » Nimirum « amicus est fidus solatii portus. Pessima promptius cum amicis, quam solus optima perferas. »

26. AD AMICUM ETSI PRODUXERIS GLADIUM, NON DESPERES: EST ENIM REGRESSUS. Vers. 26.

27. AD AMICUM SI APERUERIS OS TRISTE, NON TIMEAS: EST ENIM CONCORDATIO; EXCEPTO CONVICIO, ET IMPROPERIO, ET SUPERBIA, ET MYSTERII REVELATIONE, ET PLAGA DOLOSA: IN HIS OMNIBUS EFFUGIET AMICUS. — « Os triste, » id est, os iratum, ut iracunda, morosa, acerba, minacia verba protulerit. Sic *tristis* pro irato, sævo et minaci sumitur, cum dicitur: « Acheron tristis, bellum triste, arma tristia, » quia tristitia in fronte hominis crudelitatis, iræ, minarum indicium est. Hinc Virgilius, II *Æneid.*:

Quo tristis Erianns,

Quo fremitus vocat.

Ibidem:

Illi mea tristia facta,

Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Ibidem:

Isque adytis hæc tristia dicta reportat:

tristia, id est minacia. Et Lucilius: « Timeo certe ne mihi sit tristior, » id est iratior. Tristitia enim et ira sese invicem comitantur; irascimur enim malo de quo tristamur, ac vicissim tristamur de

malò cui irascimur. Hinc Virgilius, *Elogia* 2, vocat *tristes iras*, quia tristes faciunt. Et:

Corque meum penitus turgescit tristibus iris.

Quod citat Cicero, *Tuscul.* III.

Ostendit quam convicium sit noxium amicitiae ex comparatione aliarum injuriarum, q. d. Etiam si ex subita ira et cholera strinxeris gladium in amicum, ne desperes de amicitia; facile enim licebit per submissionem et poenitentiam cum eo in gratiam redire. Multo magis si ex mentis praecipitatione, passione, et perturbatione aperueris os triste, ut amarulentius verbum in amicum jeceris, eumque contristaveris, non timeas eum amicitiae renuntiatum; est enim modus et locus reconciliationi. Excipe tamen convicium destinatum, superbiam, secreti revelationem, et plagam dolosam: in his enim laeditur cor amicitiae. Quocirca amicus si iis impetatur, quasi lethalibus telis confixus, irrevocabiliter aufugiet, eritque irreconciliabilis. Unde Tigurina, sive Vatablus, *si gladium strinxeris in amicum, spem ne abjicias: est enim in gratiam reditio. Si verbis in vectus fueris in amicum, ne metuas; locus enim reconciliationi superest; dummodo convicium, aut superbia, aut arcani patefactio, aut ictus insidiosus abfuerit: his enim omnis amicus fugabitur; Syrus, erga amicum tuum etiam si eduaxeris gladium, ne despondeas animo, est enim illi regressus. Et si adversus amicum aperueris os, ne timeas, quia est illi reconciliatio. Filius ignominiae vel ille, qui revelat secretum; plaga destructionis (vel fraudulenta) aufert amicitiam.* Igitur docet hic Siracides reconciliabiles esse injurias in amicum, vel verbis vel factis editas, quae ex subita passione committuntur, ac proinde honorem et famam amico non auferunt: irreconciliabiles vero esse eas quae destinato et meditato perpetrantur, ideoque indices sunt non subitae irae, sed permanentis odii; aut quae honorem et famam amico adimunt. Talem esse docet primo, convicium; id est, probrum destinatum vel deliberatum, jactum in bonum nomen et dignitatem amici, eamque laedens vel auferens.

Quinque vitia a rumpunt amicitiam. Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Secundo, talem esse ait *improperium*, id est, beneficii collati exprobrationem, qua quis improperat amico ipsum beneficio esse ingratum et indignum, ac pro beneficiis rependisse maleficia.

Tertia, talem esse asserit *superbiam*, qua quis arroganter se super amicum extollit, eumque despicit et deprimat. Amicus enim amico cupit esse par et aequalis: et amicitia est quaedam paritas et aequalitas. Quare « amicitia omnis expers est superbia, » ut habet vulgare proverbium, et S. Ambrosius loco mox citando.

Quare qui secretum prodit, cor quasi amici prodit et aufert. Huc facit gnome P. Syri: « Amicitiae coagulum unicum est fides. »

Quintum est *plaga dolosa*, cum quis scilicet ex insidiis et fraudulenter amicum laedit, aut officio, gradu vel dignitate dejicit et deturbat. Quocirca Salomon *Proverb.* xxv, 17: « Jaculum, inquit, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. » Unde S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. xvi: « In his rebus, ait, requirenda est veritas testimonii, ne amicus appetatur amici perfidia, ejus fide absolvi debebat. Amicus itaque neque noxio gratificari debet, neque innocenti insidiari. » Haec quinque igitur petunt jugulum amicitiae, amicosque adeo alienant et offendunt, ut tesseram diffingant sine spe redintegrationis et reconciliationis.

Id ita fit saepe et communiter, si naturam et gratiam ordinariam spectes, at non semper. Ornitia enim superat insignis Dei gratia, ac perfecta charitas haec et plura exsorbet, nec ulla revivari se sinit, quin potius quibuslibet offensis quasi flabellis, ejus flamma magis accenditur et inardescit. Unde S. Ambrosius, lib. II *De Interpretatione Job*, cap. II, explicans illud *Job.* cap. xix, vers. 7, juxta Septuaginta: « Ecce rideo opprobrio, et non loquar, » ait Job praegaudia ridere in contumeliis. In conviciorum vero tolerantia tres gradus assignat, nimirum *tacere, ridere, benedicere.* In primo collocat Davidem, qui cum esset rex, et petulanter a vili Semei malediceretur, tacitus, gemens et orans probra ejus excipiebat. In secundo, altiori utique et perfectiori, reponit Job, qui in contumeliis ridebat quasi Evangelicae perfectionis aemulator, et illius beatitudinis particeps, quam Christus octavo loco, quasi summo, tanquam perfectionis culmen constituit, dicens: « Beati estis cum maledixerint vobis homines; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis, » *Matth.* v, 41. In tertio denique, Evangelii athletam Paulum, Judaeis maledicentibus benedicentem, primpilum ponit: « Et si servus, inquit, proteruit, et, si pauper conviciatur, tacet justus; et, si peccator opprobria jaceat, justus ridet; et, si infirmus maledicit, justus benedicit. Tacebat David cum Semei malediceret, Job ridebat, Paulus benedicebat, sicut ipse ait: Maledicimur, et benedicimus, » *I Cor.* iv. Quocirca merito exclamat Palacius: « O Christo gratia, cum quo reconciliatio patet, etiam si his omnibus eum laeserimus. Eidem sit etiam gratia, qui jussit, ut etiam his omnibus laesi, proximo reconciliemur. Si enim non dimittimus ex cordibus nostris, nec dimittetur nobis. Ergo tempora illa veteris legis non ita exigebant amicitiam nostram, ut Evangelica tempora. Tunc enim dicebatur: Odio habebis inimicum tuum; nunc autem: Diligite inimicos vestros. »

28. FIDEM POSSIDE CUM PROXIMO IN PALPERTATE VESTRA. — Legit. —

Quintum.

Tres gradus patientiae.

περὶ αὐτοῦ, id est *lateris*; et ita legunt Complutenses. Verum Romana, et alii legunt, *ἀμοιβὴν κληροδοῦν*, id est simul implearis. Unde Tigurina, *præbe te fidum amico pauperi, ut una lateris rebus ejus felicibus; alii, ut bonis ejus una fruaris; Syrus, sustenta proximum tuum in paupertate sua, ut etiam in bonis ejus communices*. Monet in egestate et adversis fidem et opem præstandam amico, in eoque discerni verum amicum a ficto et ollari, ac mercedem et fructum assignat, nimirum hac ratione eum prosperitatis, afflante fortuna, amico redituræ participem fore. Horum enim eum consortem faciet amicus, ut gratias ei referat, et fidem fidei rependat. Huc facit gnome P. Syri:

Amicum, an nomen habeas, aperit calamitas.
Amico ea exhibeto, quæ velis tibi.

Et illa vulgata, «amicitiam retinet fides et veritas. Amicus amici actu lætatur uti suo. Amicitia ollaris fervet, quamdiu olla fervida est.» Exemplum illustre est in Christo et Apostolis, quibus proinde ait Christus: «Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et (idcirco) ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et sedeat super thronos judicantes duodecim tribus Israel,» *Luce* XXII, 28.

Vers. 29. 29. IN TEMPORE TRIBULATIONIS ILLIUS PERMANE ILLI

FIDELIS, UT ET IN HEREDITATE ILLIUS COHERES SIS. — Quod dixit de paupertate, nunc de quavis tribulatione dicit, scilicet, in omni fidem amico servandam. Mercedem assignat hæreditatis participium, nimirum, cum amicus hæreditatem patris, avunculi, aut cognati nactus fuerit, ejus participem facturum amicum, qui in tribulatione, ac præsertim in expectatione et lite hæreditatis, illi fideliter opibus, ope, et opera astiterit, imo subinde eum hæredem instituturum.

«Ubi nota moris olim fuisse amicis partem aliquam hæreditatis testamento relinquere, ut in historiis Romanis videre est. Sic enim Mæcenæ Augustum Cæsarem, quasi amicum, ex asse hæredem instituit. Unde Tigurina vertit, *fidem ei serves tempore calamitatis, ut una cum eo venias in possessionem ipsius*; alii, *tempore adverso permane apud ipsum, ut patrimonii ejus hæres fias*; Syrus, *in tempore angustiarum esto illi socius, ut etiam in hæreditate ejus hæredes*.

Hinc moraliter infert Palacius: Ergo cum Christus in membris suis, puta in pauperibus et afflictis, paupertatem patiatur et tribulationem (ait enim ipse Saulo *Act. ix*: «Saul, Saul, quid me persequeris»)? simus illi fideles, communicando minimis ejus opem opesque nostras, «ut deinde ipse nobis communicet suas longe ditiores et copiosiores.»

Græca Complutensium, et alia hoc loco hunc versum subnectunt, quasi causam præcedentis: «Non despicienda enim semper circumscriptio,» id est, res circumscripta et areta: «Neque mira-

bilis dives mentem non habens;» vel, ut clarius vertit Tigurina, *non enim spernenda semper angustares est, nec dives mentis inops admirandus*. Verum Codices Græci Romæ correcti, Syri et Latini omnes illum omittunt.

30. ANTE IGNEM CAMINI VAPOR, ET FUMUS IGNIS INALTATUR: SIC ET ANTE SANGUINEM MALEDICTA, ET CONTUMELIE, ET MINÆ. — Hæc more Hebræo ad versum non proximum, sed remotiorem sunt referenda; pertinent enim ad convicia, a quibus abstinendum monuit vers. 23 et 27. Hic enim conviciorum terminum et damnum assignat, scilicet, cædes et vulnera. Sensus ergo est, *q. d.* Abstine a conviciis, maledictis et rixis, quia sicut ex fumo naturaliter sequitur ignis, id est flamma omnia comburens: sic ex conviciis, maledictis et rixis sequitur effusio sanguinis, et cædes omnia vastans. Verissimum enim est illud Mmi: «Ab altero expectes, alteri quod feceris. Litem lis parit, noxa noxam.»

Apposite comparat conviciium fumo, cædem flammæ: primo, quia sicut ex igne latente exurgit fumus, sic ex ira et excandescencia animi prodeunt convicia et jurgia; secundo, sicut ignis latens fumum conglomerat in altum, sic ira multiplicat convicia et rixas, ac a levibus sensim ascendit ad graves, graviore et gravissimas.

Tertio, sicut fumus obnubilat oculos corporis, ut nec flammam, nec rem quæ flamma adurit, nec incolas, nec quid aliud videant; sic iræ et rixæ obnubilant oculos mentis, ut irati nec suam iram, nec damna ex ea sibi illisque obventura videant.

Quarto, sicut fumus vertitur in flammam maximam, quæ omnia populatur; sic rixæ utrimque rixantium animos accendant, ut in mutua verbera et cædes grassentur. Græca de more breviter sic habent, *ante ignem vapor camini et fumus, sic ante cruores convicia*; Tigurina, *vapor camini fumusque præcedit ignem; ita convicia, contumeliæ atque minæ præcurrunt effusionem sanguinis*. Syrus, *coram igne fumat fumus, et coram effundente sanguinem contumelia*. Unde, sicut fumus elicit, protrudit et convolvit fumum, ac vicissim ab alio sequente elicitur, protrudit et convolvitur; sic et conviciium unius elicit, protrudit et convolvit conviciium alterius in quem jactum est, ac vicissim ab altero par pari referente dicitur et protruditur; quare fumi vicaria successio, exaltatio et convolutio expressa est species et imago rixæ, pugnæ et duelli.

Mystice Palacius: Antequam in inferno, inquit, accendatur ignis in titionibus damnatorum, præcessit fumus peccatorum nostrorum; et ante sanguinem quem Dei gladius educet ex miseris, præcesserunt ejus minæ et maledicta contra peccata, et nostræ contra eum contumeliæ.

31. AMICUM SALUTARE NON CONFUNDATUR (alii legunt, *non confundaris*), A FACIE ILLIUS NON ME ABSCONDAM; — alii legunt, *non abscondaris*. Unde Syrus,

Conviciis et litem quatuor analogice.

Vers. 31.

si pauper factus fuerit amicus tuus, ne rubore afficias eum, et a conspectu ejus non abscondaris. Sira-
cidi succinit R. Matthias in *Pirke Avoth*, id est, in *Apothegm. Patrum*: « Præveni, inquit, saluta-
tione quoslibet tibi obvios. Melius est tibi cau-
dam esse leonibus, quam vulpeculis caput; » sive:
« Plus expedit ultimum esse in numero honorum,
quam caput et primpilum malorum. »

Vers. 22.
Amici
est salu-
tare
amicum.

32. ET SI MALA MIHI EVENERINT PER ILLUM, SUSTI-
NEBO. OMNIS QUI AUDIET, CAVEBIT SE AB EO, — *q. d.*
Amicum, quamvis in paupertatem, tribulatio-
nem, periculum fortuna eum dejecerit, salutare,
et officiis amici prosequi non verecundabor, nec
ab eo me abscondam; quod si (quæ humana in-
gratitudo est) per amicum postea aliquod mihi
malum contigerit, ictum illum pro amicitia et
officio meo patienter et fortiter sustinebo. At qui
me læsum ab illo audierit, illum, scilicet, violasse
amicitiam et amico nocuisse, hic utique detesta-
bitur eum, et cavebit ab eo, tanquam ab infido
et ingrato proditore. Aut potius cum Glossa et
Lyrano, imo S. Ambrosio (cujus locum et verba
mox citabo), *q. d.* Tanti sunt amici fructus, ut
etiamsi per illum, id est, propter illum, illius
causa, mihi mala evenerint, sustinenda sint:
« Omnis autem qui audiet hoc, » id est quia supe-
rius dixi, scilicet, quanta sint bona et comoda
veri amici veræque amicitiae: ille totis viribus
cavebit ab illo, scilicet, amico lædendo; nimirum
omni studio cavebit ne injuria, convicio, per-
fidia, etc., amicum offendat, alienet et amittat.
Huc faciunt duo paradoxa, et in speciem con-
traria P. Syri: « Amici vitia nisi feras » per com-
passionem, « facis tua » per impatientiam. « Amici
vitia si feras » per conniventiam, « facis tua » per
tacitum consensum; dum enim ea non corrigis,
cum potes, videris eis consentire. Porro Syrus
alio abit, dum pro secundo versu hunc substituit,
*si revelat tibi proximus tuus secretum suum, ne palam
facias illud, ne quicumque audierit, se caveat a te,
et tanquam virum damnosum reputet te.*

Nota: Pro salutare Jansenius opinatur legen-
dum *salvare*. Nam Græce est *σώζω*, id est *tuere*,
protegere, defendere. Verum Noster legit *ἀποσοῦ*,
id est *salutare* (amici enim est amicum benevole
salutare, imo prævenire salutando: « Nam ami-
citas plures rumpit silentium »), et ita legit
S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. VII: « Amicum, in-
quit, salutare non erubescam, et a facie illius non
me abscondam; siquidem vitæ et immortalitatis
medicamentum eum esse Ecclesiasticus cap. VI,
testatur. Et summum in charitate præsidium ne-
mo dubitaverit, cum Apostolus dicat: Omnia suf-
fert, omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet,
I *Corinth.* XIII, et cap. VIII. Quod si eum inveneris,
qui vivacitate ingenii, mentis vigore atque auc-
toritate præstet, et accedat eo, ut exemplo et usu
paratior sit, præsentia solvat pericula, prospiciat
futura, denuntiet imminencia, argumenta expedi-
at, remedium ferat in tempore, paratus sit non

Officia
amici ex
S. Am-
brosio.

solum ad consulendum, sed etiam ad subvenien-
dum; huic ita fides habetur, ut dicat qui consi-
lium petit: Et si mala mihi evenerint, per illum
sustineo. Hujusmodi igitur viro salutem nostram
et existimationem committimus, qui sit (ut supra
diximus) justus et prudens. Facit enim justitia, ut
nullus sit fraudis metus; facit etiam prudentia,
ut nulla sit erroris suspicio. » Et cap. XVI: « Defer
amico ut æquali, nec te pudeat ut prævenias
amico officio. Amicitia enim nescit superbiam. »
Ideo Sapiens dicit: Amicum salutare non eru-
bescas. Nec deseras amicum in necessitate, nec
derelinquas eum, neque destituas, quoniam ami-
citia vitæ adjumentum est. Ideo in ea onera nos-
tra portemus, sicut Apostolus docuit. Dicit enim
his quos eadem complexa est charitas: Etenim si
amici secundæ res amicos adjuvant, cur non et
in adversis amici rebus amicorum adjumentum
suppetat? Juvemus consilio, conferamus studio,
compatiamur affectu. Si necesse est, toleremus,
propter amicum etiam aspera. Plerumque inimi-
citiæ subeundæ sunt propter amici innocentiam,
sæpe obrectationes, si reslisteris vel responderis,
cum amicus arguitur et accusatur; nec te pœni-
teat ejusmodi offensiones. Justi enim vox est: Et
si mala mihi evenerint propter amicum, sustineo. »
In adversis enim amicus probatur, nam in pro-
speris amici omnes videntur. Sed ut in adversis
amici patientia et tolerantia necessaria; sic in
prosperis auctoritas congrua est, ut insolentiam
extollentis se amici reprimat et redarguat. » Pro-
bat id ipsum exemplis S. Job et Davidis, ac deinde
subjicit: « Quid est enim amicus nisi consors
amoris, ad quem animum tuum adjungas atque
applices, et ita misceas, ut unum velis fieri ex
duobus, cui te tanquam alteri tibi committas, a
quo nihil timeas, nihil ipse, commodi tui causa,
inhonestum petas? Non enim vectigalis amicitia
est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est
enim amicitia, non quæstus; quia non pecunia
quæritur, sed gratia, nec licitatione pretiorum,
sed concertatione benevolentiae. Denique meliores
amicitiæ sunt inopum plerumque, quam divi-
tum; et frequenter divites sine amicis sunt, qui-
bus abundant pauperes; non est enim vera ami-
citia ubi est fallax adulatio. Divitibus itaque
plerique assentatorie gratificantur. Erga paupe-
rem nemo assentator est. Verum est quidquid
defertur pauperi, hujus amicitia invidia vacat.
Quid amicitia pretiosius, quæ Angelis communis
et hominibus est? unde et Dominus Jesus dicit:
Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui
recipiant vos in æterna tabernacula. »

33. QUIS DABIT ORI MEO CUSTODIAM, ET SUPER LA-
BIA MEA SIGNACULUM CERTUM, UT NON CADAM AB IPSIS
(per ipsa), ET LINGUA MEA PÆRDAT ME? — Post-
quam ostendit quanta ex conviciis et vitis linguæ
damna inter amicos sequantur, exclamat: « Quis
dabit, » etc., *q. d.* O ulinam mihi aliquis det cus-
todiam ori meo, qua quasi sigillo certo, id est,

Vers. 33.

fido et securo, obsignentur labia mea, ne per illa cadam in damna jam recensita, ac lingua mea perdat me! Alludit ad *Psalm. cxi*: «Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis;» id est, ostium circumstans, claudens, custodiens labia mea. Unde S. Augustinus legit: *Ostium continentia labiis meis*; Theodotion et Aquila, *super labia mea, q. d.* Sicut civitas custoditur custodia militari, ita os meum custodias, o Domine, per gratiam tuam, ne quid effutiam per impatientiam et desperationem in hisce malis contra hostes meos. Ita Theodoretus ibidem. Rursum, sicut domus custoditur ostio, ut nihil quod obsesse possit, exeat aut introeat in domum: sic pariter gratia tua custodiat labia mea, ne per ea quid exeat impurum aut vitiosum. Aut generalius: «Pone ostium circumstantiæ,» id est, murum toti domui, id est, labiis et corpori meo, qui omnes meas fenestras, id est, quinque sensus, custodiat, ait S. Hieronymus ibidem. Ubi sagaciter notat S. Augustinus dici *ostium*, non *claustrum*, quia os quasi ostium aperiri debet ad confessionem peccati, et Dei laudem, sed claudi ad opus peccati ejusque excusationem.

Nota: Pro *signaculum certum*, ut legit Noster et S. Augustinus in *Speculo* et lib. *De Gratia et libero arbitr.* cap. *xvi*, Græca legunt *σφραγίδα πανούργου*, id est, sigillum astutum, cautum, prudens, ut, scilicet, cautus et prudens sim, in hoc sigillo continendo et resignando, ne incaute et imprudenter illud vel obsignem et claudam, vel resignem et aperiam. S. Chrysostomus, homil. 4 *ad baptizandos* legit *πανούργιας*, id est, *astutiæ*, hoc est, ut Tigurina vertit, *sigillum sapientiæ*. Sic etiam legit S. Eprem, *De Timore Dei*, ubi Interpres vertit, «signaculum versutum;» Syrus vertit, *signaculum honoris, ne loquar in eis fraudem, et lingua mea ne perdat me*. Porro S. Ambrosius *Psalm. xxxviii*, ad illud: «In increpationibus super iniquitatem corripuisti hominem,» pro *φυλακίς*, id est *custodiam*, legens *φιάγελλον*, id est *flagellum*, aut potius miscens quædam ex cap. seq. vers. 2, sic legit et explicat: «Quis mihi imponet cogitationum meorum flagella? et quis dabit mihi labiorum meorum signaculum? ut cor suum ipse suis cogitationibus flagellaret, et signaret labia sua; quo et vetera peccata minueret, nec alia loquendo renovaret; quo propriis cogitationibus eruditus, exercitia virtutis indueret.»

Signaculum ergo certum est signaculum cautum et prudens, quod certis solidisque rationibus, quas dictat prudentia, nititur, indeque fidum et securum. Signaculum hoc igitur, et custodia oris, est prudens et cauta circumspectio et præmeditatio, quid, quantum, quo modo, quem hic et nunc loqui conveniat; quam Deus ponit, sine quo sunt incertæ providentiæ nostræ, eandem ponit et homo, quia ipse ori suo invigilare, illud-

que diligenter obserare debet. Ita S. Chrysostomus in *Psalm. cxi*, ad illud: «Pone, Domine, custodiam ori meo,» duplicem oris custodiam duplexque sigillum assignat: unum Dei, scilicet, gratiæ divinæ auxilium; alterum, nostrum, scilicet, rationem et continentiam: «Os ergo nostrum, inquit, perpetuo custodiamus, ei rationem tanquam clavem adhibentes. Non ut perpetuo claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur. Nonnunquam enim silentium est loquela utilius, sicut loquela quoque silentio. Et ideo dicebat ille sapientissimus (*Eccle. cap. m*): Tempus tacendi, et tempus loquendi. Si enim oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ; si autem perpetuo clausa esse, non esset opus custodia. Quod enim clausum est, cur quis custodierit? sed propterea sunt portæ et custodia, ut faciamus singula tempore convenienti.» De hoc linguæ sigillo plura dicam cap. *xxviii*, vers. 28 et 29.

Tradunt Anatomici linguam duas habere venas, quarum una tendit ad cor, altera ad cerebrum; quo significat natura linguam nil debere eloqui, esto cor id appetat, nisi cerebrum, id est, mens et ratio, consentiat, et idipsum ut rectum probet. Cor enim debet subservire cerebro, hoc est, appetitus rationi; hæc enim in homine est præses et princeps, regens appetitum.

Didactice S. Augustinus, *De Gratia et libero arbitr.* cap. *xvi*, ex hoc loco contra Pelagianos docet necessitatem gratiæ Dei, ac nominatim nos sine ea non posse moderari linguam; nam, ut ait Salomon *Prov. xvi, 1*: «Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam;» quocirca hoc gratiæ auxilium bene vivere et loqui volenti, assidue esse implorandum, ut implorat Siracides cap. seq. Et Esther cap. *xv, 13*: «Tribue, inquit, sermonem compositum in ore meo, in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri.» Igitur cum aliquid grave locuturus aut tractaturus es, precare ut Deus componat verba in corde et ore tuo, eo modo ut feriant corda audientium, eisque persuadeant quod dicentur es, ideoque dicito cum Psalte: «Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.»

Symbolice, «signaculum astutum» est quod occultas habet seras, quæ non nisi certis signis reserari possunt, qualia sunt quæ ex circulis variis coalescunt, cuique autem circulo sua insculpta est littera; quare eousque rotandi sunt circuli, donec certam dictionem, v. g. Joannes, reddant. Ita os nostrum seras suas habeat, cum occurrit vanitas, detractio, murmur, ira, etc.; solum autem reseretur, cum honesta et sancta dicenda sunt, juxta illud S. Ambrosii: «Signaculum oris tui Christus sit Verbum Dei.» Christus ergo reseret os nostrum.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dogmata sapientiæ de bene agendo et loquendo hucusque tradita concludit oratione, qua precatur Deum pro gratia qua ea opere adimpleat, frenetque concupiscentiam cordis et oris, ut, scilicet, Deus dirigat omnes ejus cogitationes, affectiones, sermones, ne qua exorbitent. Hanc orationem nobis imitandam et crebro usurpandam proponit. Idem orat Salomon Sapient. cap. xi. Inde, vers. 7, prosequitur materiam de moderanda lingua, et vitando juramento. Denique, vers. 21, a vitiis et intemperantia linguæ transit ad vitia et intemperantiam operum et vitæ, ac cæcitatem fœditatemque fornicariorum adulterorumque multis exaggerat.

1. Domine pater, et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum: nec sinas me cadere in illis. 2. Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, et non appareant delicta eorum. 3. et ne adincrescant ignorantia meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundant, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat super me inimicus meus? 4. Domine pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum. 5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me. 6. Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. 7. Doctrinam oris audite, filii: et qui custodierit illam, non periet labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. 8. In vanitate sua apprehenditur peccator, et superbus, et maledicus scandalizabitur in illis. 9. Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. 10. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non cris immunis ab eis. 11. Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur: sic omnis jurans, et nominans, in toto a peccato non purgabitur. 12. Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. 13. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit: et si dissimulaverit, delinquit dupliciter; 14. et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius. 15. Est et alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Jacob. 16. Etenim a misericordibus omnia hæc auferentur, et in delictis non volutabuntur. 17. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati. 18. Memento patris et matris tuæ, in medio enim magnatorum consistis: 19. ne forte obliviscatur te Deus in conspectu illorum, et assiduitate tua infatuatus, improprium patiaris, et maluisses non nasci, et diem nativitatis tuæ maledicas. 20. Homo assuetus in verbis improprietatis, in omnibus diebus suis non erudietur. 21. Duo genera abundant in peccatis, et tertium adducit iram et perditionem. 22. Anima calida quasi ignis ardens, non exstinguetur, donec aliquid glutiat: 23. et homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. 24. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usque ad finem. 25. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens: Quis me videt? 26. Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt

me, et nemo circumspicit me : quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. 27. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum : 28. et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. 29. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic et post perfectum respicit omnia. 30. Hic in plateis civitatis vindicabitur, et quasi pullus equinus fugabitur : et ubi non speravit, apprehendetur. 31. Et erit dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem Domini. 32. Sic et mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio : 33. primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit; secundo, in virum suum deliquit; tertio, in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi. 34. Hæc in ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur. 35. Non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum. 36. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur. 37. Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quam timor Dei; et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini. 38. Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1.
Oratio
Siracidi.

1. DOMINE PATER, ET DOMINATOR VITÆ MEÆ, NE DERELINQUAS ME IN CONSILIO EORUM : NEC SINAS ME CADERE IN ILLIS. — « Eorum, » scilicet fatuorum, id est impiorum, de quibus multus sermo præcessit. Aut potius « eorum, » scilicet, labiorum loquacium et intemperantium; de his enim egit vers. præcedenti; *g. d.* Domine, qui dominaris universo, dominare labiis meis; qui dominaris vitæ meæ, dominare linguæ meæ: nam « mors et vita in manu linguæ, » *Proverb. xviii, 21.* Rursum lingua est « universitas iniquitatis, » *Jac. iii, 6.* Moderatorem ergo requirit dominatorem universi : Deum vocat *dominatorem vitæ*, tum quia ipse est creator et dominus animæ quæ causat vitam; tum quia ipse officia, status actusque omnes vitæ nostræ regit et moderatur; tum quia vita nostra durat quamdiu ipse vult. Hæc vera sunt tam in vita supernaturali gratiæ, quam naturali animæ.

Porro *consilium labiorum* vocat, id quod loquacitas labiorum dicendum suggerit, puta importunitatem, temeritatem, intemperantiam, et prurium loquendi quidlibet quod in buccam venit. Itaque *consilium labiorum* est effrenata libertas dicendi quidquid libet. Nam « cor stultorum in ore ipsorum, » uti superius dixit. Unde subdit : « Nec sinas me cadere in illis; » aliqui legunt, *nec sinas me cadere in illa exprobratione, vel in illam exprobrationem*, ut, scilicet, intemperantia linguæ mihi exprobetur, ac præsertim quod in amicum probrum aliquod conjecerim, aut vitium aliquod exprobrarim. De convicio enim amicorum egit cap. præced. Unde Tigurina vertit, *Domine pater, totius-*

que vitæ meæ dominator, ne me permittas consilio illorum, nec sinas me per ea corruiere; Syrus, Deus pater mi, et Domine vitæ meæ, ne offendere facias (permittas) me propter ea.

2. QUIS SUPERPONET (ita Romana; hoc enim est *Vers. 2.* Græcum *ἐπιτίθει*; male ergo nonnulli legunt, *supponet*) IN COGITATU MEÛ FLAGELLA, ET IN CORDE MEÛ DOCTRINAM SAPIENTIÆ, UT IGNORATIONIBUS EORUM NON PARCANT MIHI, ET NON APPAREANT DELICTA EORUM? — Oravit pro freno linguæ; nunc orat pro freno cogitationum et cordis, id est, appetituum. Hi enim omnis boni vel mali sunt duo fontes. Duplicem ergo hic Dei gratiam deposcit. *Primo*, illuminationis, quæ cogitationes intellectus et phantasie vagas, animales et erroneas illustret, cohibeat, corrigat, dirigat, faciatque spirituales, cœlestes et divinas. Alteram impulsus, quæ cordis, id est, voluntatis et concupiscentiæ, affectiones et desideria noxia per dictamina sapientiæ et prudentiæ, quasi per flagella castiget, emendet, purificet et sanctificet; idque ad hoc, ut in « ignorantibus eorum, » puta in erronea cogitatione et appetitione cogitatus et cordis, id est, intellectus et voluntatis, dum scilicet aliqua ignoranter, id est, imprudenter et erronee, intellectu cogito, vel voluntate appetito, « non parcant mihi flagella, » id est, castigationes sapientiæ, itaque « non appareant » (nec sint) delicta « eorum. » Ita S. Ambrosius, cujus verba in fine cap. præced. citavi. Et S. Chrysostomus in *Psalm. cxi* : « Non oportet, inquit, os solum obstruere, sed mentem etiam ante os. Quocirca pulchre dixit quidam sapiens : Quis dabit

Poscit
illumina-
tiones et
impulsus
cœlestes.

in cogitatione vel mente mea flagella, ut ignorantis meis non parcant? » Unde fusius id explicans et exaggerans Siracides subdit :

Vers. 3.

3. ET NE ADINCRESCANT IGNORANTIAE MEAE, ET MULTIPLICENTUR DELICTA MEA (ignorantia enim in mente et intellectu practico, quo imprudenter praefero bonum concupiscibile bono honesto, parit et multiplicat delicta in voluntate et appetitu; hic enim sequitur iudicium practicum, appetitque et eligit quod ille appetendum et eligendum dicitur) ET PECCATA MEA ABUNDENT, ET INCIDAM IN CONSPPECTU ADVERSARIORUM MEORUM, ET GAUDEAT SUPER ME INIMICUS MEUS, — q. d. Ne per ignorantias et peccata incidam in damna fortunarum, famae, vitae et animae, itaque fiam ludibrium daemonum et hominum mihi inimicorum, ut illi in mea pernicie exsultent, meque rideant et subsannent. Porro Complutenses nonnulla hic interserunt, scilicet haec : *Ne parcas tu, Domine, et injurias eorum, qui in professione sunt peccatores, ne praeter eas.* Unde Tigurina haec omnia clare exprimens vertit : *Quis menti meae flagella adhibeat, et cordi meo sapientem institutionem, ut ne parcant incitiae meae, nec illorum peccata praeterant? ne, inquam, incitiae mea multiplicentur, neve peccata mea perniciosam accessionem faciant, et corruam coram adversariis meis, gaudeantque de me inimici mei, quorum spes procul abest abs tua misericordia;* Syrus vero : *Quis autem constituit super mentem meam flagellum, et super cor meum virgam doctrinae, ut ipse Dominus indulgeat delicta mea, ne in congregatione eorum hereditent, neque ament corrumpere, ut non multiplicentur delicta mea, neque invalescant peccata mea, et revelent me coram inimicis meis, et laetetur de me inimicus?* Sicut ergo puerorum et stultorum levitates, distractiones, petulantiae et stultitiae flagello et virga parentum vel praceptorum flagellantur, castigantur et cohibentur; sic pariter phantasiae et concupiscentiae pueriles, stultaeque cogitationes et appetitiones illicitae noxiaeque, flagello et virga disciplinae, hoc est, timoris Dei, castigandae et compescendae sunt, ne nos ducant in ruinam et gehennam. Vere enim ait Beda in *Proverbiis* : « Reprobi et in saeculo fatigantur desiderii (concupiscentiae), et in futuro tormentis » gehennae. Appetitus enim et concupiscentia index est carentiae, ait Aristoteles, lib. V *Physic.* Nemo enim appetit et concupiscit nisi id quo caret, et de cujus carentia tristatur et dolet.

Vers. 4.

4. DOMINE PATER ET DEUS VITAE MEAE, NE DERELINQUAS ME IN COGITATU ILLORUM. — Hunc versum non habent Graeca. Jam primo, eum sic explicat Jan-senius : τὸ *illorum*, inquit, vel potest referri ad adversarios et inimicos, de quibus dictum est in superiore sententia, ut sit sensus : « Ne derelinquas me, » ut in me hostes mei perficiant quod cogitant, aut in me videant fieri quod cupiunt, quodque eventurum cogitant. Aut, « ne derelinquas me, » ut tula cogitem qualia illi, nempe mala. Vel potest potius relativum *illorum* referri ad cogita-

tum et cor; ut, sicut superius oravit ne relinqueretur in consilio labiorum, nunc oret ne relinquantur « in cogitatu » animi et cordis sui; ita scilicet, ut sibi relictus ea cogitet et faciat quae intellectus et voluntas hominis, cum Dei gratia destituuntur, homini ex seipsis suggerunt, qualia sunt quae sequuntur.

Verum minus congrue *illorum* refert *cogitatum*. Nam non recte dicitur : « Ne derelinquas me in cogitatu cogitatus et cordis. » Igitur pronomen *illorum* respicit delicta et peccata, de quibus vers. praeced. dixit : « Ne adinrescant ignorantiae meae, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea. » Unde ea explicans subdit : « Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, etc. Aufer a me ventris concupiscentias, » etc. Haec enim sunt capitalia peccata, ex quibus caetera oriuntur. Orat ergo : « Ne derelinquas me in cogitatu illorum, » scilicet peccatorum, puta superbiae, gulae et libidinis, quia haec oriuntur ex eorum cogitatu, imaginatione et cogitatione. Cogitatio enim diutina peccatorum morosam efficit delectationem, quae est peccatum mortale; haec deinde in actum externum sese exerit, peccatumque consummat, uti docet S. Jacobus, cap. I, vers. 15. Hunc sensum indicat Syrus, *Deus pater mi, et Domine vitae meae, ne abicias me in errorem eorum*, puta in ignorantias peccatorum : « Errant enim qui operantur malum, » *Proverb.* XIV, 22.

Vers. 5.

5. EXTOLLENTIAM OCULORUM MEORUM NE LEDERIS MIHI, ET OMNE DESIDERIUM (id est, concupiscentiam : hanc enim Hebraei vocant חַמְדָּה *chemda*, id est desiderium. *Desiderium* ergo vocat impatientem et impotentem erga voluptatem quamlibet affectum, earumque ardentem cupidinem et sitim) A VERTE A ME. — « Ne dederis, » id est, ne dari sinas, ob mea priora crimina et demerita. Deus enim cum sit sanctissimus, non potest esse auctor peccati et concupiscentiae; Deus enim « intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, » *Jacob.* I, 43; potest tamen permittere daemonibus, hominibus et concupiscentiae, ut nos tentent ad superbiam, gulam, libidinem, etc. Unde contra hoc orandum cum Siracide ex praescripto Christi : « Et ne nos inducas (id est, induci permittas) in tentationem, sed libera nos a malo, » *Matth.* VI, vers. 13. Porro saepe id permittit Deus in poenam praecedentium peccatorum, et tunc proprie dicitur dare vel tradere homines suae concupiscentiae, tentationi et daemone tentanti. Hebraei enim verba activa primae conjugationis *Cal*, saepe pro neutris usurpant. Vide dicta *Exod.* VII, 3, et *Rom.* I, 24.

« Extollentiam » vocat *elationem*, utilegit S. Augustinus, *De Gratia et liber. arbitr.* cap. XVI. « Additoculorum; » licet enim elatio et superbia sit proprie in animo, maxime tamen se prodit per oculos elatos et fastosos. Unde Syrus, *oculum superbum ne dederis mihi.* Et *Psal.* cap. V : « Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam. » Et Salomon *Proverb.* cap. VI, 17, inter septem quae Deus

detestatur, primo loco ponit oculos sublimes. Et cap. xxx, 13 : « Generatio, inquit, ejus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ. » Quocirca Græca Complutensium, Tigurina et alii hoc loco addunt, *γεγαυρωσιν οφθαλμοις*, id est, *giganteam animam*; sic enim habent : *Domine Pater, Deusque vitæ meæ, ne mihi tribuas oculos elatos, sed giganteum animum a servis tuis semper prohibeas*. Giganteus animus est excelsus, tumidus, se supra omnes erigens, cæterosque despiciens, eisque dominans. Talis enim fuit gigantum, qui uti corpus, ita et animum habebant giganteum, *Genes. VI, 4*.

Per desiderium, aliqui repetentes *in oculorum*, quod præcessit, intelligunt avaritiam; verum melius alii accipiunt *concupiscentiam*. Sic enim legit S. Augustinus, *De Gratia et liber. arbitr. cap. XVI* : « Elationem oculorum, inquit, ne dederis mihi, et concupiscentiam averte a me. » Sic etiam legunt Græca Romana. Unde concupiscentiam hanc in duas species vers. seq. partiitur. Porro ex peccatis nominat tantum duo, scilicet extollentiam oculorum, id est superbiam et concupiscentiam, quia ex his quasi primis fontibus cætera omnia oriuntur. Ex superbia enim oritur avaritia, ira, invidia: ex concupiscentia oritur gula, libido, acedia.

Ingenioso lepidoque ursi, cervæ et vulpis apologo idipsum ostendit S. Cyrillus, lib. II *Apoloq. moral. cap. XI*, cui titulus : *Contra appetitum dignitatis*. « Latitanti urso famelico ut prædam aliquam deglutiret, magistra fallaciæ vulpes, pia impio subvenire cupiens, ad eum cervam solivagam arte doli sui adducere conabatur, sic eam affata : Quam vultu placidam, cervicem altam, pelle politam, pede validam, proportione perfecta decoram parens te natura formavit! unum certe tantum perfectæ tuæ venustati deest, quod cornibus careas; neque profecto sexui etiam infirmo, tam superba et tuta delibuit armatura deesse, maxime cum ea concessa sit vacca. An forte livoris nescia, quædam imperfecta reliquit in arte natura? simia quidem suppletiva arte induitur, et magisterio aurum et argentum politur. Si vis ergo perfici cornu, audi monitum meum, et sequere ductum, quoniam ad magistrum te dirigam in hac arte expertum. At illa non tam mobilitate feminea, quam cornu appetens sequebatur mendacem. Verum pia sorte dolo captæ fuit obvius cervus, qui sociam miratus dixit : Quo vulpinam sequeris caudam? Cui cerva : Quippe tanta duce ad ursum tendo, ut sicut et tu cornibus gaudeam. An solus vis apparere superbia masculina? Ad hoc ille astutus, utriusque sentiens fastum et dolum, errori amicæ compatiens, sic illam exhortatus est : Nempe propter cornua ursus dedit virtutis auriculam, cave tu ne amittas simul pellem et vitam. Responsum hoc obscurum sequenti apologo declarat : Ursus namque, interrogatus a lupo ut quid faciem pronam ferret, respondit : Quia habeo debile caput. Cui lupo ait : Muni ipsum cornibus.

His enim caput armavit natura bovinum; vade igitur ad hominem arte dotatum, et ea tibi ponet. Ivit ergo ad magistrum petens cornu sibi poni: pro labore autem, inquit, solvere tibi volo hoc quod dare non noceat. Cui magister : Si a te unum denarium vel assem peterem, non darem mihi? Da mihi ergo aures, et nihil tibi nocebit. Quo consentiente scidit eas, et ferens malleum ut perforaret cranium ejus, audivit ab urso : Fatuusne sum, ut perfores mihi caput? Qui ait : Aliter cornua non ponuntur. Tunc ursus abbreviatis auribus : Bene fatuus est, inquit, qui cornua petit. Perdit enim, ut video, caput discretionis, et aures quietæ virtutis. Et sic, abscissis auribus, sine cornibus abiit illusus. » Denique idipsum aliis parabolis lunæ, vaccæ et cervi commonstrat : « An ignoras quod luna, dum emit tit cornua, lumine sit vacua, et (*Exodi XXXIV, 29*) cornuta Moysi facies divini contuitus dulcedine et velamento est privata? Illaqueatur autem vacca per cornua, per quæ etiam sub duro jugo aratri servus bos assidue duci solet. Non attendis quantum nos cornu pondere aggravamur, et serpentis haustu comburor interius, ut possim vetustatis onus cornu deponere? Quid plura? bestialitatis commune signum ostenditur aut cornu, aut cauda. Pone igitur fastum et fuge cornu, ne dira te ursi ungula dilaniet. Quibus intellectis, mox dimissa vulpe humiliter secuta est cervum. »

6. AUFER A ME VENTRIS CONUPISCENTIAS, ET CON- Vers. 6.
CUCITUS CONUPISCENTIÆ NE APPREHENDANT ME. — *Concupiscentia ventris* est gula, *concupiscentia concubitus* est libido. Atque prior causa est posterioris : « Venter enim mero æstuans despumat in libidines, » ait S. Hieronymus. Complutenses, Tigurina multique alii rursus hic multa addunt; sic enim habent, *averte a me spes vanas et concupiscentias, tibi que continuo servire cupientem retineas in officio; ne me comprehendant* (vel occupent et dominantur : hoc est enim Græcum *καταλαβειναι*). Noster vertit, *apprehendant* appetentia ventris et concubitus. Verum Græca a Romanis correctæ ea omittunt, et consentiunt Latinae Vulgatæ; Syrus vero, *cor impudicum*, ait, *longe fac a me. Id quod bonum est ne effugiat me, et lascivia carnis ne lascivire faciat me*.

Porro S. Augustinus (vel quisquis est auctor) *Soliloquior. cap. XII*, putat hic notari triplicem concupiscentiam, nimirum concupiscentiam oculorum, id est avaritiam; concupiscentiam carnis, et superbiam vitæ, quæ omnis mali in mundo tres perennes sunt fontes, uti docet S. Joannes *epist. I, cap. II, 16*. Nam « extollentiam oculorum » confert et adæquat cum concupiscentia oculorum, concupiscentiam carnis cum « concupiscentia ventris et concubitus, » superbiam vitæ cum « anima irreverenti et infrunita. » Exstat hac de re emblemata pruriginis, quæ symbolum est concupiscentiæ (hæc enim semper prurit, estque vera animæ prurigo), estque tale :

Emble-
ma con-
cupis-
centiæ.
Ipsæ est
prurigo.

Agrum caveto carneum ne vomere
 Arare pergas córneo, pro mellea
 Semente, mox reponet urens tibi piper
 Cupido eandem dulcamarus (γλυκύμαρος) vim tenet,
 Pro melle felleum propinans poculum.
 Fœdare tristis unguibus cutem cave,
 Assiduus est pruriginis comes dolor.

ET ANIMÆ IRREVERENTI ET INFRUNITÆ NE TRADAS
 ME. — Nonnulli sic exponunt, *q. d.* Ne tradas et
 subdas me animo impudenti et stolido, ne per-
 mittas mihi dominari hominem impudentem et
 stultum. Verum loquitur Siracides de anima pro-
 pria, non aliena; agit enim de extollentia oculo-
 rum, et concupiscentia propria, non aliena.
 Unde *in anima irreverenti* pertinet ad extollentiam
 oculorum, sive superbiam; hæc enim conjuncta
 est cum irreverentia, id est inverecundia et im-
 pudentia; hæc enim significat Græcum *ἀναίδει*.
 Nam superbi sunt inverecundi, audaces et impu-
 dentes, qualis fuit iudex ille impius, qui nec Deum
 timebat, nec homines reverebatur *Lucæ XVIII, 2*.
 Dei enim et hominum reverentia unicum est pec-
 catorum frenum, quo amisso vel rupto, peccator
 velut equus effrænis in omnes voluptates et sce-
 lera ruit, *in vero infrunitæ* pertinet ad concupis-
 centiam ventris et concubitus; hæc enim est in-
 frunita et inexplebilis. Sensus ergo est, *q. d.* Ne
 permittas ut anima impudens et infrunita, hoc est,
 impudentia et insatiabilis concupiscentia animæ
 meæ, mihi dominetur. Ubi enim hæc passionēs
 regunt et dominantur, ibi tyranni dominantur,
 quibus homo servire cogitur.

Infruni-
 tus quis?

Nota: *Infrunitus* idem est quod imprudens, in-
 sapiens, stolidus, indeque impudens, petulans,
 intemperans, inexplebilis et insatiabilis, qualis
 est gulosus et libidinosus, ipsaque ejus gula et
 libido: hisce enim nullæ delicæ, nulla voluptas
 sufficit; sed semper dicunt: «Affer, affer,» *Pro-
 verb. XXX, 15*. Unde Noster cap. *XXXI, 23*, pro
ἀναίδειος, id est *inexplebilis*, vertit *infrunito*. Porro
 lexicographi nonnulli *infrunitum* deducunt a
 Græco *ἀρρονα*, id est insipientem, ideoque legen-
 dum censent *infronitum*; Lyranus deducit a *frum-*
en, quod significat summam partem gutturis,
 qua sapor sentitur, cibusque in ventrem lingua
 demittitur, ut *infrunitus* sit idem quod sine fru-
 mine, id est, gutture et sapore, puta insipiens,
 indiscretus, qui caret sapore sapientiæ. Melius
 alii *infrunitum* dici censent quasi qui suis fru-
 nisci, id est frui, nesciat uti decet; veteres enim
 dicebant *fruniscor* pro *fruor*. Ita Cato apud Festum,
 frunitum vocat prudentem (Græce *φρόνιμος*), quasi
 quo perfrui liceret, et qui suis rite et decenter frui
 nosset. Et Seneca, lib. III *De Beneficiis*, cap. XVI,
 ac Hermolaus *infrunitum* vocant stolidum et in-
 sapientem qui nulli est usui. Ruellius, lib. II,
 cap. XI: «Unguentum in lenticula, inquit, pro-
 verbium est in eos jactari solitum, qui nullo rerum
 discrimine quas agunt aut dicunt, pari nixu cuncta
 moliantur, quos (ut est apud Senecam et Gellium)

infrunitos appellamus.» Græce *κακοῦθλος καὶ ἀπειρο-
 κάλους*. Seneca, lib. *De Vita beata*, *infrunitum* usur-
 pat pro stolide jactabundo: «Alterum, inquit,
 infruniti est animi, alterum timidi ac pusilli.»

Infruniti ergo sunt gulosi, qui escis frui ne-
 sciunt, sed eas illico glutunt, ita ut saporis sua-
 vitatem vix sentiant, ideoque similes lupis. Lu-
 pus enim, ait Aristoteles in *Histor. animal.*, quia
 gulosus, comedit non masticando cibum, sed de-
 vorando et glutiendo: unde tantum vorat uno
 tempore, quantum ei ad tres dies sufficit. Sic in-
 fruniti sunt luxuriosi, avari, ambitiosi, qui suis
 uxoribus, opibus, honoribus gaudere et frui ne-
 sciunt; quia in eas tam intemperanter et impoten-
 ter se effundunt, ut sensum voluptatis obfundant
 et hebetent, dum in iis vires omnes exhauriunt,
 potentias animæ affligunt, totamque naturam
 lædunt. Igitur infrunitus est brutus, hoc est, ut
 ait S. Isidorus, lib. X *Origin.*, obrutus, quia sensu
 caret. Unde Junius, primus Romæ consul, cogno-
 minatus est Brutus, quia coram Tarquinio Su-
 perbo, avunculo suo, simulavit se stultum. Hæc
 Isidorus.

Orat ergo Siracides liberari a concupiscentia
 ventris et veneris, ne per eam tradatur animæ
 irreverenti et infrunitæ, ut scilicet ei dominetur
 animæ impudentia et insolentia; hæc enim utra-
 que ex gula et libidine nasci solet; quo enim
 plus eis indulges, eo magis eas accendis, ut fiant
 impudentes, insolentes et insatiabiles, ideoque
 tibi tyrannice domineantur. Igitur spiritus luxu-
 riæ, æque ac gulæ, est quasi tyrannus quidam,
 et miles irreverendissimus, inverecundissimus
 et contumeliosissimus, imo quasi harpya rapacis-
 sima, cujus tyrannidem egregie depingit Seneca
epist. 39: «Quis hostis, inquit, in quempiam tam
 contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates
 suæ sunt? quorum impotentia atque insanæ li-
 bidini ob hoc possis ignoscere, quod quæ fecere
 patiuntur. Vivunt itaque voluptatibus suis, non
 fruuntur; et mala sua, quod malorum ultimum
 est, amant. Tunc autem consummata est infelici-
 tas, ubi turp'a non solum delectant, sed etiam
 placent; et desinit esse remedio locus, ubi quæ
 fuerunt vitia, mores fiunt.»

Moraliter, hic discere quantum malum sit impu-
 dentia; hæc enim aufert pudorem, qui est fre-
 num omnis mali, quo rupto homo impudenter
 quasi equus, ruit in omnes cupiditates et scelera.
 Quare semper pudere nos debet mali. Ex ad-
 verso pudere nos non debet boni; boni ergo
 impudentia sancta est. Audi S. Augustinum in
 illud *Psal. LXVIII, 8*: *Quoniam propter te susti-
 nui opprobrium, operuit confusio* (S. Augustinus le-
 git *irreverentia*) *faciem meam*: «Irreverentia quid
 est? non confundi, non erubescere. Ergo irreve-
 rentia quasi impudentia est. Oportet ut habeat
 Christianus irreverentiam istam, quando venerit
 inter homines, quibus displicet Christus. Senten-
 tiam quippe ipsius vide, qui neminem fallit: Qui

Moral de
 impu-
 dentia.

me erubuerit coram hominibus, et ego erubescam eum coram angelis Dei. Observa igitur tu si sit in te irreverentia. Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo, prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis Christi armasti? Hoc est enim: Propter te sustinui exprobrationem. Et quia non de te erubui, quando mihi propter te insultabatur, operuit ir-

reverentia faciem meam. » Hanc sanctam irreverentiam habuit S. Magdalena, quando, ut ait S. Augustinus *homil.* 23, inter 50: « Non invitata irruit convivio, ubi suus medicus recumbebat, et quæsitivè pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio. » Vide dicta *Ezech.* III, vers. 7 et 8.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA POST PRECES REDIT AD OFFICIUM DOCENDI ID QUOD PRECATUS EST, DE MODERANDIS LABIIS; AGIT ERGO DE CAVENDO JURAMENTO CÆTERISQUE LINGUÆ VITIIS.

Vers. 7. 7. DOCTRINAM ORIS AUDITE, FILII; ET QUI CUSTODIERIT ILLAM, NON PERIET (peribit) LABIIS, NEC SCANDALIZABITUR IN OPERIBUS NEQUISSIMIS. — « Doctrinam oris » vocat non quam ore suo dicturus est, sed quam de ore et labiis moderandis dicturus est. Unde Græca hunc titulum hic præfigunt, *disciplina oris*. Rursum *nec scandalizabitur*, idem est quod non offendet, non impinget; non enim agitur hic de scandalo proprie dicto, quo quis scandalizatur, id est, ex dicto vel facto alterius in peccatum inducitur. Unde Græca tantum habent, *non capietur labiis suis*. Sensus est, *q. d.* O filii, o discipuli, audite doctrinam, quam de ore gubernando traditurus sum; qui enim illam custodierit, non peribit per labia sua, nec offendet, aut in ruinam incurret per opera nequissima oris, qualia sunt perjurium, calumnia, rixæ, maledicta, etc. Unde Tigurina clare veritè, *institutionem oris* (aliqui addunt *ἀκούετε*. id est *verè*) *audite, liberi; quam qui servat labiis suis non capietur, nec ex malefactis suscipiet offensionem*; Syrus breviter, *doctrinam oris mei, audite, filii, et qui cautus est non afficietur ignominia*.

Vers. 8. 8. IN VANITATE SUA APPREHENDITUR (comprehenditur) PECCATOR, ET SUPERBUS ET MALEDICUS SCANDALIZABITUR IN ILLIS. — Probat quod dixit vers. præced., eum qui audit doctrinam hanc de ore moderando, non periturum, nec in offendiculum aliquod incursum, per antithesin, sive a contrario, quia scilicet peccator qui negligit oris et labiorum custodiam, apprehenditur et capietur « in vanitate; » Græce, *in stultitia*, id est stultiloquio suo « et superbus et maledicus scandalizabitur, » et impinget, offendet, et in periculum incurret, « in illis, » id est per illa, puta labia sua. Dum enim intemperanter labiis utitur, iisque detrahit, conviciatur, jurgatur, etc., sibi periculum carceris, verberum, famæ, et non raro vitæ accersit et creat. Refert enim se ad id quod vers. præced. dixit per antithesin de sapiente: « Non periet labiis, » *q. d.* Fatuus vero et peccator peribit labiis

suis; aut potius, « scandalizabitur in illis, » scilicet, operibus nequissimis, in quibus non scandalizandum sapientem dixit vers. præced. *q. d.* Superbus et maledicus offendet et impinget in opera nequissima perjurii, blasphemiarum, rixarum, cædium, etc., a quibus cavebit prudens, quia labia sua continet riteque moderatur. Unde Tigurina veritè, *scelerosus labiis suis capietur, et maledicus ac superbus offendet in illis*; Syrus, *in sermone enim suo deprehenditur iniquus, et stultus in ore suo offendit*. Hinc observat Palæcius causam, cur multi labantur in perjurio, blasphemias, rixas et cædes, esse, quia superbi et maledici sunt. Hoc enim est justum Dei iudicium, qui superbiam profunda ruina deprimit, castigat et sternit.

9. JURATIONI NON ASSUESCAT OS TUUM, MULTI ENIM CASUS (Tigurina, *lapsus*) IN ILLA. — Facile enim ex assuetudine jurandi fit, ut crebro quis juret temere frustra que, et aliquando id quod falsum est, itaque committat perjurium. Ita Auctor Imperfecti in *Matth.* apud S. Chrysostomum, *homil.* 12: « Nisi, inquit, juramentum (crebrum vel temerarium) interdicatur, non possunt amputari perjuria; ex juramento enim perjurium generatur. Nemo est enim qui frequenter jurat, et non aliquando perjuret. Propter hoc admonet Salomon (*Ecclesiasticus enim a priscis inscribitur Salomoni*, ob causas quas in Proemio recensui): Non assuescas juramento os tuum; multus enim casus in illo. Sicut enim qui facit consuetudinem multa loqui, necesse est ut aliquando et importuna loquatur; et qui facit consuetudinem manu sua frequenter percutere, necesse est ut aliquando et injuste percutiat: sic qui facit consuetudinem jurare in rebus idoneis frequenter, et in rebus superfluis, etiam nolens, consuetudine trahente perjurat. Nam omnium rerum consuetudinem, quando voluerimus quidem, tunc facimus; sed non quando volumus, tunc repellimus eam. » Et inferius: « Cesset ignis, et incendium non fit: subtrahe gladium, et homicidium non committit- »

titur: sic tolle juramentum, et perjurium non fit. »

Quocirca sapienter S. Augustinus, sermone 28 *De Verbis Apostoli*: « Falsa juratio exitiosa est, inquit, vera juratio periculosa est, nulla juratio secunda est. » Vide quæ de juramento annotavi *Jacob. v, 12*; vide et S. Chrysostomum, homil. *ad Popul. 5, 6, 7 et seq. usque ad 16*, in quibus omnibus acriter insectatur jurandi consuetudinem illo ævo grassantem, ac in 15 docet pejus esse jurare quam occidere: « Non ita pungit ensis, inquit, sicut juramenti natura; non sic occidit gladius, sicut juramenti plaga. » Idque probat ex falce quam a Deo immitti in domos jurantium vidit Zacharias, cap. v.

Pejus ju-
rare
quam
occi-
dere.

Vers. 10. 10. NOMINATIO VERO DEI NON SIT ASSIDUA IN ORE TUO, ET NOMINIBUS SANCTORUM NON ADMISCEARIS; QUONIAM NON ERIS IMMUNIS AB EIS. — Vetuit juramentum, nunc vetat quamlibet Dei et Sanctorum levem et irreverentem nominationem; sunt enim nonnulli qui tertio quolibet verbo, Deum, Christum, Sacramenta, etc., temere nominant. Quæ sane non parva Dei et Sanctorum est irreverentia. Græca hanc sententiam sic breviter efferunt, *nominatióni τοῦ ἁγίου*, id est *sancti, ne consuescas*; ubi τὸ *sancti* partim masculine, *q. d. Dei sancti*; partim neutre accipitur, ut *sancti* idem sit quod rei cujuslibet sanctæ, sive sit animata, uti sunt Angeli et homines sancti in cælo; sive inanimata, uti sunt templa, altaria, Sacramenta, etc. Noster legit in plurali τῶν ἁγίων, id est *sanctorum*, eodem sensu; *sanctorum* enim masculine idem est quod Angelorum et hominum sanctorum; neutre vero idem est quod rerum sanctarum. Vetat ergo hæc temere et irreverenter nominari, sive id fiat in juramento, sive extra juramentum, juxta secundum Decalogi præceptum: « Non assumes nomen Domini Dei tui (et rerum divinarum, puta sanctarum); hæ enim Deum attingunt, unde qui illas temere nominando violat, violat et Deum) in vanum, » *Exodi xx, 7*. *Nomen enim Dei est res sacratissima, omnem sanctitatem exsuperans; ergo indignum est ut illud vano et profano ore calcetur. Secus est si illud crebro, sed ex ingenti amore et reverentia, in ore habeas. Sic enim S. Paulus identidem nominat Deum et Jesum Christum, adeo ut in paucis parvisque Epistolis Christum nominet quadringenties, Jesum ducenas et amplius. Causam subdit: « Quoniam non eris immunis ab eis, » non sanctis, sed nominibus Sanctorum, *q. d. Abstine a vanis et irreverentibus nominationibus Sanctorum, quia « ab eis, » id est per eas, propter eas (hoc enim significat Hebr. מֵהֶם mehem, id est ab eis) non eris immunis, scilicet a peccato, puta a culpa et pœna. Tigurina, quia non impune feres; Syrus, qui frequens est ad jurandum, a delictis et a plaga non justificatur. Alludit, imo citat Exodi cap. xx, 7: « Non enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini sui frustra. » Deus enim sui**

nominis et honoris est zelotes; quocirca eos qui nomen suum irreverenter usurpant et temerant, acriter castigat, tum in hac vita, tum in futura.

11. SICUT ENIM SERVUS INTERROGATUS ASSIDUE, A LIVORE NON MINUITUR; SIC OMNIS JURANS ET NOMINANS (TEMERE DEUM ET SANCTOS, VEL RES SANCTAS) IN TOTO A PECCATO NON PURGABITUR. — « Interrogatus, » id est, tortus; solent enim servi in tortura examinari de crimine admissio: unde tortura vocatur *quæstio*; et in Martyrum passionibus, *interrogatio* subinde ponitur pro flagellis et tormentis, ait Rabanus, *q. d. « Sicut servus interrogatus »* per quæstiones, flagella et tormenta, verberibus et vibicibus impletur: ita quoque crebro jurans, crebra peccatorum verbera animæ suæ infligit. Unde Tigurina vertit, *sicut enim servus crebro vapulans non levatur vibicibus: ita qui dejerat, et nomen Dei assidue usurpat, culpa non vacabit.* Apte jurantem comparat servo, juramentum quæstioni et torturæ, juramenti damna vibicibus. Nam, ut ait Plutarchus in *Problemat. « Juramentum homini libero pro tormento est. Unde Romani a servis veritatem per tormenta extorquebant, a cive juramento, a sacerdote solo verbo. »* Juramentum enim torquet animam, tum quia eam metu Numinis percellit, anxiamque reddit et sollicitam, ne illicite jurando ejus indignationem incurrat; tum quia eam reipsa divinæ vindictæ exponit. Nam qui dejerat jurando juramento execratorio, v. g. dicendo: Si mentior, Deus me puniat; expresse sibi Dei ultionem imprecatur, si mentiatur. Idem implicate facit, sibi que imprecatur jurans juramento assertorio. Porro Rabanus sic explicat, *q. d. « Sicut servus assidue correptus a livoris crimine non abstrahitur, sed magis ad odium provocatur: sic omnis jurans et nominans sæpe nomen Dei Sanctorumque ejus, inde a peccatis non purgabitur, sed magis polluitur. »* Verum livor hic non crimen, puta iram et invidiam animi, sed corporis livorem et vibicem significat: hunc enim denotat Græcum *μώλιος*.

12. VIR MULTUM JURANS IMPLEBITUR INIQUITATE (puta perjuriis, blasphemis, injustitiis, etc.), ET NON DISCEDET A DOMO ILLIUS PLAGA. — Tigurina, *vir crebro jurans replebitur scelere, nec flagellum abscedet a domo ipsius; Syrus, vir jurator acquirit delicta, et non auferetur a domo ejus seditio et colaphizatio.* Exemplum est in Saule, qui proclivis ad jurandum, multa jurando deliquit, ideoque plagas Dei graves sibi suisque posteris accersivit, ut patet II *Reg. xxi, vers. 1 et sequent.*

13. ET SI FRUSTRAYERIT (si juramentum non impleverit), DELICTUM ILLIUS SUPER IPSUM ERIT; ET SI DISSIMULAYERIT, DELINQUET DUPLICITER. — *q. d. Si frustra jurarit, ita ut quod juravit reipsa non præstiterit, hic reus erit delicti, ejusque pœnam sustinebit: si insuper illud corrigere et expiare neglexerit et dissimularit, Græce *ὑπεπέδη*, id est *despexerit*, dupliciter peccabit, scilicet primo, fallendo et juramentum non implendo; secundo,*

peccatum hoc, puta perjurium, non expiando, juxta legem. Alludit enim, imo citat legem *Levit.* cap. v; 4: «Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitæque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, et offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea sacerdos et pro peccato ejus.» Vide ibi dicta. Ita Tigurina, *Cum commiserit*, inquit, *peccatum, ipse culpam suam sustinebit: quam si non agnoscat, eandem conduplicaverit.*

Vers. 14. **ET SI IN VACUUM JURAVERIT, NON JUSTIFICABITUR: REPLEBITUR ENIM RETRIBUTIOE DOMUS ILLIUS.** — Ne quis putet eum solum qui frustrat juramentum, non præstando id quod juravit, peccare, ideoque puniendum a Deo; addit, quod is quoque qui «in vacuum,» id est temere, inaniter, leviterque, ubi non est necessitas vel justa utilitas, jurat, esto sine mendacia vel proximi damno; «non justificabitur» in hoc facto, id est, non censebitur juste riteque egisse, non declarabitur justus; sed potius ut male agens corripitur et puniatur, si non ab hominibus, certe a Deo; a Deo enim «replebitur retributione domus illius,» *q. d.* Deus illi ejusque domui, id est, familiæ et posteris, pro femerariis hisce juramenti debitam retributionem, id est vindictam, pœnam et supplicia retribuet. Notent hoc qui jurandi habent consuetudinem, et leviter tertio quoque verbo jurant. Unde Tigurina vertit, *ac ne temere quidem usus juramento insons judicabitur: nam domus ejus crebris appetetur insultibus; alii, quod si inaniter juravit, non evadet pœnam; replebitur enim domus ejus calamitatibus.* Has enim significat Græcum *ἐκκαρῶν*, uti superius dixi. Sic crebro jurantes, crebra in domibus suis vident infortunia, ut faciant jacturam mercium, famulorum, filiorum, etc., ac causam non advertunt, nimirum irreverentiam in Deum, ac temerarium juramentum, quo sanctum Dei nomen profanant.

Aliiter hunc versum et præced. explicat Palacius: «Tres inquit, male jurandi modos affert: *Primus*, fratrem frustrando, et tunc, si quid frater frustratus propterea deliquerit, hoc delictum gravat jurantem, ut qui ejus delicti causam dederit. Ergo si frater frustratus nocuerit ei qui fidem violavit, ejus criminis culpa in perjurum recidit. *Secundus* modus est, dissimulando veritatem coram iudice, et qui ita veritatem dissimulat, dupliciter delinquit: nam delinquit contra Deum, et contra iudicem, cui simpliciter ad ejus mentem respondendum est, si modo iudice interroget. *Tertius* modus est, jurando quidem vere, sed absque necessitate aut utilitate, et tunc non evadit culpam; replebitur enim domus ejus retributione, ut, sicut jurans caret reverentia erga Deum, ita mala careant reverentia erga domum, sed irreverenter et temere domum intrent, ut temere Deum ille jurabat.» Verum hæc expositio

nimis frigida, grammatica et jejuna videtur.

15. EST ET ALIA LOQUELA CONTRARIA MORTI, NON INVENIATUR IN HEREDITATE JACOB. — Ita Romani et cæteri correcti codices. Male ergo Lyranus legit, *contraria in mortem*; et alii, *e contrario in mortem*, Græca jam habent, *ἀντιπαρεβλήματα*, id est vestita, amicta, induta. Unde sic habent, *est loquela induta vel amicta morte*, etc. Tigurina, *est sermo morte obvolutus, absit in possessione Jacob invenitur*; alii, *est oratio circumsepta undique morte*.

Noster legit *ἀντιπαρεβλήματα*, id est opposita, contraria, aut potius *ἀντιπαρεβλήματα*, uti etiamnum legunt nonnulli codices, id est, opposita, collata, comparata. Nam *ἀντιπαρεβλήματα*, idem est quod opono, confero, committo, comparo. Unde *ἀντιπαρεβλή* est mutua collatio. «Contraria mortis» igitur idem est quod altera ex parte respondens, et quæ conferri ac comparari queat cum morte, morti opposita, objecta, vicina, e regione mortis posita. Unde Syrus omittens *et morti* sic vertit, *et etiam si est aliquid aliud quod compareretur illi (juramento), non invenitur in hereditate Jacob.* Sic Christus ait *Matth. XXI, 2*: «Ite in castellum quod contra vos est,» id est quod e regione vestri est, in prospectu vestro, vobisque vicinum. Et Virgilius, VI *Æneid.*:

Contra elata mari respondet Gnosia tellus:

contra, id est e regione, e vicino.

Minus recte ergo Jansenius *et morti* construit non cum *contraria*, sed cum *est*, *q. d.* Est alia loquela prædictæ contraria, quæ est in mortem, hoc est quæ mortem mox adfert, vel, ut Lyranus, *morti*, subintellige, obligata vel destinata. Porro blasphemia dicitur contraria juramento, quia juramentum videtur habere Dei honorationem, ut qui in testem tanquam veracissimus adhibeatur, at blasphemia apertam habet Dei inhonorationem. Hæc Jansenius subtilius quam solidius.

Quæres, quænam est hæc *loquela contraria*, id est opposita et comparata, *morti*? Aliqui censent esse perjurium; Græci enim non habent *et alia*. Verum Latini habent *et alia*: ergo non agitur hic de perjurio; de eo enim paulo ante egit vers. 13, nec legimus perjurium apud Judæos solitum puniri morte, ut cum ea hic comparetur et æquetur. Alii intelligunt contumelias, rixas, jurgia, quæ communiter suscitant pugnas, ex quibus sequuntur vulnera, mors et cædes multorum, ut ea vestiri illique comparari et æquari videantur. Verum de his quoque egit superius, eaque clare exprimere et nominare solet.

Primo igitur, Rabanus, Lyranus, Jansenius et Palacius per *loquelam* hanc accipiunt blasphemiam: hæc enim Judæis adeo erat exosa et horribilis, ut nec eam nominare auderent, sed per antiphrasin eam significarent, vocantes eam benedictionem, ut, «Benedic, id est maledic, Deo, et morere,» *Job II, 9*. «Benedixit, id est maledixit, Naboth Deum et regem,» *III Regum, cap. XXI, 13.*

Loquela
contra-
ria mor-
ti, quæ?

Resp.
Primo.

Porro blasphemia dicitur comparata vel vestita morte, quia mortem tum animæ, tum corpori affert. Unde mortis sententiam in blasphemum protulit Deus, *Levit.* cap. XXIV, vers. 14 et 23. Aliter Palacius: « Hæc loquela blasphemix, inquit, quam benedictionem vocabant, erat contraria morti, quia benedicere Deum erat contrarium morti: est enim benedicere, vivere, non mori: ergo blasphemia, ut per antiphrasin et per contrarium vocatur benedicere, ita per contrarium vocatur contraria morti, cum tamen sit penitus mortifera. Certe benedictio Dei est contraria morti; ut ergo blasphemia vocata est benedictio, ita vocatur contraria morti. Aut certe erat contraria morti, id est maledictioni, quæ mors erat. Ait igitur Auctor: Est alia loquela, scilicet benedicendi Deum, quæ contraria est maledictioni mortis, cum sit tamen blasphemia. »

Secundo. *Secundo*, accipi potest loquela qua quis docet aut suadet apostasiam a Deo, fide et religione, hæresim vel idololatriam. Talem enim, etiamsi esset filius, morte mulctari jussit Deus, *Deut.* XIII, vers. 1 et 6, utpote qui mortem animæ inferat, et ad mortem secundam in gehennam suos sequaces deducat. Unde S. Joannes, *Apocal.* VI, 8, describens tentationem et persecutionem Ecclesiæ et fidelium futuram per Mahometanos et Saracenos, eos repræsentat per equum pallidum cui insidet mors: « Et infernus, inquit, sequebatur eum. »

Tertio. *Tertio*, loquela hæc accipi potest murmur, rebellio, seditio. Sic enim Core excitans suos tribules ad murmur et rebellionem contra Mosen, morte punitus, vivusque a terra absorptus est. Simili modo cæteros murmurantes sæpius in deserto, semper morte vel plaga horribili castigavit Deus, cum cætera populi peccata dissimularet, ut ostendi *Exodi* XVI, 7. Unde optat eam, utpote execrandam, non inveniri « in hæreditate Jacob, » id est in populo Israelitico: hic enim est posteritas et hæreditas Jacobi patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israel. Nam, ut ait S. Gregorius in *Psal.* VII *Penit.* vers. 2, qui murmurat, cum Deo contendit: « Qui, inquit, contra conditoris flagella murmurat, quasi cum eo in iudicium intrat: Dei namque accusat iudicium, qui se æstimat injuste percussus. Et quasi cum Deo in iudicio contendit, qui inter flagella innocentem se ostendit. »

Vers. 6. 16. ET ENIM A MISERICORDIBUS (Græce, *ἐπιεικῶν*, id est piis, religiosis, colentibus Deum, quales erant veræ Israelitæ, posterique et sequaces Jacobi patriarchæ, de quibus vers. præced.) OMNIA HÆC AUFERENTUR, ET IN DELICTIS NON VOLUTABUNTUR. — Ita Romana et Græca: male ergo Lyranus et nonnulli legunt, *non voluptabunt*, id est non delectabuntur. Male etiam alii legunt *non vultabunt*. Sensus est, *q. d.* Perjuria, blasphemix cæteraque lethifera linguæ vitia, Deus per gratiam et custodiam suam auferet a viris piis se colentibus: aut, si quando aliquem in illa cadere permittat, non

sinet eum in illis volutari et perseverare, se illico illi suum scelus et periculum ostendet, eumque impellet, ut ab illo se eximat. Unde Tigurina vertit, *sane a piis aberunt hæc omnia; neque enim peccatis involventur; paulo aliter Syrus, et etiam, inquit, qui continet animam suam ab hujusmodi, vivet, et in peccatis non commiscebitur.*

Moraliter, notat Palacius blasphemiam puniri aliis sceleribus; ob illam enim Deus permittit ut in hisce volutetur.

17. INDISCIPLINATÆ LOQUELÆ (S. Augustinus in *Vers. 7* *Speculo* legit, *indisciplinatio*) NON ASSUESCAT OS TUUM; EST ENIM IN ILLA VERBUM PECCATI. — Græce, *ἀπειθεῖν ἄσπῆ* (pro quo Complutenses legunt *ἀκολοῦν ὄρκου*, id est *intemperantiæ juramenti*, qua qui laborant, intemperanter tertio quolibet verbo jurant), id est *ineruditioni molestæ, indisciplinatæ, temerariæ*, per quam cum Lyrano et Jansenio intellige rusticitatem et irreverentiam loquendi, qua rustici cæterique homines viles et effrenes male instituti, irreverenter, rustice, dure, probrose loquuntur etiam majoribus et superioribus, sine respectu personæ et dignitatis; quos proinde offendunt, et ad puniendam hanc libertatem excitant. Unde Tigurina, *os tuum imperitæ temeritati ne assuescas: nam sunt in ea res fugitiosæ; alii, est enim in ea res peccati. Verbum enim peccati est sermo peccans, vel res peccati, puta peccatum ipsum. Sæpe enim verbum metonymice sumitur pro re per verbum significata.*

Secundo, Syrus per *indisciplinatam loquelam* accipit stultiloquium. Unde vertit, *fatuitati ne assuescat os tuum, quia etiam in illa sunt verba mendacii.*

Tertio, Palacius accipit inconsiderationem, dissolutionem et incontinentiam loquendi, *q. d.* Ne assuescas loqui quod velis, quod libet, quod in buccam venerit; habeto disciplinam in ore, loquere quod æquum est. Alioqui, si loquaris temere, aderit statim peccatum; ex hac enim temeritate prorumpes in convicia, maledicta, blasphemias, perjuria, rixas, pugnas et cædes. Hic sensus maxime videtur genuinus, eumque sequitur Rabanus: hoc enim proprie significat *indisciplinatus*, nimirum eum qui non adhibet disciplinam et moderationem debitam in loquendo.

18. MEMENTO PATRIS ET MATRIS TUÆ, IN MEDIO ENIM *Vers. 18* MAGNATORUM CONSISTIS. — *Tò enim* respondet Hebræo *כִּי*, id est *nam, vel cum*; hic pro *cum* accipitur, ait Vatablus, Lyranus et Palacius, *q. d.* Cum inter magnates versaris, aut ad eorum gradum elevaris et extolleris, memento tamen patris et matris, id est tuæ familiæ et prosapiæ, si illa humilior et vilior sit, ut te in humilitate contineas, nec inter magnates tui generis oblitus fastu intumescas: sin prosapia tua sit honestior, memento honestæ tuæ educationis, quam a patre et matre accepisti, ut inter magnates honeste et modeste loquaris et agas; ac proinde abstineas a perjuriis, juramentis, blasphemis, irreverentia, fatuitate cæterisque linguæ vitiis, de quibus hucusque egi. Hinc

Tigurina vertit, *memento patris et matris tuæ, cum resides inter proceres*. Unde sequitur :

Vers. 19. NE FORTE OBLIVISCATUR TE DEUS IN CONSPPECTU ILLORUM, ET ASSIDUITATE TUA (id est, cum assidue conversando cum magnatibus discas ambire magna, et superbire) INFATUATUS, IMPROPERIUM PATIARIS, ET MALUISSES NON NASCI, ET DIEM NATIVITATIS TUE MALEDICAS, — *q. d.* Vide, o fili, ne obliviscaris paternæ tuæ prosapiæ, vel honestæ institutionis parentum, ut inter magnates, magnos et superbos induas spiritus, magna ambias et audeas; quia si id feceris, obliviscetur tui Deus, sinetque te cadere, tuaque gratia, honore et statu excidere in conspectu magnatum; atque, quia ob assiduam cum magnatibus conversationem « infatuatus » superbivisti, dejiciet te, ut dejectus « improprium patiaris, » adeo ut optes te non natum, et nativitati tuæ maledicas. Unde Græca sic habent, *ne quando in oblivionem coram illis* (parentibus vel potius magnatibus) *venias, et consuetudine tua infatuveris* (hoc enim significat *μωραθης*, pro quo Complutenses legunt *μαραθης*, id est *marcescas*; continua enim et nimis libera conversatio et familiaritas cum magnatibus parit fastidium, indeque contemptum); *et velles te non esse natum, et diem partus tui execrere*; Tigurina, *ne tu quoque ab ipsis tradaris oblivioni, assiduitateque tua stultitiam contrahas*; quamobrem *te velis non esse natum, et natalem tuum diem execreris*. Ita Palacius: « Præceptum hoc, inquit, non ad omnes, sed ad eum qui in cura inter magnates versatur, referri debet. Ait enim: In medio magnatorum consistis. Tum referri omnino debet ad eum qui magnatorum favorem habet, ac ideo cum eis versatur assidue; dicit enim: Assiduitate tua, etc.; ergo quia favor magnatorum quosdam degeneres elatos facit, adeo ut pudeat eos de suis parentibus loqui; ideo præcipit Auctor istis, ut mentionem faciant parentum suorum; tum quia in medio magnatorum ambulamus, qui vehementer delectantur, cum audiunt nos de parentibus etiam vilibus loqui; tum quia si parentum obliviscimur, curabit Deus ut magnates illi obliviscantur nostri; tum tertio, quia nos infatuati ex favore, et assidua magnatorum familiaritate, aliquando ab eis improprium patiemur; dicent enim indignissimos nos esse qui parentes nostros dedignemur. Tunc plane optassemus nos non fuisse natos, et diei natali maledicemus. Hæc Auctoris institutio quotidiana in curis experientia comprobatur; quotidie enim audimus quosdam, qui suos etiam rusticos parentes honorarunt, a regibus magnopere honoratos; alios vero qui parentes dedignati sunt, regibus magnopere displicuisse, ac ideo ab eorum favore dejectos. » Hæc Palacius.

Secundo, Syrus censet hic stimulum dari filio ad bene loquendum et vivendum, ex verecundia et reverentia parentum. Sic enim vertit, *recordare quod habes patrem et matrem, et æquali timore liberaberis, ne offendas eorum eis, et in doctrina tua igno-*

minia afficiaris, et dicas: Utinam creatus non fuisssem; et diem in quo genitus est maledicas.

Rursum pro *αυτοπειθεis*, id est *consides, consistis*, præsides, Complutenses legunt *αυτοπειθεis*, in futuro; unde vertunt, *memento patris et matris tuæ; in medio enim magnatum præsidebis, q. d.* Si honores patrem et matrem, eorumque instituta et documenta reipsa expleas, honorabit te Deus, facietque te magnis et magnatibus præsidere.

Tertio, Jansenius *τὸ enim* proprie accipiens, et per *magnatos*, id est magnates, intelligens viros sanctos et Angelos, pie sic explicat: Ut rusticitati et irreverentiæ non assuescas, memor esto institutionis et præceptorum quæ a parentibus accepisti. Memento item ex qualibus sis ortus parentibus, sanctis scilicet et Deum verum colentibus; consistis enim et conversaris inter magnatos, nempe cultores Dei, sanctos homines sanctosque Angelos Dei, qui sunt in medio populi Dei, et contemplantur singulorum mores; unde merito tibi cavendum est, ne coram talibus indecore te geras aut assuescas inepte et inhoneste loqui; ne aliquando eveniat, ut, sicut tu noluit meminisse præceptorum et reverentiæ quam te docuerunt tui parentes, originis item tuæ: ita etiam vicissim eveniat, ut Deus obliviscatur tui in bonum, ad honorandum, scilicet, te in conspectu illorum magnatorum, in quorum oculis et auribus indecore te hic gessisti. Atque tunc tu, qui jam mala loquendi assuetudine et assiduitate infatuatus es, improprium patiaris et ignominiam, quando ex eorum consortio, cum quibus jam in populo Dei censeris, turpiter ejicies, et tuæ irreverentiæ et inobedientiæ justas dabis pœnas. Ex quo et hoc consequetur, ut qui, si voluisses, in parentibus tuis gloriari poteras, ob ignominiam et pœnarum magnitudinem malis non fuisse natus, et maledicas diem nativitatis tuæ, sive in hoc sæculo, sive in futuro. Docet ergo reverentiam et honestatem verborum, juxta parentum monita, et sanctam originem servandum, vel ob honorem qui debetur cœtui sanctorum, sicut et Paulus monet mulieres in Ecclesia habere velamen super caput suum; vel propter Angelos. Et Tobias consideratione parentum a quibus nati erant, suam conjugem monet honestatis et temperantiæ, dicens: « Filii quippe sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi, sicut Gentes quæ ignorant Deum, » *Tobiæ viii*. Et diligenter observandum est, quod illi « Memento patris » opponatur « Ne obliviscatur te Deus; » et honori quem quisque ex Sanctorum cœtu obtinet, opponitur improprium et dedecus quod irreverens incurrit, sive hic, sive postea, in conspectu sanctorum et hominum et Angelorum.

20. HOMO ASSCETUS IN VERBIS IMPROPERII, IN OMNIBUS DIEBUS SUTS NON ERUDIETUR, — *q. d.* Qui consuevit in alios convicia et probra jacere, hic eruditionis, institutionis et correctionis est incapax, tum quia talis est impudens, procax et pervicax, in eoque callum per consuetudinem obduxit;

Vers. 20.

tum quia sicut in alios innoxios insurgit, ita multo magis in monitores suos, a quibus corripitur, contumeliosus erit, in eosque plaustra contumeliarum et maledictorum conjiciet. Unde Vatablus vertit, *homo verbis probrosis assuetus, disciplinam per omnem vitam suam non admittet*; Syrus pro probrosis ponit otiosa: *Vir, inquit, qui discit verba otiosa, omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet.*

Duas alias explicationes affert Palacius. Prior est, *q. d.* « Cave ne lingua assuescat jacere in

alios contumelias, nam id signum æternæ reprobationis est; non enim tales homines a Deo erudiuntur. At vero, ut beatus est, quem tu erudieris, Domine: ita reprobis, ac ideo omni infelicitate infeliciores, quem tu non erudieris. Alium sensum mihi usus ostendit; is est: Ne credant domini ministros suos improperiis emendandos, imo vero minister his improperiis assuetus, nunquam erudietur. Igitur non solum non assequitur heri suis conviciis ministri emendationem, sed potius eum facit contumacem, ut de eo desperetur. »

TERTIA PARS CAPITIS.

DE CÆCITATE FŒDITATEQUE FŒRNICATIONIS ET ADULTERII.

Vers. 21. 21. DUO GENERA ABUNDANT IN PECCATIS (Græce, *multiplicant peccata*), ET TERTIUM ADDUCIT IRAM ET PERDITIONEM. — Post vitia linguæ pergunt ad vitia operum, inquit Jansenius, sicut et in principio capituli postquam precatus est linguæ continentiam, mox precatur vitæ totius temperantiam. Sensus est, *q. d.* Duo genera vitiorum et vitiosorum hominum sunt, quæ peccata peccatis accumulunt; tertium vero hæc duo superans, acrem Dei iram, vindictam et perditionem provocat. Simile est *Proverb. vi, 16*: « Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus: » septimum est susurratio et susurro, qui seminat inter fratres discordias. Unde Syrus hoc loco vertit, *duos modos odit anima mea, et tertius ascendere facit iram*; Tigurina, *duo genera peccatis abundant, et tertium meretur supplicium*, scilicet singulare et acre. Inter hæc tria primum est « anima calida, » puta anima æstuans ira et cholera. Secundum est « nequam in ore carnis suæ, » id est, nequam in appetitu carnis, id est veneris, puta luxuriosus. Tertium est, vers. 23, « qui transgreditur lectum suum, » id est adulter.

Vers. 22. 22. ANIMA CALIDA QUASI IGNIS ARDENS, NON EXTINGUETUR DONEC ALIQUID GLUTIAT. — Tigurina, *animus æstuans tanquam ardens ignis, qui non extinguitur donec absumatur.*

Anima calida, que? Respondeo primo.

Quæres, quænam hæc « anima calida? » Primo, Rabanus, Jansenius, Palacius et Lyranus accipiunt animam avaram: hæc enim ardet avaritia et cupiditate, quasi igne. Unde non desistit donec proximorum bona per fas et nefas glutiat, et in stomachum avaritiæ suæ ita sibi undum trajiciat. Unde Boetius, lib. II *De Consol.*, metro 5: « Scævior ignibus Ætnæ, inquit, ardet amor habendi. » Audi Rabanum: « Anima calida quasi ignis ardens est mens avari, quæ ardet in concupiscentia terrenarum rerum, cujus ardoris flamma non mitigatur, donec lucro terreno repleatur: sed quia avaritiæ pestis morbo hydropiæ est similis, quo qui laborat, quanto plus bibit, tanto plus sitiit: sic et anima avari, quanto plura in pecuniarum quæstu

acquirat, tanto plus in eorum ardet ambitione. Idcirco dum dicitur, Non exstinguetur, donec aliquid glutiat; non ejus morbi in eo exprimitur curatio, sed perversi usus denotatur multiplicatio, ut, dum appetitum lucrum acquirit, inde quasi jam absolutus, ad alia appetenda paratior reddatur. » Et S. Ambrosius lib. *De Cain et Abel*, avaritiam vocat: « Æris libidinem, quæ quo plura abstulerit, eo magis inopem esse se credit. Omnibus invida, sibi vilis, affectu extenuat quod censu abundat. Nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura capiendi. Sic inflammat, sic igne suo pascit animum, ut hoc solo a luxuria distet, quod hæc formarum adultera sit, avaritia terrarum. »

Secundo, potius et aptius, « anima calida » est anima bile et ira æstuans. Ira enim est effervescentia sanguinis circa cor, quæ proinde hominem ita succendit, ut naribus fumos, ore et oculis ignes spirare videatur: hæc non exstinguitur donec aliquid, puta famam, sanguinem, vel vitam ejus, cui irascitur, glutiat, donec scilicet aliquem infamet, vulneret, mutilet, vel occidat. Græca jam habent passive *καταρσθῆ*, id est *donec glutiatur*, id est, donec absumatur bilis et ira, vel ipse iratus. Irati enim in rixas et enses quasi furibundi ruunt, ideoque sæpe feriuntur et occiduntur.

Tertio, valde concinne « anima calida » potest accipi anima æstuans libidine. Unde Syrus vertit, *anima quæ luxuriatur cum ignominia carnis suæ*. Hanc enim vers. seq. dicit fornicando accendere ignem, atque omnia sequentia spectant ad eam et ad adulterium. Videtur enim per tria quæ nominavit vers. 21, intelligere tres gradus libidinis, ut primus sit interna concupiscentia, quæ non exstinguitur donec aliquid externæ voluptatis per pollutionem, oscula, tactus impudicos, etc., glutiat et hauriat; secundus sit fornicatio; tertius, adulterium. Aut certe intelligit tria genera luxuriosorum: primum est « anima calida, » id est, anima æstuans libidine et fornicatione, secundum est adulter, tertium est adultera de qua vers. 23. Adultera

enim sæpe nocentior est adultero, quia adducit iras et cædes, ac perditionem integrarum familiarum. Unde Syrus et Complutenses hunc versum jungunt cum seq. quasi « anima calida » sit anima fornicarii. Sic enim habent Complutenses, *anima calida quasi ignis ardens non exstinguitur, donec deglutiat homo fornicarius in corpore carnis suæ, non desinet donec accendat ignem.* Licet Græca a Romanis emendata hæc separent, uti facit noster Latinus Interpres, ac proinde ante *homo fornicarius*, ponunt hypocolon, quasi alterum et diversum ab anima calida, ideoque secundum e tribus peccatis, de quibus vers. 21 membrum sit *homo fornicarius*.

Exemplum uxoris Ottonis Imperatoris.

Exemplum singulare, sed multiplex hujus ignis et animæ calidæ, exstat in Maria filia regis Aragonum, uxore Ottonis III Imperatoris apud Crantizium in *Saxon.* lib. IV, cap. xxvi, et ex eo Baronijs, anno Christi 998 : « Hæc enim femina procax, inquit, oculos conjecit in comitem quemdam virum integerrimum, forma pulcherrimum : quæ a viro castissimo passa repulsam, illum de perentata pudicitia calumniose accusavit apud Imperatorem, qui facile nimis adhibens fidem ipsi, comitem morte damnavit. Quem cum capite amputatum audisset ejus uxor, magna audacia, quam pudoris nescius dolor ministravit abunde, Ottonem convenit pro tribunali sedentem, clamans de nece justissimi viri vindictam, projectoque capite viri in medium, ipsum imperatorem reum sanguinis innocentissimi apud ipsum jura reddentem accusat. Probationem per contrectationem ferri candentis veritatis indicem offert. Consentit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur; mulier conscia innocentia viri sui, arripit illud illæsa, contrectat inusta, quia justa; stringit ut flores ignitum metallum, quo solum exuruntur præcordia ipsius Imperatoris. Cui tunc insultans victrix femina, vindictam in Imperatorem a gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit penam, spondens jugulum, sed poscit inducias. Interim proceres accurrunt, pro vita feminam exorant Imperatoris. Sed frustra diu laboratum; at tandem ea est conditione transactum, ut auctrix sceleris Augusta, ex qua causa processerat viri necis, flammis comburenda daretur. Quo facto, suam redemit vitam justissimus imperator, qui eandem donatam tribus castris, solutus ipse ac liber subeundi supplicii, eam abire rogavit. » Ecce quantas tragædias anima feminæ, calida amore, dein furore, excitavit; sed catastrophe in ipsammet revoluta, æstum amoris et furoris luit ignis ardore.

Denique « anima calida » generatim potest accipi ea, quæ quovis affectu pravo, v. g. superbiæ, ambitionis, invidia, gulæ, etc., ardet : hæc enim non satiatur donec rem adeo concupitam glutiat, eaque per fas et nefas potiatur. Quocirca de talibus ait Isaias cap. LVII, 20 : « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. » Et Osee

cap. VII, 4, insaniam Israelitarum et ardorem colendi idola sub Jehu rege, quasi mysticam fornicationem et adulterium incusans : « Omnes adulterantes, ait, quasi clibanus succensus a coquente, etc. Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis : tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt judices suos. » Vide ibi dicta. Ita noster Pineda in *Job*, cap. XX, vers. 12 : « Duo genera, inquit, abundant in peccatis (id est, multorum peccatorum fons et origo sunt) : Anima calida (ventriculus, stomachi appetentia) quasi ignis non exstinguetur, donec aliquid glutiat; stomachus, videlicet, non minus famescens, et ardens fame, quam ignis, qui nisi devoret et depascatur multam materiam, continuo exstinguitur, et tunc demum videtur contentus, cum multa illi nutrimenta subministraveris. En animam, aut stomachum impii æstuantem atque ardentem cupiditatibus, et non quiescentem donec desideratis potiatur. » Et inferius : « Exprimitur enim quanta sit impiorum in peccando fames, quanta voracitas. In universos enim illud quadrat : Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum. Nam cum omnes unicam voluptatem, atque peccatorum dulcedinem appetant, gurgites sunt et belluones spurcissimi voluptatum, nati abdomini suo, non veræ laudi, non gloriæ, non fruendo Deo. »

Tropologice, « anima calida, » id est, æstuans ira, libidine, aliave cupiditate, parat et succendit sibi ignem multarum penarum et calamitatum, ac tandem ignem gehennæ, juxta illud *Isaiæ* I, vers. ult. : « Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. » Vide quæ ibidem notavi.

23. ET HOMO NEQUAM IN ORE CARNIS SUÆ, NON DESINET DONEC INCENDAT IGNEM. — Hoc est secundum genus eorum qui abundant in peccatis, nimirum fornicariorum : hi enim libidines multiplicent, quia iis non satiantur. Est enim libido insatiabilis, sui que flammam majores semper suscitatur et accendit : unde « abundat in peccatis. » Noster pro *nequos*, id est *fornicarius*, legit *nequos*, id est *nequam*. Unde aliqui hæc accipiunt de gulo, qui non satiatur ore carnis suæ, puta sua gula et ingluvie, nec quiescit donec in se accendat ignem libidinis. Verum ex Græco et Syro liquet hic notari fornicarium. Unde Tigurina vertit, *deinde scortator homo qui corpore carnis suæ non conquiescit, donec ignem succenderit*; Syrus, *vir qui luxuriatur cum ignominia carnis suæ (alii, membri sui), non conquiescet donec accendatur in eo ignis.* Sensus est : « Homo nequam in ore carnis suæ, » hoc est, nequam in explendo appetitu carnis, id est concupiscentiæ et libidinis suæ, puta luxuriosus et fornicator, « non desinet donec ignem libidinis suæ, quo ardet interius, exterius accen-

Tropologice.

Vers. 23.

dat et expleat, donec scilicet amasias suas eodem igne succenderit, cum eisque se libidine contaminaret et concremarit.

Est metonymia, qua os quasi instrumentum ponitur pro ipso appetitu cibi. Rursum est catachresis, qua appetitus cibi ponitur pro appetitu rei veneræ. Unde sequitur: « Homini fornicario omnis panis dulcis. » Dicitur ergo « nequam in ore carnis suæ » fornicator, qui explet omnia quæ appetit caro sua, sive quidquid carni libet, quique ore suo postulat ac sollicitat amasias, ad explendum suum hunc brutalem appetitum. Simili phrasi Scriptura tribuit gladio os, cum dicit: « Percussit eos in ore gladii, » id est, in acie gladii. Rursum « in ore, » id est, in appetitu gladii, q. d. Percussit eos ad satietatem quantum libuit gladio, id est, quantum appetit furens miles et gladiator. Noster legit *σάρκα*, id est *ore*; jam legit *σώματι*, id est *corpore*.

Porro, ignis hic libidinis concipitur ex forma et pulchritudine, quæ oculis hauritur, ac per eos in reliqua membra proserpit, eaque accendit. De quo eleganter S. Chrysostomus, homil. 3 *De Verbis Isaie*: « Vidi Duminum: Ut ignis, inquit, ubi fœnum aliquod aut culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul lucidam accendit flammam: itidem et ignis concupiscentiæ, qui est in nobis, simul atque per oculorum intuitum elegantem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animum. » Quocirca ut ab igne hoc immunem te serves, omni studio custodendi sunt oculi. Vide S. Basilium, tract. *De Virg.*: « Est sane iniquum et indignum, inquit, præterquam quod ad vitium per oculos vehitur, virginem, quæ manu contrectare non audet, ea jactu oculorum indifferenter attingere. Quæ igitur non evitavit luminum jactum quantum in se est, ne manus quidem tactum vitavit. Sicut enim cum ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus, ita possibile non est eum, quem ignis amoris attingit, ejusmodi tactum innocuum inviolatumque præferre. »

Vers. 24. 24. HOMINI FORNICARIO OMNIS PANIS DULCIS, NON FATIGABITUR TRANSGREDIENS USQUE AD FINEM. — Sicut vers. præced. appetitum fornicationis vocavit *os carnis*; ita persistens in eodem tropo, *panem* quo hoc *os*, id est, appetitus veneræ, impletur, vocat feminam, q. d. Homo assuetus fornicationi irruit in quaslibet mulieres: omnis femina sive pulchra sit, sive turpis; sive pauper, sive dives; sive juvenis, sive senex, ei videtur dulcis: sicut famelico dulcis videtur et sapidus quilibet panis, etiam ater et durus. Qualibet ergo femina, quasi pane os, id est, appetitum luxuriæ suæ, implet et saturat: unde non fatigatur transgrediens (legem Dei per continuas fornicationes) usque ad finem, scilicet vite; Tigurina, *donec intereat*. Tenacissima enim est libido, et consuetudo fornicandi, adeo ut cum senectute non consenescat, sed vivat et vigeat, imo ardeat usque ad mortem, nec nisi

cum ea moriatur. Simili tropo de meretricibus clanculariis ait Salomon *Proverb. ix, 17*: « Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. » Ita Syrus: *Carni, inquit, viri luxuriosi omnis caro suavis est, et non continebit donec peccet*. Sunt enim turpissimi scortatores, qui vaga libidine delectantur, nullo delectu, qui non nisi libidinari cupiunt, et, ut ait Plato in *Convivio*, « Vere non amant, sed ad explendum tantum desideria inhiant, et quodcumque sors obtulerit, exsequuntur. »

Porro noster Pineda, lib. V *De Rebus Salom.*, cap. iv, num. 13, censet hic alludi ad panem mellitum, qui in nuptiis dabatur sponsis, ac deinde convivis: ex quo nuptiæ dicebantur *contrahi confarreatione*, quia panis ille erat farraceus, aut far, teste Athenæo, lib. VII, Alexandro ab Alexandro, lib. II, cap. v, et Cælio Rhodigino, lib. XXIV, cap. xv. Unde sponsus invitans sponsam ad hanc placentam mellitam *Cantic. V, 1*: « Comedi, inquit, favum cum melle meo. » Ubi Septuaginta, *comedi panem meum cum melle meo*, ut sensus sit, q. d. Scortator projectissimus est ad omnem cujuslibet feminæ voluptatem, neque minus ardet quavis occasione oblata, quam si primas nuptias celebraturus esset, ac mellitam placentam nuptialem degustaturus.

25. OMNIS HOMO QUI TRANSGREDITUR LECTUM SUUM, CONTEMNENS IN ANIMAM SUAM, ET DICENS: QUIS ME VIDET? — Adde: « Hic in plateis vindicabitur, » uti dicitur vers. 30. Ibi enim sententia hic inchoata absolvitur. Sensus est, q. d. Tertius, qui abundat peccatis, et adducit iram et perditionem, uti dixi vers 21. Est adulter, qui torum et lectum conjugalem violat, alteriusque conjugem, aut certe fornicariam invadit, itaque contemnit « animam suam, » tum quia vitam suam periculo mortis objicit, ne videlicet cognati conjugis, aut maritus adulteræ cum qua peccat, eum ob injuriam et infamiam tam conjugi quam adulteræ, indeque sibi illatam, occidant; tum quia animam suam Dei vindictæ, judicio et damnationi exponit. Sed hæc omnia contemnit cæcus amor adulteri, quia clanculum adulterans, putat se latere hominum oculos dicitque: « Quis me videt? » unde Tigurina vertit, *homo denique* (est tertius et ultimus abundans peccatis) *temerator tori sui, sic animo secum cogitans: Quis me videt?* Syrus, *vir qui prævaricatur super lectum strati sui, et dicit in anima sua: Quis videt me?* Ideoque non cogitat illud Senecæ Gentilis, cum ipse sit fidelis: « Etiam si scirem homines ignoraturos, et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem. »

26. TENEBRÆ CIRCUNDANT ME, ET PARIETES COOPERIUNT ME, ET NEMO CIRCUMSPICIT ME: QUEM VERBORUM DELICTORUM MEORUM NON MEMORABITUR ALTISSIMUS. — q. d. Nec homines vereor, utpote qui me tenebris et cubiculo clausum non vident; nec Deum, utpote quem non credo videre aut curare res mortalium, ut castos præmiat, adulteros puniat; ni-

mirum : « Nubes cœli latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat, » ut aiunt impii, *Job xxii, 14*. Libido enim ducit homines ad atheismum, ut negent Dei providentiam omneque numen. Quocirca qui firmus in fide persistere cupit, sit castus : castitas enim est custos veræ fidei et religionis : hanc enim evertit intemperantia et libido. Hac de causa S. Petrus, S. Paulus, S. Joannes, S. Matthæus, S. Clemens, cæterique Apostoli virique Apostolici, eximii præcones fuere castitatis, æque ac fidei, adeoque pro castitate Martyres occubuerunt. Sciebant enim sanctitatem Christianæ fidei et religionis esse tantam, ut non nisi a castis capi et conservari possit. Syrus vertit, *ecce parietes domus meæ tegunt me, et tectum domus meæ superjacet mihi, et non est qui videat me, quis prohibebit me ne peccem?* Tigurina, *tenebris circumseptus sum, et parietes mihi præbent latebram, nec quisquam videt me, quidnam metuum? peccata mea non curat Altissimus.*

Castitas
custos
fidei.

Sapienter S. Chrysostomus, homil. 11 in I ad Corinth. « Noli, inquit, dicere : In tenebris sum, pariete claudor, quis me videt? Qui enim omnia nostra corda effinxit, ipse omnia novit. Quoniam tenebræ apud eum nihil obscurius reddunt. Recte autem inquit peccator : Tenebræ circumdant me, et parietes; nisi enim in tenebris animus esset, non sane Dei timore abjecto, tanta duceretur licentia. Nam nisi prius rationalis pars caligaret, non tam licenter peccata in nos impetum facere potuissent. Quamobrem ne dicas, Nemo me videt; est namque qui ad animam usque et spiritum, articulos et medullas penetrat. Te autem ipsum non vides, neque potes nebulas expellere; sed tanquam muro undique circumdaris, et sic nequis cœlum suspicere. » Docet deinde in omni peccato esse tenebras mentis, et rationis lumen extinguere. « Nam quemadmodum, inquit, latrones, et parietum perfossores, cum quid pretiosum rapere volunt, extincto lumine id aggrediuntur, sic in peccatoribus corrupta ratio. Etenim in nobis rationis lumen est semper ardens; quod si spiritus iniquitatis vehementiori impetu aggressus extinxerit, quamprimum animam obscuravit, expugnavitque, et quidquid in ea conditum est, compilavit. »

Vers. 27. 27. ET NON INTELLIGIT (non credit; vel, si credit non cogitat, non considerat), QUONIAM OMNIA VIDET OCLUS ILLIUS (Dei : Dei enim nomen est ille, scilicet qui est, *Exodi iii, 14*), QUONIAM EXPELLIT A SE TIMOREM DEI (ut liberius sine metu vindicis et vindictæ adulteretur et peccet), HUIUSMODI HOMINIS TIMOR (quo adulter timet videri ab hominibus, non a Deo, ideoque noctem et latebras quærit, *q. d.* Hic timor quo adulter tantum hominem, et ab homine videri timet, expellit timorem Dei), ET OCULI HOMINUM TIMENTES ILLUM. — Idem dicit et inculcat, *q. d.* Et oculi adulteri, qui sunt « oculi hominum, » id est, quibus videri metuit ab hominibus, ideoque oculis suis circumspicit, num quis hominum eum videat.

« Oculi » ergo « hominum » sunt metus et timor hominum; hi oculi sunt « timentes illum, » supple hominem, qui præcessit, *q. d.* Oculi adulteri solum timent hominem, ideoque expellunt timorem Dei, ut jam dixit : hoc enim ex prædictis hic subaudiendum et repetendum relinquit. Unde Græca pro his omnibus hoc tantum habent, *et oculi hominum timor ipsius*, id est, ut Tigurina, *sane huic oculi tantum hominum timori sunt, q. d.* Talis tantum timet aspici ab hominibus. Unde S. Ephrem in *Apophtheg.* legit : « At contra oculos hominis timet. » Syrus hæc omnia præterit et omittit. Nonnulli codices aliter dispungunt sensumque dant faciliorem hoc modo : « Expellit a se timorem Dei, » scilicet adulter, deinde ponunt colon, ac quasi epiphonema subjungunt : « Hujusmodi (est) hominis timor, et oculi hominum timentes illum, » *q. d.* Talis est timor hominis, et tales sunt oculi hominum, qui solum timent hominem, qui scilicet duntaxat timent videri ab homine quem metuunt, non a Deo quem non metuunt. Nimirum hi sunt humani et carnei oculi, qui non nisi hominem timent. Insanit ergo adulter dum oculos Dei fallere vel fugere se posse putat. Audi Rabanum : « Qui enim castitatis virtutem perdit, et impudentiæ se vitio tradit, cum ipse tenebræ sit mentis, tenebrarum opera sine conscientia alterius æstimat se agere; et quia Dei timorem a se expellit, in eo maxime deluditur quod occultorum omnium conditorem se fallere posse arbitratur; cum Propheta testante didicimus, quod vultus Domini sit super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum; et Dominus interrogat justum et impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam; coram sole justitiæ nihil latere potest : omnes enim viæ hominum patent oculis Dei; cœlorum ipse continet thronum, et abyssum intuetur, cœlum palmo mœtitur, et terram pugillo concludit, ipse novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, et singulorum cogitationes intelligit a longe : homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor. »

Audi et S. Ambrosium hunc locum expendentem, lib. I *Offic.* cap. xiv : « Nolunt (adulteri et impii) supra se esse judicem, quem nihil fallat; nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi : sed etiam Dominus sciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. In nocte, inquit, erit fur; et oculus adulteri servabit tenebras, dicens : Non considerabit me oculus, et latibulum personæ opposuit suæ. Omnis enim qui male agit, lucem fugit, diligit tenebras, studens latere, cum Deum latere non possit, qui intrat profundum abyssi, et intra hominum mentes non solum tractata, sed etiam volvenda cognoscit. Denique et ille qui dicit in Ecclesiastico : Quis videt me? et tenebræ cooperiunt me et parietes, quem vereor; quamvis in lecto positus hæc cogitet, ubi non putaverit, comprehenditur. Et erit, inquit, dedecus, quod non intellexerit timorem

Ex
S. Am-
brosio.

Dei. Quid autem tam stolidum, quam putare quod Deum quidquam prætereat; cum sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret, et in fundamenta domus, vel secreta conclavia vis caloribus ejus irrumpat? » Et paulo post: « Si igitur radius solis fundit lumen suum super omnem terram, et in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis, aut gravium valvarum obicibus, quominus penetret, impeditur; quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitatione hominum et corda, quæ ipse creavit, semet inserere; sed ea quæ ipse fecit, non videt, et fecit ut meliora sint quæ facta sunt, et potentiora, quam ipse est qui ea fecit, ut possint, quando volunt, cognitionem sui operatoris latere? Tantam ergo virtutem et potestatem inseruit mentibus nostris, ut eam comprehendere cum velit, ipse non possit. »

Vide hic et admirare, quanta sit hominum, Dei oculos velare conantium, stupiditas, vel rusticitas, vel cæcitas, vel ignorantia, vel oblivio, quam sæpe miraculis coarguit Deus. Ut alia taceam, mirabile et memorabile est, quod scribit B. Petrus Damianus S. R. E. cardinalis et Episcopus Ostiensis, suoque ævo sapientiæ sol. Sic enim ait lib. V, epist. 16 ad Landulphum: « Quidam alienam suam furtive surripuit, et caveæ clandestinus inclusit; vir tamen ille pietatis operibus intentus esse consueverat. Interea adest dives Jesus in effigie pauperis, et tanquam prolixo jam crine deformis egebat arte tonsoris. Ille protinus reverenter assurgens, inter cætera officiosæ humanitatis impendia, cœpit illum forcipibus attondere; sed dum tornat ac satagit, ecce reperit duos in occipio sub erinibus oculos latitantes. Expavit homo, stupensque contremuit, et quid vellet esse quod cerneret, pavidus inquisivit. Cui mox ille: Ego, inquit, Jesus vocor, qui undique cuncta contemplos, et isti sunt oculi quibus etiam suam vidi, quam nuper in cavea conclusisti. Moxque disparuit. Ille protinus ad cor rediens, et divinam circa se clementiam recognovit, et quod inique præsumperat, satisfactione purgavit. »

Huc pertinet Apophthegma prisce Rabbini in *Pirke Aroth*, id est, in *Apophth. Patrum Hebr.* « Tria tibi servanda sunt, ut nunquam in peccatum labaris: *primum*, ut attendas oculum omnia videntem; *secundum*, ut aurem, cui nec ipsum tacet silentium, in omni loco reverearis; *tertium*, ut cogites omnia et singula opera tua in libro scientiæ illius esse exarata. »

28. ET NON COGNOVIT, QUONIAM OCULI DOMINI MULTO PLUS LUCIDIORES SUNT SUPER SOLEM, CIRCUMSPICIENTES OMNES VIAS HOMINUM, ET PROFUNDUM ABYSSEI, ET HOMINUM CORDA INTUENTES IN ABSCONDITAS PARTES. — Græca, nec intelligit oculos Domini millies sole splendidiore esse, qui intuentur omnes vias hominum, et contemplantur in partes abstrusas; Syrus vero, et nescit quia oculi Dei magni, majores sunt decies millies sole, et videt vias omnium hominum, et intelligit in tenebris faciem operum eorum. Sol centies et sexa-

gies major est globo terræ, ideoque in se contineret centum et sexaginta terræ globos, si existerent: cogita ergo quam magnus sit Dei oculus, ac quoties major sit tota terra? Quid ergo eum latere queat, quod non videat? Unde Tigurina, nec intelligit oculos Domini sole infinitis partibus perspicaciores, vias hominum omnes ac profundum mari: inspicere, atque abstrusissima quæque perlustrare.

Apposite oculum, id est, aciem mentis qua omnia inspicit Deus, comparat soli; Deus enim, ut ait Poeta, est *ἕλιος ὁ; πάντα ἑρπάζει, καὶ ἐπικρατεῖ*, id est, sol qui omnia videt, et omnia audit. Vide dicta *Isaiæ XLV*, vers. 1, ubi octodecim analogias inter regem et solem recensuit: Deus enim est Rex regum. Igitur sicut sol ex alto cælorum vertice, luce sua quasi oculo terram inspicit, imo illustrat, ut omnia faciat visibilia cuivis homini et animali: ita Deus acie perspicacissima et immensa mentis suæ totum mundum inspicit, circumspicit introspicit, et ad fundum quaquaversum perspicit et comprehendit, imo omnia in lucem profert in die iudicii. Unde eleganter Philo, lib. *De Victimis offerentibus*: « Deus, inquit, est ipsius solis, illustrans sensibilem intelligibilis. » Sicut enim sol res sublunares conspiciat, et conspicuas facit: ita Deus res omnes creatas, et inter illas ipsum solem, clarissime videt, et visibilem efficit.

Verum Dei oculus in multis superat solem. Sol enim non circumspicit omnes vias, id est, mores, et actus etiam internos hominum: hos tamen circumspicit Deus.

Secundo, sol non penetrat profundum abyssi, id est, maris; mare enim multis in locis ad duo vel tria milliaria profundum est, quo non pertingunt solis radii: ut plurimum tamen maris profunditas non excedit dimidium milliarii, uti testantur nautæ qui maris altitudinem demissa hodie explorarunt. Adde nonnulla maria ita profunda esse, ut eorum profunditas necdum reperta sit, qualia sunt Suecica littora, ubi non anchoris, sed ferreis annulis naves cohibentur, et in Ponto, de quibus Plinius, lib. II, cap. cii: « In Ponto, inquit, ex adverso Coraxorum (vocat Bathæa, id est profunda, Ponti) trecentis fere a continenti stadiis immensam altitudinem maris tradunt, vadis nunquam repertis. » Vide Picolomineum, lib. *De Quantit. terræ et aquæ*, et Conimbricenses, lib. III *De Cælo*, cap. v, Quæst. III, art. 2.

Tertio, Deus est cardiognostes, et hominum corda introspicit. Id facere nequit sol. Quocirca a Sophocle in *Œdipo Colon.* epithetum Deo proprium datur *καρτογνῶστης*, id est, omnia intuens; quod nihil eum lateat, nullum cordis arcanum ejus aspectum fugiat.

Quarto, absconditas mundi partes, puta terræ viscera et centrum, locaque inferni, ac tot miliones dæmonum et hominum damnatorum ibi degentium clare intuetur Deus; rursus omnes mundi angulos, cubicula, lectos, stragula, antra,

Mirum
enim-
plum ex
Damia-
no.

Dei oculus
latet
di. sole.
Prius.

Secunda

Tertia

Quarta

cavernas, latibula, fossas, hiatus pervidet. Id non facit sol. Oculi ergo Dei multo lucidiores sunt sole, præsertim circa actus hominum bonos vel malos: hos enim acerrima acie intuetur Deus, ut suo tempore æternis pœnis vel præmiis eos puniat aut remuneret. Quocirca S. Joannes Apoc. I, 14, Christi gloriam describens: « Oculi ejus tanquam flamma ignis. » Et l'anielis cap. x, 6. Angelum Dei, et in eo Deum pingens: « Facies ejus, inquit, velut species fulguris, et oculi ejus in lampas ardens. » Et Ezechiel Cherubinos stemmata Dei gerentes describens cap. I, 18: « Totum corpus, inquit, oculis plenum in circuitu; » quomodo Poetæ finxerunt Argum pastorem Ionis circumcirca esse centum oculis oculatum. Quin et Plinius, lib. II, cap. VII: « Deus, inquit, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui. »

Præclare S. Augustinus in *Speculo*, cap. IV, ita Deum definit, aut potius periphrastice describit: « Immutabilis mutans omnia, invisibilis videns omnia, immortalis, illocalis, interminatus, incircumscrip-tus, nusquam finitus, ineffabilis, inæstimabilis, indicibilis, inscrutabilis, immotus, tangens omnia, investigabilis, metuendus atque terribilis, venerandus atque verendus, honorandus atque horrendus, nunquam novus, nunquam vetus, omnia innovans; in vetustatem perducens superbos, et nesciunt; semper agens, semper quietus; colligens, et non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans et protegens, nutriens et perficiens. Quærens, cum nihil desit tibi; amans, nec æstuas; zelans, et securus es; pœnitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, sed consilium nunquam recipis. » Et paulo inferius: « Qui es ubique totus, qui sentiri potes, et videri non potes; qui nusquam dees, et ab iniquorum cogitationibus longe es. Qui nec ibi dees ubi longe es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen æqualiter omnia tangis. Quædam enim tangis ut sint, nec tamen ut vivant et sentiant: quædam tangis ut sint, vivat et sentiant, nec tamen ut discernant; quædam tangis ut sint, vivat, sentiant atque discernant. Et cum tibi metipsi nunquam dissimilis sis, dissimiliter tangis dissimilia. Qui ubique præsens es, et inviniri vix potes: quem stantem sequimur, et apprehendere non vale-mus. Qui tenes omnia, imple omnia, circumplec-teris omnia, superexcellis omnia, sustines omnia. »

Idem in *Soliloq.* cap. XIV: « Gressus meos semitasque consideras, et die noctaque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans: speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ cœli et terræ oblitus, tantum me solum consideres, et nihil sit tibi curæ de aliis. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantum unum aspicias; neque minuitur, si innumera videas et diversa. Quia sicut uno

totum simul perfecte consideras, sic singula quælibet, licet diversa, perfecte simul, totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic unum; et sicut unum, sic singula, totus simul, sine divisione, vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore, totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et mihi soli intendere velis. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum invenis. Quocumque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. Ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubique es, ut quocumque iero, inveniam te, per quem possim esse, ne peream sine te, cum sine te esse non possim. Fateor quidem, quia quidquid facio, et quæcumque facio, ante te facio: et illud quidquid est quod facio, melius tu vides quam ego qui facio. Quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum et operationum mearum. » Et mox: « Cumque hæc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis et fortis, timore pariter et ingenti rubore confundor: quoniam nobis magna indita est necessitas juste recteque vivendi, quia cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis. » Quocirca Psaltes *Psalm. cxxii*, 1: « Sicut oculi servorum, inquit, in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. » Et *Psalm. xv*, 8: « Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear. » Et sponsus sponsæ *Cantic. viii*, 6: « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Hinc S. Basilius ad filium spiritualem, hoc inter alia ei præscribit: « Memento te sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit, et abdita mentium novit. In omni opere quod cogitas facere, prius examina si secundum Dominum est quod cogitas: et si rectum est coram Domino, perfice; si vero adversum fuerit reperi-tum, amputa illud ab anima tua. » Hæc S. Basilius, quem S. Gregorius Nazianzenus, *epist.* 26 ad eundem S. Basilium non adulatorie, sed jure et merito vocat oculum orbis, magnificam vocem ac tubam, regiumque dicendi splendorem. S. Bernardus in *Formula honestæ vitæ*, ad eam duo requirit. « Primum est, inquit, ut subtrahas te ab omnibus transitoriis rebus, ut nihil de eis cures ac si non essent; secundum, ut ita te des Deo, ut nihil dicas et agas, nisi quod credideris firmiter placere Deo. » Idem in *Meditat.* cap. VI, ex S. Augustino: « Sicut, inquit, nullum est momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate et misericordia: sic nullum debet esse momentum quo eum præsentem non habeat in memoria. Quocumque loco consistis, cogitationes tuas jacta in Deum,

Moral.
de Dei
præsen-
tia.

aut aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditando congruus est. »

Denique sicut sol Zodiacum duodecim signis distinctum assidue perambulat, imo percurrit : sic Deus mentem fidelem duodecim primariis virtutibus ornata perambulat, ut eam in illis illuminet, inflammet, roboret, perficiat. Unde Isaias cap. LX, 19, Deum vocat Ecclesiae et fidelium lucem et solem; et Malachias cap. IV, 2, Christum vocat solem justitiae; et illud *Cantic.* V, 14 : « Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris; » alii vertunt : *Sicut circulus medius, in quo sunt similitudines siderum.* Christus ergo Zodiacum siderum, id est virtutum, pingit in mente fideli et sancta.

Vers. 29. 29. DOMINO ENIM DEO, ANTEQUAM CREARENTUR, OMNIA SUNT AGNITA : SIC ET POST PERFECTUM RESPICIT OMNIA. — Probat oculos Dei sole lucidiores omnia intueri, ex eo quod ipse omnium sit creator, conservator et gubernator : sicut ergo antequam crearet ea cognovit per ideam, quam in mente habuit : juxta eam enim ea creavit; sic quoque postquam ea creavit et perfecit, respicit et intuetur omnia, ut creata a se conservet et gubernet. Unde Graeca clare habent, *antequam crearentur, omnia sunt ei agnita, sic et postquam consummata sunt*; Syrus vero, *quia antequam fiat quidquam, manifestum est coram eo, et etiam post consummationem mundi ipse judicat illum, q. d.* Deus facta hominum praenovit et praevidit, antequam ea faceret homo, imo antequam mundus existeret : unde idem postquam facta sunt, postquam scilicet ea fecit homo, in consummatione, id est, in fine mundi, judicabit illum, qui ea fecit et patavit.

Deus ergo actiones omnium, tam bonas quam malas, praevidit ante mundum, videt in mundo, judicabit post mundum. Audi Rabanum : « Notum est Deo ab initio opus ejus, nec aliquid novum ei accidere potest; quia ante omnia praesciebat tempora, quae in tempore voluit facere opera, et post perfectum opus nihil illi defuit aut praeteriit, quia neque praeteritum, neque futurum aliquid illi est, sed omnia praesentialiter coram eo sunt. In omnipotente enim Deo ea quae secutura sunt tempora, praesentia semper consistunt : cui nec futura veniunt, nec praeterita discedunt, sed cuncta simul ante ejus oculos adsistunt : fuisse, vel futurum esse aeternitas non habet; cui nimirum nec praeterita transeunt, neque futura superveniunt, quae cuncta praesens videt. »

Vers. 30. 30. HIC IN PLATEIS CIVITATIS VINDICABITUR, ET QUASI PULLUS EQUINUS FUGABITUR : ET UBI NON SPERAVIT (id est, non timuit, non putavit; graece enim est οὐκ ἐπιτρέσκει, id est non suspicatus est; sic Poeta ait : « At sperate, id est *timete*, deos memores fandi atque nefandi ») APPREHENDETUR. — « Hic, » scilicet adulter, « qui transgreditur lectum suum, » de quo egit vers. 21; ibi enim sententia inchoata, et per plures versus suspensa, hic demum explentur. Unde Tigurina vertit, *quamobrem ille in plu-*

teis urbis condemnabitur; Vatablus, penas dabit; utrumque enim significat Graecum ἐκδιδόναι; Syrus, et id in quo non putat homo, qui apprehenditur in plateis civitatis, detegetur. Caetera enim de pullo equino desunt in Graeco et Syro. Sensus est, *q. d.* Adulter peccavit in secreto et tenebris; at Deus publice eum puniet, tum alias, tum cum juxta legem veterem eum in foro et platea per judicem morte puniet. Quare ubi ipse de judicis adventu et inquisitione audierit, fugiet ut « pullus equinus; » sed Deo vindice, « ubi non » putat, « apprehendetur. »

Hic est timor et pavor qui persequitur adulteros, quem ipsi quasi umbram mortis exhorrent, ut ait Job cap. XXIV, 17. Est enim mirabilis pulli equini, ait ibidem noster Pineda, metus appropinquante homine : fugit enim quaquaversus, nullo recto cursu aut itinere, atque semper ad conspectum viatorum commovetur, metuit, difugit, multoque velocius atque perturbatius, cum capere illum conantur. Denique vel repentino laquei injectu, aut alia ratione a tergo improvise capitur. Sic sane adulter imitatus equum petulantissimum hinnientem ad uxorem proximi sui; at in timore et perturbatione animi, in fugiendo, et timendo lucem, pullum equinum imitatur. Ita Deus vindicavit adulterium Davidis, cum eum trepidum cogeret fugere a facie Absalom filii sui. Audi sententiam Dei in Davidem II Reg. XII, 11 : « Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti abscondite : ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. » Sic quoque Deus punivit adulterium non perpetratum, sed destinatum Abimelech cum Sara uxore Abrahæ, etsi materiale duntaxat et inculpabile, eo quod Sara dixisset se sororem Abrahæ, non uxorem. Unde ex eo graviter S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II, conjuges fidei conjugalis admonens : « Adest, inquit, praesul conjugii Deus, quem nihil lateat, nullus evadat, nemo irrideat; vicem absentis mariti tuetur, servat excubias, imo sine excubiis deprehendit reum, antequam faciat quod paraverit : in animis singulorum, in mentibus universorum crimen agnoscit. Et si maritum adulter fefelleris, non falles Deum : et si maritum evaseris, et si judicem fori luseris, non evades judicem totius mundi. Ille gravius ulciscitur injuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti. Major enim injuria auctorem quam custodem thalami spretum esse, nec consideratum. »

Hujus fidei idem Ambrosius lib. V *Hexamer.* cap. III, exemplum dat pisces : « Nullus, inquit, alteri, sed generi suo miscetur; thymallus thymallo, lupus lupo. Scorpæna quoque castitatem immaculati connubii generi suo servat. Itaque habet pudicitiam generis sui, sed venenum ge-

Πισκῶν
οὐκ ἕλθουσι
ἀλλ' ἕλθουσι
πῖσκι.

neris sui non habet; non enim percutit scorpæna sed reficit. Nesciunt igitur alienigena pisces aut adulterina contagia, sicut sunt ea quæ coeunte asinorum equarumque inter se genere magna cura hominum perpetrantur, vel rursus cum equis asinæ miscetur; quæ sunt vera adulteria naturæ. Nam utique majus est, quod in naturæ collusionem committitur, quam quod in personæ injuriam. » Idem, cap. vii, adulteros comparat viperæ, quæ cum muræna copulatur: « Grave, inquit, est adulterium, et naturæ injuria. Duos primum Deus fecit, Adam et Evam, hoc est virum et uxorem; et uxorem de viro, hoc est, de costa Adam; et jussit ambos esse in uno corpore, et in uno spiritu. Quod unum separas corpus, unum dividis spiritum; natura adulterium est; sed hoc docet muræna et viperæ, non jure generis, sed ardore libidinis expetitus amplexus. »

palumbes, Porro Ælianus exemplum fidei conjugalitatis dat palumbes, lib. III *De Animal.* cap. XLIV: « Ex avibus, ait, castissimi ab omni stupro palumbes; ut enim mas et femina tanquam nuptiis alligati sunt, adeo ad stabile et certum connubium adhærescunt per summam castimoniam, ut neuter alienum cubile attingat. Si qui ad alienam oculos adjecerint, eos reliqui circumsedentes marem quidem mares discerpunt, feminas vero feminæ. » et turturca. Idem ait de mari turturum et columbarum albarum, sed feminæ ignosci. Idem rem miram refert lib. VII, cap. xxv, de canicula Sicula, quæ adulterum in domo absconditum prodidit. Idem lib. VIII, cap. xx, narrat eiconiam heram adulterantem excæcasse. Adulteros etiam legitur occidisse elephas. Sed omnia superat avis dicta porphyrio, de qua ita scribit Ælianus, lib. III, cap. XLII: « Acerrima rivalitate ardet, et mulieres quæ sunt sine viro, observat; quod si cum matrefamilias stuprum fieri cognoverit, se strangulat, » tum ex dolore, tum ut crimen prodatur.

Apologus nocturne et lucis. Hoc festivo noctuæ et lucis apologo repræsentat Cyrillus, lib. III *Apolog. moral.* cap. xvii, cui titulus: *Contra fures, qui tibi sæpius deprehenduntur, ubi latere crediderunt*: « Cum multum, inquit, de nocte noctua in furti facinore desudasset, radio diei præventa, minus intuens, sed plus timens, cæpit de luce conqueri, et maledicere diei, dicens: O caliginosam lucem! o obscuram diem acceleratione apertam, dubitatione lethiferam! utquid prævenisti me? cur tam cito venisti? ecce jam non video ubi condar. Siquidem visa ab inimicantibus avibus confundar. Cui mox adversatrix lux ita respondit: Certe quod tibi nequam odiosa sim gaudeo, sed magis quod caliginosa sim júbilo; sed maxime quod tibi damnosa sim exulto. In nocte enim vides, ut noceas, cæteris quiescentibus, inquietaris ut rapias; universis dormientibus, vigilas ut occidas. Inquietasti noctem, sprevisisti diem, odisti lucem, pervertisti ordinem naturalem. » Deinde exemplo reliquarum avium eandem confutat: « Revera cæteræ aves,

cum surgo, surgunt; cum advenio, jucundantur; cum appareo, ad invenienda pascua pacificæ ventilantur. Tu vero, surgente die, quiescis ut lateas; apparente die, dispares ne pereas; ac quando alii vigilant, tu dormis, ut per noctem malefaciendo discurras. Quare cum illuminatrix sim cunctorum, cunctis gratissima tibi sum tenebra odiosa, et cum omnibus sim secunda, tibi soli timorifera. Cum oculus tuus nequam sit, cor malevolum, conscientia scelerosa, non miror si contuitus tuus frangat saphirum, qui attactus fugat venenum; quoniam in æternum habes spiritum venenosum, qui impugnat virtutem, fugit lucem, et odit splendorem. Quod autem mansuetæ aves tibi adversentur, evidens argumentum est tuæ malitiæ, contra quam non omnis duntaxat lex armatur, sed tota etiam natura æquitatis amica insurgit. Quibus dictis, adversus eam statim insurgentibus avibus, mox dilaniata est mansuetudinis inimica. »

31. ET ERIT DEDECUS OMNIBUS, EO QUOD NON INTELLERIT TIMOREM DOMINI, — *q. d.* Adulter suum adulterium voluit celare tenebris noctis, et secreto conclavis; at Deus ejus scelus et dedecus toti orbi detegit, cum illud morte per judicem, vel alia publica poena et clade puniet, idque condigne et merito, eo quod adulter practice « non intellexerit, » id est, non cogitarit, « timorem Domini, » ut ejus timore ab adulterio se cohiberet, *q. d.* Eo quod non timuerit Dominum, sed suas libidines Deo Deique amori prætulerit. Unde Tigurina, puta Vatablus: *Erit, inquit, omnibus dedecori, eo quod animo religionem Domini non coluerit.* Græca Complutensium Romana, cæteraque, ac Syrus hunc versum non habent.

Nota: *Intelligere* hic et in Proverbiiis cæterisque libris ethicis, idem est quod sapere et prudenter agere; atque *intellectus* vocatur ipsa sapientia, prudentia et virtus. Sic *Psal.* xl, 2, dicitur: « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, » qui scilicet practice intelligit quantæ virtutis et meriti sit misereri pauperis; ideoque ei miseretur et succurrit. Unde Chaldaeus, *beatus qui cogitat, ut ægro et pauperi prospiciat*; intelligens, scilicet, Dei consilio id fieri, tum ut pauperem per paupertatem probet et exerceat; tum ut divitum misericordiam exploret et exstimulet, ait ibidem Eusebius; tum ut cogitet dives sibi idem accidere posse. Sic et *Psal.* cxviii, vers. 93: « Testimonia tua intellexi, » id est, cognovi et practicavi. Et vers. 100: « Super senes intellexi. » Et vers. 104: « A mandatis tuis intellexi. »

32. SIC ET MULIER OMNIS RELINQUENS VIRUM SUUM, ET STATUENS HEREDITATEM EX ALIENO MATRIMONIO. — Hæc sententia suspensa expletur vers. 34: « Hæc in Ecclesiam adducetur. » Quod enim dixit de adultero, ejus occultum facinus fore publicandum, publicaque ignominia et supplicio castigandum idem nunc dicit de adultera, *q. d.* Adultero similis et in scelere par est adultera, ideo-

que simili infamia et morte, puta lapidatione juxta legem Mosis, punietur. Porro adultera « statuit hæreditatem ex alieno matrimonio, » id est, hæreditatem statuit et consignat spurio, quem concipit ex marito alterius matrimonii, puta ex adultero, q. d. Adultera hæredem mariti sui efficit spurium filium adulteri, quæ ingens est fraus et injustitia. Unde Tigurina vertit, *idem accidet mulieri virum suum deserenti, et hæredem paranti ex alieno*; Syrus, *et etiam mulier quæ offendit maritum suum, et supponit hæredem ex alio*. Porro antequam sententiam absolvat et penam exprimat, quanta sit hujus sceleris gravitas et injuria ex triplici capite demonstrat, dum subdit :

Vers. 33.

33. PRIMO ENIM, IN LEGE ALTISSIMI INCREDIBILIS FUIT; SECUNDO, IN VIRUM SUUM DELIQUIT; TERTIO, IN ADULTERIO FORNICATA EST (Græce, in fornicatione *mischata* est), ET EX ALIO VIRO FILIOS STATUIT SIBI. — « Incredibilis, » id est incredula, id est infida fuit, fidem Deo datam non servavit; hoc enim significat græcum *ἠπίσθησα*. Triplicem enim adulteræ injuriam recenset: *prima* est in Deum, cujus auctoritatem violavit, dum ejus legi fidem et obedientiam, quam in circumcisione vel baptismo promisit, non præstitit; *secunda* in maritum, cui fidelitatem in contractu matrimonii stipulatam violavit; *tertia* in matrimonium, cujus jura et sanctitatem per adulterium fornicando læsit. Accedit *quarta* injuria in filios legitimos, quorum hæreditas ad nothos et adulterinos vel in totum, vel ex parte transfertur. Et *quinta*, quod corpus suum (æque ac animam) quod erat, vel esse debebat, templum Spiritus Sancti, adulterio profanavit et polluit, juxta illud Apostoli: « Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi, » II Cor. VI, 15. Et vers. 19: « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? » Unde Tigurina vertit, *primum enim legi non obtemperavit* (alii, *in Dei legem contumax fuit*), *deinde peccavit in virum suum*; *tertio autem adulterio constuprata est, et liberos ex alieno viro peperit*; Syrus, *primo, quia ementita est legem Dei*; *et secundo, maritum adolescentiæ suæ*; *et tertio, fornicationem adulterii, quia ex extraneo supposuit filium*. Ementita est, id est, mendaciter fraudavit, infideliter fefellit, fidem datam violavit. Porro adultera peccat in Deum, maritum, filios, et seipsam; esto maritus vel filii dent ei facultatem adulterandi; nam eam dare nequeunt, nec jure suo cedere possunt. Quare semper adulterium est eis injurium; quia crimen violati tori essentialiter in se continet injuriam Dei, viri, uxoris et filiorum. Ita Palacius.

Vers. 34, 35 et 36

34, 35 et 36. HEC IN ECCLESIAM ADDUCETUR, ET IN FILIOS EJUS RESPICIETUR. NON TRADENT FILII EJUS RADICES, ET RAMI EJUS NON DABUNT FRUCTUM. DERELINQUET IN MALEDICTUM MEMORIAM EJUS, ET DEDECUS EJUS NON DELEBITUR. — Quintuplici injuriæ ab adultera commissæ, quintuplicem pariter ejus penam as-

Quintuplex injuria: adulteræ.

signat. *Prima* est, quod « in Ecclesiam, » id est, in cœtum populi, publice « adducetur, » quasi infamis et rea, ut de adulterio convicta damnetur et lapidetur, uti adducta a Phariseis fuit adultera coram Christo, Joan. VIII.

ejusdem pena.

Secunda, quod non tantum in se, sed et in filiis suis punietur. Nam « in filios ejus respicietur, » id est, inquiretur, ut spurii a legitimis verisque hæredibus secernantur, infamia notentur, et hæreditate excludantur; hoc enim significat Græcum *ἐπιμαρτυρεῖται*, id est, inspectio et visitatio erit. Unde Tigurina vertit, *ipsa producetur in concionem, et in liberos ejus inquiretur*; alii, *animadvertetur*; Syrus, *ipsa quoque de Ecclesia egredietur* (q. d. Ejicietur ex Ecclesia et cœtu fidelium, imo viventium omnium per lapidationem et mortem), *et super filios ejus* (alia lectio habet, *super pectus ejus*, juxta ritum in exploratione adulterii a Deo præscriptum Numer. V, vers. 18 et 22) *peccata ejus in memoriam revocabuntur*.

Tertia, quod « non tradent (Syrus, *non jacent*; Tigurina, *non agent*) filii ejus radices, » q. d. Filii ejus non erunt longævi, nec radicabitur eorum familia et prosapia; sed cito eradicabitur et exterminabitur progenies adulterina, juxta illud Sapient. IV, vers. 3: « Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. » Unde Græca Romana sic legunt, *non diffundentur filii ejus in radicem*, id est, non diffundent radices.

Quarta: « Rami ejus non dabunt (Syrus, *non facient*; Tigurina, *non offerent*; alii, *non edent*) fructum, » q. d. Filii ejus non progignent liberos, sed erunt steriles vel illiberales, ut infame adulterii semen et propago extirpetur. Hac pena sæpe, licet non semper, adulteros et adulteras punit Deus. Rursum spurii in vita non edent fructus illustrium operum, ait Palacius; ac sæpe matribus sunt similes, quia earum levitatem et petulantiam ex ipsis in conceptu, lactatione et educatione hauriunt et induunt.

Quinta: « Derelinquet (adultera) in maledictum memoriam ejus, » id est suam: ita Romana, hoc est, ut alii legunt, *relinquetur in maledictum memoria ejus, et dedecus ejus non delebitur*, q. d. Memoria ejus non erit in benedictione, sed in maledictione; omnes qui eam nominari audient, illi maledicent. Erit ipsa ergo maledictum et probrum omnium, non tantum hominum, sed et sæculorum. Unde Tigurina, *memoriam sui relinquet in execratione, nec probrum ejus abolebitur*; alii, *relinquet execrabilem sui memoriam, et dedecus ejus non emaculabitur*; Syrus, *relinquetur in maledictionem memoria ejus, et delicta ejus non delebuntur*.

Tropologicæ, adultera est anima hæretici et cuiusvis peccatoris, ait Rabanus: « Unde dicit *primo*, inquit, illam deliquisse, eo quod legi Altissimi incredibilis fuit, quando sanctorum Patrum fidem et traditionem in sacris Scripturis sequi noluit. *Secundo*, virum suum dereliquit, quia charitatem

Tropologicæ: adulterum est quodvis peccatum.

Dei et proximi habere despexit. *Tertio*, in adulterio fornicata est, quando fœdere turpissimo per errorem associata est diabolo, a quo filios ignobiles accepit, quando prava dogmata et perversa opera ejus maligno instinctu generavit; hæc in Ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur, cum ejus perversitas ubique in conventu fidelium per sanctorum Doctorum solertiam declaratur, et doctrina ejus ubique damnatur; nec secta illius, quæ fundamentum veritatis non habet, perseverantem honorum operum fructum gignere prævalet; sed ignominiosam memoriam post se relinquens confusione perpetua confundetur. Unde et fideles quique ejus damnationem futuram agnoscentes, spernunt ejus societatem, et eligunt Catholicæ fidei tenere in omnibus firmitatem. »

Vers. 37. 37. ET AGNOSCENT QUI DERELICTI SUNT, QUONIAM NIHIL MELIUS EST QUAM TIMOR DEI; ET NIHIL DULCIUS QUAM RESPICERE IN MANDATIS DOMINI.—« In mandatis, » id est, in mandata: Hebræi enim verba contactus, sive corporalis, sive mentalis, quale est respicere, videre, etc., construunt cum \beth *beth*, id est *in*. Sensus est, *q. d.* Ex probro et pœna adulterorum et impiorum, qui Deum non timuerunt, per antithesin contrarii colligent mortales « nihil » esse « melius, » id est, honestius et utilius, « timore Dei, et nihil dulcius quam » attendere, obedire et obsequi « mandatis Domini. » Timor enim Dei est observatio et obedientia mandatorum ejus. In hoc ergo omne hominis bonum consistit, puta omnis honestas, omnis utilitas, omnis suavitas et voluptas humana. Hæc enim sunt tres boni species; omne enim bonum vel honestum est, vel utile, vel suave et delectabile; perfectum autem est quod hæc tria in se continet et comprehendit. Unde Tigurina vertit, *ut superstites cognoscant nihil esse religionem Domini potius, nec quidquam suavis quam mandatis ipsius attendere; Syrus, et cognoscent omnes habitatores terræ, et omnes qui supersunt in orbe, quia non est quidquam melius timore Dei, et non est quidquam jucundius quam custodire præcepta ejus.* Licet enim lex et virtus peccatori initio conversionis sit dura et aspera; tamen sensim per gratiam Dei dulcescit, eoque magis quo magis ei assuescit, præsertim, dum per eam credit et sperat se assecuturum vitam et gloriam æternam. Hoc est quod ait Sapiens *Eccles. xii, 13*: « Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo, » *q. d.* Hoc est omne bonum, omnis perfectio, omnis felicitas hominis. Et *Psalm. xxxiii*: « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. » Et *Psa'm. xviii*: « Judicia Domini dulciora super mel et favum. » Habet plane mel, et delicie humanæ suum saporum; sed quantum vincunt divina res temporales, tantum sapor divinorum transcendit saporum terrenos, ait Palacius. Idipsum fuse et operose toto cap. seq. Siracides ostendit.

Vers. 38. 38. GLORIA MAGNA EST SEQUI DOMINUM: LONGITUDO

ENIM DIERUM ASSUMETUR AB EO. — Dedecori, quod adulterum et adulteram sibi suisque prolibus consciscere dixit vers. 31, opponit decus et gloriam timentis Deum, *q. d.* Adulter sequitur suas amasias, concupiscentias et libidines; ideoque sibi suisque parit æternum dedecus et indelebile probum; at vero timens Deum, adeoque Dei legem et timorem, sequitur paritque sibi suisque æternum decus et gloriam. Quia « gloria magna est sequi Dominum; » nam servire Deo regnare est: *primo*, quia nobile est servire Deo nobilissimo, qui est summa et divina majestas; *secundo*, quia hæc servitus facit nos similes Deo. Ita Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromat.*, versus finem docet quod, sicut illi qui studendo sequuntur Ciceronem, Platonem, Aristotelem, fiunt Ciceroniani, Platoniani, Aristotelici, imo novi quasi Cicerones, Platones et Aristoteles; sic et illi qui Deum sequuntur, voluntati legique ejus obediendo, fiunt divini et quasi dii quidam terrestres. Sic enim ait: « Quemadmodum si quis in Ischomacho studium posuerit, eum faciet agricolam; et si Lampidi, nautam; et Charidemo, Imperatorem; et Simoni, equitandi gnarum; et Perdici, cauponem; et Crobylo, obsoniorum conditorem; et Archelao, saltatorem; et Homero, poetam; et Pyrrhoni, contentiosum; et Demostheni, oratorem; et Chrysippo, dialecticum; et Aristoteli, physicum; et Platoni, philosophum: ita qui parat Domino, et per eum datam sequitur prophetiam, efficitur ad magistrum imaginem, Deus qui in carne versatur. » Subdit deinde: « Hanc ergo altitudinem minime assequuntur, qui non sequuntur Deum eos ducentem; ducit autem per Scripturas divinitus inspiratas. » *Tertio*, quia Deus sibi servientes remunerat gloria regni coelestis, eosque facit reges universi, juxta illud *Apocal. v, 10*: « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Unde causam subdens, ait: « Longitudo enim dierum assumetur ab eo. » Ubi $\tau\theta$ *eo* tam referre potest Dominum, quam sequentem Dominum, *q. d.* Sequens Dominum assumet et accipiet longævitatē, tum hujus vitæ (hanc enim Deus promisit et præstitit piis in veteri Testamento, ut Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Mosi, Tobia); tum future, puta beatam æternitatem assumet a Domino, qui sui sequelam amplissimo hoc præmio remunerabitur. Græca habent, *longitudo dierum suscipi te ab eo*; Tigurina, *gloria ingens est sequi Dominum, et ab eodem recipi, vitæ longinquitas.* Unde Jansenius suspicatur Nostrum primitus vertisse, *longitudo enim dierum assumi te ab eo*; ut sit sensus: « Longitudo dierum, » id est vita æterna, obtinetur per hoc, quod Dominus assumit te ad se.

Nota: Licet omnes timentes Deum, puta omnes humiles, omnes obediētes, omnes patientes, omnes religiosi (et cæteri) sequantur Deum; tamen id proprie hic tribuitur castis et virginibus: hos enim opponit adulteris. Ratio est, quod Deo

Deum sequentes fiunt divini.

Casti præ aliis sequuntur Deum, cur?

mirifice placeat castitas, eo quod ipse sit purissimus spiritus, adeoque sit ipsa increata puritas et castitas, atque in hac puritate ejus sanctitas consistit, ut docet S. Dionysius *De Divinis Nomin.* Hinc S. Joannes, *Apocal.* cap. XIV, 4, vidit virgines sequi agnum quocumque ierit. Nam, ut ait Paulus, *I Corinth.* VI, 16: « Sicut qui adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur; » sic qui adhæret Domino per mentis corporisque castitatem, « unus spiritus est cum eo. »

Moral. de
sequela
Dei.

Præclare hanc sententiam pertractat S. Cyprianus, tract. *De Habitu Virg.*: « Qui, inquit, fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo et Deus manet in æternum. Æterna igitur et divina sectanda sunt, et omnia Dei voluntate facienda sunt, ut Domini nostri vestigia et magisteria sectemur, qui monuit et dixit: Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, *Joan.* VI. Quod si non est major domino suo servus, et liberatori debet obsequium liberatus; qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus fecit, imitari. Scriptum est, et legitur, et auditur, et in exemplum nostri Ecclesiæ ore celebratur: Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare, *I Joan.* II, 6. Ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est. Tunc respondet ad fidem nominis sectatio veritatis, et credenti præmium datur, si quod creditur et geratur. » Idem, tract. *De Zeio et livore*: « Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est. Imaginem autem cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus, Christi similitudinem præbeamus: hoc est enim mutasse quod fueras, et cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat, ipso exhortante et monente, et eis qui se clarificant, vicem mutuam pollicente: Eos, inquit, qui clarificant me, clarificabo, et qui spernit me spernetur, » *Joan.* XII. Subjicit deinde exemplum, nimirum nos debere imitari Deum in dilectione inimicorum: Deus enim peccatores hostes suos diligit, donisque et gratia sua prævenit. Ac subdit: « Si hominibus lætum est et gloriosum, filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subsiciva respondeat; quanto major in Deo patre lætitia est, cum sic spiritaliter nascitur, ut in actibus ejus et laudibus divina generositas prædicetur! Quæ justitiæ palma est, quæ corona, esse te talem de quo Deus non dicat: Filios generavi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me! *Isaiæ* I. Collaudet te potius Christus, et invitet ad præmium, dicens: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, » *Matth.* XXV. Idem *De Oratione Dominica*: « Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dig-

nationis ejus et bonitatis ubertas, qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, et, ut est Christus Dei Filius, sic et nos Dei filios nuncupemus! Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, et scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut, quo modo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster a spiritu, ut qui cœlestes et spirituales esse cœpimus, non nisi spiritalia et cœlestia cogitemus et agamus; quia et ipse Dominus Deus dixit: Eos qui clarificant me, clarificabo; qui me spernit, spernetur. Beatus quoque Apostolus in epistola sua posuit: Non estis vestri; empti enim estis pretio magno: clarificate et portate Deum in corpore vestro, » *I Corinth.* VI.

Sic Abraham secutus est Deum, *Genes.* cap. XII, 4, ubi S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II: « Sapiens (Biantis), inquit, vox fuit: Sequere Deum. Prævenit Abraham dicta factaque sapientum, et secutus Deum, exivit de terra sua. » *Quin* et Cicero, lib. III *De Finib.*, memorat inter alia sapientum præcepta: « Qui jubeat, inquit, sequi Deum, et se noscere. » Ejusdem meminit Plutarchus, lib. *De Audiendo*. Celebre est illud Homeri, *xai τὸς θεὸς ἡγεμόνων*, id est, « et Deus aliquis ductor fuit. » Et illud Platonis in *Critone*: « Sine, ait, o Crito, ut hoc pacto agamus, quandoquidem hæc nos ducit Deus. »

Vide hic quanta sit militiæ nostræ præstantia et gloria, quod Deum habeamus ducem: quanta item securitas; tanto enim duce quis timeat? « Nolite recedere, ait Samuel *I Reg.* XII, 20, a tergo Domini, et nolite timere. » Quare ex adverso magnum probrum, magna inertia, magna pusillanimitas nolle sequi quo Deus dux noster præcedit, nosque ducit. Herodotus, lib. IV, narrat Darium regem Persarum, proficiscentem contra Scythas, cum Ocobazus Persa nobilis ex tribus quos habebat filii, duos tantum qui eum in bellum sequerentur obtulisset, sibi que tertium reservaret, valde indignatum jussisse omnes tres occidi, patrique relinqui, ut ostenderet quam indignum esset, quantumque nefas nolle quempiam regem in aciem euntem sequi. Simile narrat de Xerxe Darii filio: cui in Græcos castra moventi, cum Pythius Lydiæ rex comites daret et assecclas quatuor filios, quintum vero utpote primogenitum apud se detineret; illico Xerxes eum per medium securi jussit, perque media illius membra exercitum ire. Si id fecere Darius et Xerxes reges terreni, et homines ut cæteri, quid faciet Deus Rex regum et Dominus dominantium?

Porro, ne quis se excuset, dicatque difficile, imo impossibile esse, ut homo debilis Deum ^{facile} sequatur.

omnipotentem quaquaversum sequatur; hac de causa Deus humanitatem induit, Christusque factus est homo, ut homo hominibus agendo et patiendo viam præiret per labores, dolores et opera quæcumque in cælum. Audi S. Ambrosium in *Psalm. cxviii*, octonario 5, explicantem illud: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* « Quis, inquit, hoc dicit, nisi qui sequitur Christum? Non potest alius hoc dicere, nisi qui illud exsequitur quod scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis, et ipsi adhærebis, quia ipse te deducit, *Deuter. x.* Quomodo deducat, audi: Nisi quis tulerit crucem suam, et post me secutus fuerit, non est me dignus, *Matth. x.* Præcedit ergo Christus ut nos sequamur, præcedit Verbum. Principium Christus est, ideo Sapientia dicit: Dominus creavit me principium

viarum suarum, *Proverb. viii.* Advertimus quod et principium Christus, et finis viarum sit. » Et paulo post: « Est natus ex virgine; creatus est, ut redimeret creaturas; homo factus est, ut homines a morte perpetua liberaret. Creatus est, ut vias mihi demonstraret æternas, quibus homo redire possit ad Dei regnum. Ergo quia principium est viarum Dei, hoc principium sequamur. Primus viam novi ingressus est Testamenti, ut viam devotionis sterneret nobis. Si jejunamus, ante nos ille jejunavit: si pro nomine ejus sustinemus injurias, prius ille sustinuit pro nostra redemptione: cervices suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas; ascendit crucem, ut doceret mortem non esse metuendam. Denique quasi præcedens ait Petro: Tu me sequere. Et ideo Petrus cursum consummavit, quia secutus est Christum, » *Joan. xxi.*

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ENCOMIUM SAPIENTIÆ.

HUNC ENIM TITULUM HABENT BIBLIA GRÆCA ROMÆ EMENDATA.

Quod in fine capitis præcedentis dixit: Quoniam nihil melius est quam timor Dei, et nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei. Gloria magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo, id ipsum toto hoc capite prosequitur. Igitur sapientia hic loquitur, seque dilaudat et commendat hominibus, ab origine, officiis, domo, pulchritudine et fructibus. Primo, itaque ostendit originem et genus se ducere a Deo; secundo, vers. 6, docet se cælos, mare, terram omniaque quæ iis continentur, creasse, dirigere et gubernare sapientissime; tertio, vers. 12, asserit se domum et sedem fixisse in Sion, et populo Israel; quarto, vers. 17, sui pulchritudinem demonstrat, comparans se arboribus pulcherrimis, puta, cedro, palmæ, olivæ, cinnamomo, balsamo, myrrhæ, terebintho, viti; quinto, vers. 24, suos fructus enarrat: nimirum, dilectionem, timorem, agnitionem, sanctam spem, omnemque veritatem, vitam et virtutem; sexto, vers. 32, docet se contineri in Lege, Moysei et Prophetis, ab eisque requirendam; sed maxime a Christo, cujus plenam sapientiam ac doctrinæ abundantiam et fecunditatem comparat fluviis Phison, Tigri, Euphrati, Jordani, imo mari. Porro, Siracides de more imitatur Salomonem, qui, Proverb. viii, pari modo sapientiam se laudantem omnibusque commendantem inducit.

1. Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, 2. et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur, 3. et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur, 4. et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens: 5. Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. 6. Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: 7. ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. 8. Gyrum cæli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, 9. et in omni terra steti: et in omni populo, 10. et in omni gente primatum habui: 11. et omnium excellentium et

humilium corda virtute calcavi : et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. 12. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. 13. Et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. 14. Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. 15. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. 16. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. 17. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion : 18. quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho : 19. quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. 20. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris : 21. et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. 22. Ego quasi terebinthus, extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. 23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. 25. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. 26. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini : 27. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. 28. Memoria mea in generationes sæculorum. 29. Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitient. 30. Qui audit me, non confundetur : et qui operantur in me, non peccabunt. 31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. 32. Hæc omnia liber vitæ, et testamentum Altissimi, et agnitio veritatis. 33. Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel promissiones. 34. Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, et in throno honoris sedentem in sempiternum. 35. Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus novorum. 36. Qui adimplet quasi Euphrates sensum : qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis. 37. Qui mittit disciplinam sicut lucem, et assistens quasi Gehon in die vindemiæ. 38. Qui perficit primus scire ipsam, et infirmior non investigabit eam. 39. A mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium illius ab abyssu magna. 40. Ego sapientia effudi flumina. 41. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. 42. Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. 43. Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare : 44. quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum. 45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. 46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam, et non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum. 47. Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1 et 2. SAPIENTIA LAUDABIT ANIMAM SUAM, ET IN DEO HONORABITUR, ET IN MEDIO POPULI SUI GLORIABITUR : ET IN ECCLESIS ALTISSIMI APERIUNT OS SUUM, ET IN CONSPECTU VIRTUTIS ILLIUS GLORIABITUR. — Est prosopopœia; inducitur enim hic sapientia quasi persona et regina sapientissima, sanctissima, pul-

cherrima, ditissima, gloriosissima, quæ quasi magistra omnes erudit, omnesque ad sui disciplinam, studium, imitationem, obsequium et cultum invitat. Porro « sapientia » hic generaliter ampleque accipitur, ut tam physicam, qua Deus omnia creat et gubernat, quam moralem, qua omnia juste sancteque efficit; tam creatam, quam increatam, sive essentialem, quæ communis est toti Sanctissimæ Trinitati; sive personalem, quæ propria est Filio, complectatur. Unde nonnulla quæ hic dicuntur de sapientia, magis conveniunt essentiali, alia magis personali, alia magis creatæ. Filius enim, puta Christus, qua Verbum æternum Dei Patris est Sapientia increata et hypostatica, sive personalis a Deo Patre genita; idem, qua homo, est Sapientia in utero B. Virginis incarnata, uti fusiis dixi cap. 1, 4. Unde Rabanus, Lyranus et Palacius totam hanc sapientiæ panegyrim, ad litteram soli Christo incarnato assignant. Ecclesiasticus, inquit Palacius, accepit per revelationem, futurum ut sapientia genita, seu Filius Dei, coram Deo, coram omnibus hierarchiis Angelorum (omnibus Angelis advocatis e mundo in cælum) hanc luculentissimam orationem in sui laudem habitura esset. Et ego probabilissime opinor eam orationem habuisse, quo die incarnari voluit. Quo die coram Deo, et tota curia cælesti eam habuit; et postquam habuit, magnum audientium applausum sibi conciliavit. Ita ipse recte, sed nimis arcte. Favet, quod dicit versus 2: « Et in conspectu virtutis illius, » id est coram militia cælesti, « gloriabitur; » quodque ait Paulus *Hebr.* 1, 6: « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. »

Sensus ergo est, q. d. Hucusque ego Siracides, quasi encomiastes sapientiæ, multa sparsim dixi de ejus laudibus; nunc illam ipsam loquentem introducam, ut ex ore ejus hæc et plura melius, clarius, efficacius intelligatis, itaque ejus amore exardescatis, et in ejus admirationem studiumque rapamiini. « Et in Deo honorabitur, » id est, sapientia honorabit et laudabit seipsam; sed « in Deo, » id est, ad Domini Dei auctoris sui honorem et laudem, non ad vanam sui gloriam. Porro id faciet « in ecclesiis Altissimi, » id est, in cælibus fidelium: hi enim soli capaces sunt sapientiæ veræ et practicæ, puta, prudentiæ, virtutis et sanctitatis. Unde hos solos sibi erudiendos sumit sapientia, in iisque gloriosa sua Dei que opera et virtutes celebrat et deprædicat. Quocirca subdit: « Et in conspectu virtutis illius » (Græce, *ἐν ἀρετῆς αὐτοῦ*, id est, exercitus, vel exercituum Dei; puta, in conspectu omnium Angelorum et hominum fidelium); gloriabitur, id est, gloriosas suas Dei que virtutes et facinora commemorabit et celebrabit. Hinc enim dicitur *Deus sabaoth*, id est exercituum; quia angelos omnes hominesque ad manum habet quasi legiones validissimas, quibus hostes suos debellat. Ubi nota: Populum Dei fidelem no-

minat primo, *Ecclesiam*, ob conventus ad sacra peragenda, quæ pacis sunt; exercitum vero ad bella, Deo duce, contra vitia et vitiosos peragenda. Unde Syrus vertit, *sapientia laudabit animam suam*, id est, seipsam et in medio populi Dei honorabitur. In *Ecclesia Dei aperiet os suum, et in medio exercituum ejus gloriabitur*; Tigurina vero, *sapientia commendat seipsam, et in medio populo suo gloriatur. Os suum aperit in consilio Altissimi, et eorum potentia ejus se prædicat, q. d.* Sapientia coram Deo potentissimo, Deique summa potestate et majestate laudabit seipsam, ut ostendat hasce laudes audiri debere magna cum humilitate, reverentia, attentione, desiderio, studio et obedientia; utpote quæ coram Deo iudice et vindice id faciat, qui hæc sapientiæ elogia aspernentes potentissime, severissime et acerrime puniet.

Mystice, apte Ecclesia in Officiis divinis B. Virginis hæc omnia (quidquid frustra obstrepit Lutherus, et oclament hæretici) accipit de B. Virgine, idque justissimis et gravissimis de causis: Prima est, quia B. Virgo inter puras creaturas (Christus enim matrem superans non est pura creatura, sed mixtum quid ex Creatore et creatura: qua Deus enim, est Creator; qua homo, creatura) est opus Dei sapientissimum, in cuius, scilicet, conceptione, nativitate, generatione, æque ac sanctificatione et glorificatione Deus summam ostendit sapientiam; nimirum, longe majorem quam ostenderit in creatione cæli et terræ, ac totius universi, imo omnium Angelorum et hominum. Hæc enim omnia sua dignitate, puta, maternitate, gratia et gloria longe superat B. Virgo; Deus enim in ea, velut prima et nobilissima creatura, se suaque omnia quasi in speculo perfecto expressit, ut in ea ab omnibus semper laudetur et glorificetur.

Secunda, quia Deus B. Virgini in ejus conceptione, majorem quam ulli Angelo vel homini indidit sapientiam, virtutem et sanctitatem, quam deinde ipsa singulis momentis augendo et duplicando continue, per annos 72, quibus vixit, mire auxit, adeo ut ipsa sit idea omnis sapientiæ et sanctitatis hominum et Angelorum. Tota enim hæc panegyris potest accipi de sapientia creata: hæc autem in B. Virgine fuit perfectissima, quia ipsa perfectissime post Christum participavit sapientiam Dei, ejusque quasi exemplar nobis a Deo est proposita.

Tertia, quia ipsa est mater æternæ Sapientiæ in se incarnatæ. Sicut ergo filius ejus est Sapientia genita et incarnata: sic ipsa est sapientia illum gignens et incarnans. Adde: ipsa Christi, qui est æterna Sapientia, illustrissimum est membrum. Quare, cum hic laudatur Sapientia Dei, puta, Christus, utique laudatur et B. Virgo ejus mater; laus enim filii est laus matris. Quare, sicut Christus dicitur « primogenitus omnis creaturæ; » sic et B. Virgo dicitur primogenita omnis creaturæ, quia prædestinata fuit a Deo, ante cæ-

Mystice, hæc omnia tribuas B. Virgini, cur? Causa prima.

Secunda.

Tertia.

teras omnes creaturas; sicut enim Christus prædestinatorum est primus, uti docet Scriptura et Theologi: sic et B. Virgo. Cum enim prædestinatus est Christus, Christique incarnatio, simul prædestinata est ejus conceptio et nativitas ex B. Virgine: non enim decebat, nisi ex illa, ipsum carnem assumere.

Quarta.

Quarta, quia ipsa nobis est mater et causa omnis sapientiæ, id est, prudentiæ et sanctitatis; hanc enim per ipsam nos accipere vult Christus, qui non per aliam quam ipsam, naturam nostram induere elegit. Quare, sicut de Christo incarnato ait S. Paulus I *Corinth.* cap. 1, 30, quod factus sit nobis sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio: sic Christus idem analogice concessit suæ matri, ut causaliter fieret nobis sapientia, justitia et sanctificatio; quia per illam nos suæ gratiæ, sapientiæ, justitiæ et redemptionis voluit fieri participes et compotes. Deus ergo illam nobis æque ac sibi statuit matrem, ac ad eam, quasi matrem in omni tentatione, difficultate, defectu virium et gratiæ nos voluit recurrere, ac per eam omne bonum omnemque gratiam impetrare, itaque in ea jugiter laudare Deum.

Dices: Quomodo cum veritate aptari possunt B. Virgini illa, quæ Sapientia dicit de se, vers. 6: «Ego feci ut in cælo oriretur lumen indeficiens;» vers. 40: «Ego effudi flumina?» Respondeo, primo, mystice, *q. d.* Ego feci ut in cælis, id est Ecclesiis, oriretur Christus qui est sol justitiæ, feci ut in iis oriretur lux fidei. Rursum, ipsa, quasi mare gratiarum, earum flumina in Ecclesiam et fideles effundit. Secundo, ad litteram hoc sensu, *q. d.* Ego fui causa, cur Deus crearet lucem, cælos, mare, flumina totumque universum. Hujus enim creatio ordinata fuit ad justificationem et glorificationem Sanctorum, factam a Christo per B. Virginem, tanquam ad suum finem; ordo enim naturæ creatus et institutus est propter ordinem gratiæ. Quia ergo B. Virgo fuit mater Christi, ac consequenter fuit medium nostræ redemptionis, ac totius ordinis gratiarum a Christo instituti; hinc pariter fuit causa finalis creationis universi; universi enim finis est Christus, ejusque mater et Sancti; ut scilicet, Sancti in universo hoc per Christum et B. Virginem, gratia et gloria donentur. Quare creationis universi causa finalis fuit prædestinatio Christi, B. Virginis et Sanctorum. Licet enim universi partes quædam sint Christus et B. Virgo, ideoque eo posteriores in genere causæ materialis; tamen in genere causæ finalis sunt priores. Quare inter creationem universi et nativitatem Christi ac B. Virginis, est mutua quædam contradependentia; nec enim Deus nasci voluit Christum et B. Virginem, nisi in universo hoc; nec vicissim voluit universum hoc existere sine Christo et Beata Virgine, imo propter illos illud creavit. Totum enim universum ad Christum et Beatam Virginem, ordinemque gratiarum, velut ad sui complementum et finem referri et

Finis
mundi
est
Christus

ordinari voluit. Vide nostrum Suarez, Vasquez, Valentiam, III p., *Quæst.* I, ac P. Canisium, lib. V *Marial.* cap. VI, et lib. I, cap. XII. Christus ergo et B. Virgo sunt causa finalis, ob quam creatum est universum, ac proinde ejusdem sunt causa formalis, puta exemplaris, scilicet, idea. Ordo enim gratiarum, in quo primus est Christus et B. Virgo, est idea et exemplar, juxta quod Deus creavit et disposuit ordinem naturæ totiusque universi. Vide Dionysium Carthusianum, qui omnia quæ hoc capite dicuntur, sigillatim B. Virgini accomodat.

3 et 4. ET IN MEDIO POPULI SUI EXALTABITUR, ET IN PLENITUDINE SANCTA ADMIRABITUR (id est, admirationi erit): ET IN MULTITUDINE ELECTORUM HABERIT LAUDEM, ET INTER BENEDICTOS BENEDICETUR, DICENS,— *q. d.* Populus fidelis audiens hæc præconia sapientiæ, eandem exaltabit: et plenitudo, id est, multitudo, amplius plenusque cætus Sanctorum, eam admirabitur (sic sumitur *plenitudo* pro multitudo, vers. 16, et alibi); et multitudo electorum, ac qui a Deo sunt benedicti, eam laudabunt et benedicent. Hic versus jam deest in Græco et Syro, eumque omittit S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. IV; olim fuisse in Græco liquet ex nostro Interprete, et ex S. Cypriano, lib. II *Testimon.* Tigurina vertit, *in medio populi sui se geret magnifice, et in sancta multitudo miraculo est. In cætu electorum laudem habet, et se beatam inter beatos prædicat, et ait:*

5. EGO EX ORE ALTISSIMI PRODIVI, PRIHOGENITA ANTE OMNEM CREATURAM. — Hæc verba proprie competunt Sapientiæ increatæ, tum essentiali, tum personali, puta, Verbo æterno, et Filio Dei: suo tamen modo competunt quoque sapientiæ creatæ, uti ostendi cap. I, vers. 1.

Quæres, quodnam os Dei, ex quo prodiit sapientia? Respondeo, anthropopathos, id est, humano more, tribuitur Deo os, cum ipse sit purissimus spiritus, carens ore et corpore. Primo ergo S. Ambrosius, lib. *De Fide contra Arianos*, cap. II, per os accipit jussionem Dei, qua initio *Genesis* dixit: «Fiat lux, fiant luminaria, fiat firmamentum,» etc., illicoque omnia facta sunt. Tunc ergo ex ore Dei prodiit sapientia, cum ex sapientia sapientissime dixit: «Fiat cælum et terra;» itaque sapientiam ipsam opere quasi enixus est, et in lucem edidit. Sic et Jansenius: Significat, inquit, juxta litteralem sensum, sapientiam Dei verbo editam esse in mundo, cum Dei verbo omnia creata sunt, in quibus Dei sapientia (quæ ante mundi creationem velut latebat in corde Dei) mire declarata est, et hominibus exhibitæ.

Secundo, simplicius, generalius et germanius, os hic metaphorice significat mentem et intellectum Dei: sicut enim ex ore formatur et prodit verbum oris vocale, sic ex mente formatur et prodit verbum mentis, sive mentale. Quod enim est os capiti, hoc est mens animæ. Unde Lyranus: «Os Altissimi, inquit, dicitur potentia gene-

tus, et
Marial.

VERB. 3
et 4.

VERS. 5.

Os Dei
est
mens.

rativa Patris, qua producitur verbum spiritale, sicut ore producitur verbum sensibile.» Quare sicut verbum oris nostri exprimit totum conceptum mentis nostræ; sic Pater æternus uno hoc Verbo mentis dicit et exprimit omne quod sapit, omne quod comprehendit, imo omne quod est, omne quod habet, omne quod potest, ac consequenter omnes creaturas possibles. Unde in hoc Verbo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ divinæ absconditi.

Dicit ergo : « Ego ex ore Altissimi prodivi; » id est, ego ex mente Dei, velut verbum mentis prodivi, aut, mente Dei concepta sum, mentis Dei partus sum et proles. Est catachresis. Sicut enim ore dicimus verbum sensibile, ita Deus mente dicit et concipit Verbum divinum intelligibile; tum essentialia, quod commune est toti SS. Trinitati; tum notionale et personale, quod proprium est Filio, cui proprie hæc competunt, teste S. Ambrosio, lib. I *De Fide*, cap. VII, et lib. *De Filii divinitate*, cap. XII. Unde aliqui pro ore legunt corde. Ita Agnellus Episcopus Ravennæ, epist. ad Arminium, quæ exstat tom. IV *Biblioth. SS. Patrum*, Arianis quærentibus an Filius, cum venit in mundum, formam servi accipiens, deseruerit Patrem, respondit : « Sit verbum, quod exierit de ore meo, et introierit in aurem tuam, et per aurem tuam in corde tuo ceperit manere, dic mihi : Numquid, quia in pectore tuo manet, jam in meo pectore non est ? Si ergo sensus per os meum egressus, in tuam mentem ingressus, meam non deserit animam; quanto magis ex Deo Patre egressus sermo, pectus Patris deserere non potuit ? Nam ipse Filius dicit : Ego ex corde Patris prodivi, *Eccle. XXIV*; et Pater dicit : Eructavit cor meum Verbum bonum, » *Psal. XLIV*. Porro S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. IV : « Dicimus, inquit, potestatis esse, quod nos filios Dei fecit; proprietatis autem generationem esse oracula divina declarant. Dicit enim Sapientia Dei : Ego ex ore Altissimi prodivi; hoc est, non coacta, sed libera; non potestati obnoxia, sed nata, generationis arcana, privilegio dominationis, et jure potestatis. » Unde sequitur, « primogenita, » id est, primo elicitæ et concepta, « ante omnem creaturam. » Licet enim sapientia hic generatim capiatur, ut communis est creatæ et increatæ, non quomodolibet; sed quatenus ipsa est idea et causa creaturarum, ut sequitur; tamen proprie hæc verba competunt Filio, qui a Patre procedit ut Verbum et idea Patris, juxta quam omnia dixit et creavit. Unde Syrus verit, *ego ex ore Altissimi processi*; Tigrina, *ego prodivi ex ore Altissimi; ante omnem rerum naturam primogenita*; alii, *ego ex ore Altissimi exivi*; hoc enim significat Græcum $\epsilon\upsilon\lambda\omicron\upsilon\sigma\omicron$. Quocirca solus Filius proprie est primogenitus Patris, idque ab æterno ante omnem creationem et creaturam : quare a S. Paulo vocatur « primogenitus omnis creaturæ, » *Coloss. I, 15*. Hinc patet pluralitas personarum in SS. Trinitate : genitus enim

a gignente sive genitore distinguitur; nemo enim potest gignere seipsum. Judæi id pertinaciter negant, dicuntque in Deo unam esse personam, sicut est una essentia. Quare hunc locum accipiunt de lege data Mosi, quam ipsi fingunt creatam fuisse a Deo ante mundum, per duo millia annorum, quæ sane insulsa est fabula. Ita Lyranus.

Ex hoc loco Theologi docent Filium procedere et gigni immediate, non a natura divina, sed ab ore, id est, ab intellectu divino Patris : ipse enim est Verbum mentis paternæ; ac refutant Durandum in I, dist. 6, *Quæst. II*, qui opinatus est processiones Filii et Spiritus Sancti in divinis esse immediate per naturam, et non per intellectum, vel voluntatem. Vide Suarez lib. I *De Trinit.*, cap. V, num. 5.

Porro Jansenius, qui hæc omnia accipit de Sapientia Dei essentiali, censet eam primogenitam dici ante omnem creaturam, quod ante omnia in Deo substitit, nunquam quidem in eo incipiens; sed cum eo semper permanens. Verum hoc proprie non est esse primogenitum, sed esse ingenitum et permanens. Quare hoc epithetum proprie competit soli Sapientiæ notionali, puta, Filio; sapientiæ vero essentiali et increatæ, abusive duntaxat per catachresin, qua *primogenita* idem est quod primo mente concepta. Unde Sixtus Papa, epist. I, hæc verba Ecclesiastici producit ad probandum Filium esse Patri coæternum et consubstantialem.

Prima est hæc laus sapientiæ, qua ipsa se laudat ab origine nobilissima : originem enim et genus ducit à Deo, idque ab æterno. Unde in sequentibus docet eam a Deo prodeuntem existisse ideam, et causam cœli et terræ, omniumque rerum creaturarum; sed tandem proprie se ostendisse, et fixisse sedem in populo fideli, puta, in Israeliis, posteris Abrahæ et Jacob.

Perperam Ariani ex $\tau\omicron$ *primogenita* inferebant Christum esse creaturam, sed primam. $\tau\omicron$ enim *primo*, inquebant, dicit respectum ad secundum, *q. d.* Christus est primogenitus Dei; quia secundo geniti sunt Angeli, cæteræque creaturæ. Perperam, inquam : nam Filius est genitus, non creatus; creaturæ vero sunt creatæ, non genitæ a Deo. Igitur $\tau\omicron$ *primo* respicit quidem creaturas, sed in alio ordine productionis, *q. d.* Filius est prius genitus, quam creaturæ sint creatæ : nam Filius ita est primogenitus, ut idem sit pariter unigenitus, ut ait S. Joannes cap. I, 18.

Moraliter, hæc verba Siracidis legens et ruminans B. Henricus Suso, in sapientiæ amorem totus exarsit, uti refert auctor Vitæ ejus, cap. IV; unde ipsemet Suso in *Dialog.* cap. VII, ita sapientiam loquentem, et homines ad se invitantem, introducit : « Ego præcelso edita sum genere, et clarissimis orta natalibus. Ego amantissimum sum paterni cordis Verbum, et secundum suavissimum abyssum naturalis generationis meæ ex purissima ac nuda Patris substantia mirificè placeo

Visio sapientia.

blandissimis oculis ejus, in miltissima ac flagrantissima Sancti Spiritus charitate. Ego thronus felicitatis, ego animarum corona sum: oculi mei lucidissimi, os delicatissimum, genæ rubicundæ et candidæ, totaque habitudo et species mea tanti decoris et gratiæ, tamque absolutæ elegantia, ut etiamsi quis eo nomine ad extremum usque judicii diem, in fornace ardenti jacere deberet, quo vel unico mei posset conspectu perfrui; nec sic adhuc pro dignitate meritis id esset. Ego lana candidissima tam præclare ornata sum vestibus picturatis, variis intextis floribus (puta, rubentibus rosis, albicantibus liliis, purpureis violis aliisque quibuslibet) tam delicate circumdata sum, ut quantumvis amœni ac vernantis maji flores omnes, pratorum omnium, quamvis aprorum, virentes frutices et virgulta, denique camporum quorumlibet pulcherrimi flosculi, si cum mea venustate conferantur, non aliud sint quam horridi tribuli. » Unde concludens subdit: « Ego in divinitate ludum ludo jucundissimum; unde in beatos angelicos spiritus tanta redundat copia gaudiorum, ut mille anni vix brevissima eis hora videantur. Totus cœli exercitus, præ insolita admiratione, in me suos intendunt obtutus, meque observant. O terque quaterque beatum illum, cui hunc amoris ludum, isthæc jucunda tripudia in cœlestibus gaudiis ad latus meum, delicatas tenenti manus meas, felicissima securitate in omnem æternitatem celebrare dabitur. Non nisi unicum ex ore meo blanditer proficiscens verbum, omnem instrumentorum musicorum harmoniam, omnes Angelorum omnium melodias superat. Tam sum amabilis et suavis animæ puræ et amanti, ut præ mei desiderio merito rumpi deberent corda omnium. » Hæc Suso.

Mystico
de B.
Virgine.

Mystice, hæc verba Siracidis adaptes B. Virgini: ipsa enim non solum excelluit sapientia et gratia omnes Angelos et omnes homines; sed et velut caput eandem in omnes Adæ posteros se invocantes transfundit. Audi S. Hieronymum vel potius Sophronium *serm. De Assumpt.*: « Deigenitrix, ait, electa et præelecta, vere ab Angelo salutatur et prædicatur gratia plena, per quam largo Spiritus Sancti imbre superfusa est omnis creatura. » Et B. Petrus Chrysologus, *serm.* 142: « Beata, inquit, quæ sola inter homines audire meruit præ omnibus: Invenisti gratiam apud Dominum.

Quantam? quantam superius dixerat, plenam? et vere plenam, quæ largo imbre totam funderet et infunderet creaturam. Invenisti enim gratiam apud Deum. Hæc cum dicit, et ipse Angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam. » Rursum Sophronius: « Talibus, inquit, decebat Virginem oppignerari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiiis, ordinem vitæ, ac moribus disciplinam. » Et rursus: « Quid mirum, si lætitiâ et gloriam plenam et superplenam habet in regno, quæ gratiam plenam et superplenam habet in exilio? Quid certe mirum, si tam in cœlo, quam in terra ejus plenitudo super omnem creaturam sit, de cujus plenitudine omnis natura virescit? » Utrumque locum citat S. Bonaventura in *Speculo*, cap. VII, quibus attestat hæc S. Anselmi verba: « O femina plena et superplena gratia; de cujus plenitudinis abundantia respersa reviviscit omnis creatura! »

Ad id spectant etiam illa S. Bernardi, *sermone De Aquæductu*: « Petit, inquit, supereffluentiam ad salutem universitatis: Spiritus Sanctus, ait, superveniet in te; et copiosum illud balsamum tanta plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. » Et alibi: « Plena, inquit, sibi, superflua nobis. » Concludit S. Bernardus, *serm. citato De Aquæductu*: « Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens Auster ille divinus, ut undique fluant et diffluant aromata ejus, charismata, scilicet, gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, et densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam. » Accedit Richardus Victorinus in *Cant.* cap. XXVIII: « Omnium, inquit, salutem desideravit, quæsivit, obtinuit; imo salus omnium per ipsam effecta est. »

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE POTENTIA, CREATIONE ET GUBERNATIONE SAPIENTIE.

VERB. 6.

6. EGO FECI IN CŒLIS, UT ORIBETUR LUMEN INDEFICIENTS. — Tigurina, *indefessum*. Lux enim, initio mundi, per sapientiam Dei in cœlis creata, semper in iis mansit, et luxit, imo aucta est quarta die mundi, cum ex ea factus est sol, luna et stellæ,

uti declaravi *Genes* 1, 14. Hæc est secunda laus sapientiæ ab effectu, quod, scilicet, ipsa sit causa rerum, ac præsertim lucis, quæ est quasi oculus, anima et vita mundi: cum enim ipsa sit lux, hinc præ aliis creatis meminit lucis a se factæ; cumque

eam vocat indeficientem, significat etiam post diem iudicii lucem non defuturam. Hæc verba jam desunt in Græco et Syro; sed legit ea S. Maximus homil. 2 *De Festo Paschæ*: « Ipse est Dei Filius, inquit, cui Pater dies divinitatis suæ eructat arcantum (juxta illud *Psal. XVIII, 3*: « Dies diei eructat verbum. ») Ipse, inquam, est dies, qui ait per Salomonem: « Ego feci, ut oriretur in cælo lumen indeficiens. »

Quocirca D. Ludovicus Blosius in *Aspirat.* apte et pie ad Sapientiam anhelus ita suspirat: « O Sapientia æterna, lumen tuum mihi præbe. Illucesce mihi, o lux fulgida et gratiosa, ut in meridiem clarissimam vertantur tenebræ cæcitatibus meæ. Exorna, o bone Jesu, animam meam illo charitatis decore, quem diligis; impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris; aufer ab ea quidquid oculis tuis minus placet, et eam redde tibi per omnia placentem. O ardor suavissime, vora et feliciter consume pulvisculum substantiæ meæ. Transfer me in te, ut ego indissolubili amoris glutino tibi adherens vivam ex te, et tanquam lilium effloream coram te. O venustissime atque vernantissime flos, Jesu; o vita perennis; vita, per quam vivo, sine qua morior; vita, per quam gaudeo, sine qua mereo; vita dulcis et amabilis, concede, ut tibi jungar, te amplectar, et suavi charitate soporatus in te, qui es pax gratissima, sancte obdormiam! »

Notat Lyranus: Describitur hic, inquit, generatio sapientiæ genite, puta Christi, primo æterna, vers. 1; deinde temporalis ex Virgine descendente ex David, vers. 34; mox, post generationem Verbi, describitur hoc vers. 6, creatio mundi. Similem ordinem servat S. Joannes Evangelista cap. 1, ubi vers. 4, assignat emanationem Verbi divini a Patre, dicens: « In principio erat verbum; » *secundo*, mundi creationem, dicens: « Omnia per ipsum facta sunt; » *tertio*, Verbi incarnationem, cum subdit: « Et verbum caro factum est. »

Mystice hæc verba: « Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens, » adaptes B. Virgini. Unde B. Petrus Damianus, serm. *De Assumpt.*: « Electa ut sol. » « Electa, inquit, sed præelecta, ut sol; quia sicut sol solus orbem illuminat; sic hæc sola solidiori lumine et Angelos et homines illustrat. » Et post nonnulla: « Nihil habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet; multo enim altius aliquid habuit claritas solis, quam lunæ: quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat; hic vero lucidius incandescens, ita sibi siderum et lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, et videri non possint. Similiter et virga Jesse veri prævia luminis, in illa inaccessibili luce præluens, sic utrorumque spirituum habebat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere. » Et inferius: « Considera, inquit, quam stellaris et serena obumbratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris

superfundat, et aliorum luminum claritatem non medioeriter offuscet; sic et Virgo inter animas Sanctorum, et inter Angelos evecta, merita singulorum et omnium titulos antecedit. Quamlibet stellæ reluceant, luna tamen et magnitudine præeminet, et splendore; sic utramque naturam Virgo singularis superat, et immensitate gratiæ, et fulgore virtutum. » Et Richardus Victorinus, ad illa *Cant. IV*: « Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli, etc. His hinnulis, inquit, dicta B. Mariæ ubera comparantur; quia, cum tam Angeli quam Sancti pro peccatoribus solliciti sint, et eis tam meritis quam intercessione subveniunt; credendum est B. Virginem tantum in hoc posse, quantum utraque simul creatura; imo utraque potentior judicatur, quia utraque per hanc reparatur, et Angelorum ruina per hanc restaurata est, et humana natura reconciliata. » Rursum S. Anselmus apud S. Bonaventuram, in *Speculo*, cap. VII: « Tibi solum, inquit, loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum: inferna penetravit, cælos superavit; per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, se lætantur liberata; et quæ supra mundum sunt, se lætantur restaurata. » Ipse etiam S. Bonaventura, cap. V, sic ait: « O quam late, et quam longe arbor illa magna beata virgo Maria ramos suos extendit; quam late ad homines, quam longe ad Angelos, quam alte ad Deum! »

ET SICUT NEBULA TEXIT OMNEM TERRAM. — Syrus, *sicut nebula cooperui terram*; Tigrina, *in modum nebulae terram omnem obtexi*. Significat tenebras primigenias, de quibus dicitur *Genes. I, 2*: « Tenebræ erant super faciem abyssi, » *q. d.* Ego sapientia tenebris, quasi nebula primitus texti terram, utpote rudem et deformem, ne ejus deformitas appareret, sicut homo nudus tegit suam nuditatem tenebris et latebris; ut *nebula* sit ablativi casus. Sensus ergo est: Sicut nebula solet tegere terram; sic sapientia per tenebras primigenias, quasi sui nubem et nebulam, texti terram, juxta illud *Job. XXXVIII, 9*: « Cum ponerem nubem, vestimentum ejus (maris et terræ), et caligine illud quasi pannis infantia obvolverem, » *q. d.* Sicut infans nudus fasciis obvolvitur et vestitur; sic ego nuditatem primigeniam terræ tenebris, quasi pannis infantia fasciisque vestivi et obvolvi.

Addit noster Gregorius de Valentia, *De Opere sex dierum*, in opere secundæ diei: « Quasi nebula, » inquit, obtexit sapientia terram, quia aer initio mundi creatus non fuit purus, sed immixta ei fuit nebula, quæ proxime texti terram, et aspectum prohibuit (etiam orta luce) ejus spatii patentis, quod nunc ex terra cernimus usque ad ipsa corpora cælestia, quousque pertingere potest acies oculorum.

Hinc *secundo*, exponi potest, *q. d.* Ego terram texti nebula, id est, continua successione tenebrarum et noctis, post creationem lucis et solis, cujus lumen indeficiens immediate ante descripsit; illi

Mystice
de B.
Virgine.

Nebula
texti
terram,
quæ?

Resp.
primæ.

enim hanc nebulam opponit : nebula enim est symbolum tenebrarum et noctis. Unde nebulæ ænigma apud Symposium hoc exstat :

Ænig-
ma ne-
bulæ.

Nox ego sum facie ; sed non sum nigra colore,
Inque die media tenebras tamen affero mecum :
Nec mihi dant stellæ lucem, nec Cynthia lumen.

Tertio.

Tertio, nonnulli cum Lyrano apposite per nebulam metonymice accipiunt aquas nebulosas et caliginosas, quæ in genesi mundi totam terram, aerem et ætherem usque ad cælum empyreum repleverunt : ex quibus Deus deinde formavit omnes cœlos, elementum ignis et aeris ; quæque, *Genes. 1.*, vocatur *abyssus* : « Tenebræ, inquit, erant super faciem abyssi. » Sapientia ergo hic suam potentiam, providentiam et fecunditatem significat, nimirum, quod aquis nebulosis operuerit terram, ut illam irrigaret et fecundaret ad producendum ex ea herbas, arbores et plantas ; homines item et animalia, cæteraque omnia. Huc facit illud *Psalm. CXLVII, 5* : « Qui dat nivem, sicut lanam ; nebulam, sicut cinerem spargit, » *q. d.* Deus solus eloquio, id est verbo suo, dat nivem quæ candore, levitate, mollitie, ait Theodoretus, densitate et calore similis est lane : nam nix quasi lana terram tegit ad eam fovendam, calefaciendam et fecundandam, dum halitus et expirationes calidas terræ cohibet ; et intra terram repellit, ut earum calore semina jacta altiores et latiores agant radices, itaque uberem dent messem. Et « nebulam, » Hebr. *pruinam*, « sicut cinerem spargit. » Pruina enim similis est cineri colore, copia, calore et virtute ; nam instar cineris exurit et consumit nimum humorem terræ, itaque eam calefacit, temperat et fecundat. Unde Sextus Pompeius : « Pruina, inquit, dicitur quasi perurens. » Deus ergo sicut in æstate terram pluvis et ventis eventilat et refrigerat, ne æstu lædatur ; ita in hieme, ne lædatur frigore, eam nive quasi lana fovet, pruina quasi igne calefacit, crystallo vel grandine quasi pane et cibo alit ; grandines enim quasi grana sacchari terram edulcorant, humectant et nutriunt. Hoc est quod subdit Psaltes : « Mittit crystallum (id est grandinem) suam, sicut buccellas. »

Quarto.

Quarto, sic exponas : Sicut nebula tegit terram ; ita ego sapientia texti teoque terram, non nebula, sed gloria mea, et pulchritudine varia creaturarum. Unde Arabicus nude vertit, *exivi namque de ore Altissimi, et operui terram*. Porro, apte gloria comparatur nebulæ, quia olim gloriam suam et splendorem majestatis suæ, quam oculus humanus ferre non potuisset, infringere et obvelare Deus solet nebula. Unde pernebulam Dei gloria representabatur in tabernaculo Moysis, *Exodi xxxiii, 9* ; et in templo Salomonis, *III Reg. viii, 10*, ac *Isaie cap. vi, 4*. Unde Suarez, lib. II *De Opere sex dierum*, cap. v, num. 6, tertiam et quartam expositionem conjungens : Sapientia, ait, terram textit aqua, perinde ac solet terra tegi nebula : vel potius, « sicut nebula, » quia majestate sua et præ-

sentia terram implebat ad eum modum, quo de divino Spiritu dicitur : « Spiritus Domini ferebatur super aquas ; » quia, scilicet, fovebat illas presentia et virtute sua.

Mystice B. Virgo, æternæ Sapientiæ mater, tegit terram quasi nebula : *primo*, quia hominum miseriam et nuditatem tegit sua misericordia et gratia ; *secundo*, quia eorum humorem et phlegma, id est, acediam et torporem, desiccatur et calefacit, eosque efficit fervidos et fecundos honorum operum ; *tertio*, sicut nebula, flante Austro, adveniens solvit glaciem et rigorem ab Aquilone inductum, terramque humectat : ita Virginis intercessione, per Spiritus Sancti gratiam, solvitur gelu et obduratio cordis a diabolo inducta, ac vires virtutum actus producuntur. Quare S. Bernardinus, tom. III, *serm. 11, art. 11*, verba illa *Eclii. cap. xliii* : « Medicina omnium in festinatione nebulæ, » adaptat B. Virgini ; ait enim medicinam omnium hominum esse in festiva Assumptione Virginis : « Quia omnes, inquit, qui volant, participes fiunt gratiæ suæ ; » ac citat S. Bernardum dicentem Deiparam copiosissima charitate sua omnibus sapientibus et insipientibus fecisse se debitori em ; et misericordiæ sinum aperire, ac de plenitudine ejus accipere universos.

B. Vir-
go et
nebula.
Prim.

Secunda.

Tertio.

7. EGO IN ALTISSIMIS HABITAVI, — disponendo *Vers. 7.*
cælum empyreum, ait Lyranus, illudque mox ut a me creatum est, replendo innumeris Angelorum myriadibus. Licet enim Sapientia divina, puta Deus, Deique Filius, sint per essentiam, presentiam et potentiam in toto mundo, juxta illud *Jerem. xxiii* : « Cælum et terram ego impleo ; » tamen habitatio, id est, domus et templum, in quo habitare dicitur Deus, est cælum, præsertim empyreum ; quia in eo suam potentiam, magnificentiam, opes et gloriam ostendit sanctis Angelis et hominibus. Unde ait *Isaie LXVI*. « Cælum mihi sedes est ; terra autem scabellum pedum meorum. » Porro per cælum, maxime quidem empyreum, generatim tamen quodvis accipe, non tantum sidereum et æthereum, sed et aereum. Unde de eo subdit :

ET THRONUS MEUS IN COLUMNA NUBIS. — Nota : In Scriptura Deus Deique majestas dicitur habitare in nubibus, juxta illud : « Qui ponis nubem ascensum tuum ; » idque multis de causis : *prima*, quia nubes a terra sunt elevatæ et altæ, alta autem et excelsa sedes dicitur Deo altissimo ; *secunda*, quia nubibus velatur et tegitur Dei majestas et gloria ; *tertia*, quia in nubibus ostendit suam potentiam : in iis enim et ex iis mirabiliter tonitrua, ventus, imbrem, quo terram fecundat, grandinem, fulgura et fulmina vibrat ; *quarta*, quia alludit ad columnam ignis et nubis, in qua residebat, samque gloriam ostendebat Deus Hebræis, eosque, præeundo, et dando manna, pascendo per quadraginta annos, deduxit in terram promissam, *Exodi xxxi, 21*. Vide ibi dicta. Unde Syrus vertit, *ego in excelsis superiorum tabernaculum meum posui (alii, fxi), et sedes mea in columnis nubium, juxta*

Nubes
thronus
Dei qua-
tuor de
causis

illud *Psal.* xviii, 6 : « In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. » Et *Psal.* xvii, 11 : « Volavit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum; in circuitu ejus tabernaculum ejus; tenebrosa aqua in nubibus aeris. » Tigurina vertit, *ego in sublimi sedem cepi, et solium meum super columnam nubis collocavi.* Porro thronus hic sapientiæ non est aliud quam cathedra Dei docentis, simul et judicantis tribunal, juxta illud *Psal.* xcvi, 7 : « In columna nubis loquebatur ad eos, » tanquam ex tribunali regio et cathedra jus dicens, piis favens, noxios damnans, docens, instruens, dirigens, viam monstrans in terram promissam.

Anagoge Christus, qui est Sapientia Patris, thronum habebit in nube gloriosa, cum venerit judicare orbem in die judicii, *Matth.* xxiv, 30.

Allegorice Rabanus : Thronus, inquit, Filii Dei fuit in columna nubis, id est, in humanitate excelsa, omnibusque virtutibus dotata, quæ quasi nubes gloriosa velavit et decoravit ejus deitatem, juxta illud *Isaia* xix : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem. »

Mystice, Sapientia incarnata, puta Christus, Dei Filius, novem mensibus habitavit in utero B. Virginis, quasi in cælo animato, et in columna nubis. Quocirca multi Patres B. Virginem vocant nubem, eo quod ipsa Solis, id est divinæ vindictæ, ardorem temperet, animamque irroret et fecundet. Ita Chrysippus homil. 2 *De Deipara* : « Ave, inquit, nubes pluvie potum animis Sanctorum exhibentis. » Et Hesychius, homil. 2 *De Deipara*, « nubem eam dicit, pluvias incorruptas continentem. » S. Epiphanius, serm. *De Laud. Virg.* : « Ave, inquit, gratia plena, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. » Et iterum : « O B. Virgo, nubes, inquit, es lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum; nubes cælestis, quæ tonitruum Spiritus Sancti in te ipsa reconditum deduxit in mundum, et imbre Spiritus Sancti in universam terram, ad producendum fidei fructum, cum impetu demisit. » Proclus Episcopus Constantinopolitanus *De Deipara* : « Hæc, inquit, vere levis nubes, quæ super Cherubim sedentem in corpore suo gestavit. » S. Hieronymus in *Psal.* lxxvii, 14 : « Certe, inquit, nubem levem debemus sanctam Mariam accipere. Pulchre dixit : In nube diei; nubes enim illa non fuit in tenebris; sed semper in luce. » Andreas Cretensis orat. 2 *De Deipara* : « O columna, inquit, non carnalem per lucem deducens Israelæm, qui fugatur; sed spiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, divinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, et mons umbrosus, non adumbrans ingratum populum Judæorum, sed dilectum Dei populum, gentem sanctam, maternis tuis tædis illustratam. » S. Bonaventura, in *Sperul. B. Virgin.* cap. iii, ait : « Maria est nobis columna nubis, juxta illud

psalmi : Deduxit eos in nube, quia tanquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis, et ab æstu diabolicæ tentationis, sicut dicitur in psalmo : Expandit nubem, etc. Maria quoque est columna ignis in nocte sæculi hujus illuminans mundum. » Citatque illud Bernardi : « Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? » Hæc ex Bonaventura de Virgine, quæ dicitur columna nubis et ignis. Sicut enim de columna hac dicitur *Exodi* xiv : « In vigilia matutina respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. » Ita Deus per Deiparam tanquam per fenestram cæli, et per mysticam columnam ignis et nubis respiciens, dæmonis vires et potentiam penitus evertit.

Quod si denique dicas, in Dei sede plerumque Dei majestatem auctoritatemque significari, hoc quidem negari non potest; attamen in nulla pura creatura ita relucet Dei gloria atque majestas divina, item attributa, præsertim potentiæ, sapientiæ et bonitatis, sicut in Virgine Deipara. Ut propterea S. Bernardinus tom. I, *concion.* 61, art. 6, cap. iv, dicat Deiparam appellari, *Psal.* viii, Dei magnificentiam.

Symbolice, nubes, in qua quasi in throno residet Deus, est divina caligo, de qua docte disserit S. Dionysius, *epist.* 5; Deus enim « lucem inhabitat inaccessibilem, » I *Timoth.* vi, 16. In hac caligine residet SS. Trinitas, puta, tres divinæ Personæ, ac primo in ea thronum suum habet Pater, deinde Filius, mox Spiritus Sanctus.

Dices : Una est essentia, majestas, adoratio et thronus (uti ait hic Siracides, et *Isaia* cap. vi, et S. Joannes, *Apocal.* cap. iv et v) SS. Trinitatis; quomodo ergo insinuas thronum Filii esse medium inter thronum Patris et thronum Spiritus Sancti? Respondeo : Throni tribuuntur SS. Trinitati figurate et anthropopathos; constat enim illam, u'pote spiritum, proprie nec egere, nec habere thronum. Throni ergo significant ipsam trium Personarum hypostasin sive subsistentiam, ejusque dignitatem et excellentiam : in hac enim subsistunt, et quasi in throno gloriæ suæ resident. Nam, ut ait D. Thomas, I part. *Quæst.* xxix, art. 3 in corp., persona significat id, « quod perfectissimum est in tota natura, subsistens in natura rationali, atque idipsum excellentiori modo convenit Personis divinis, quam creatis. » Et ad 2 : « Quia, inquit, magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis naturæ dicitur persona; sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem, et secundum hoc maxime competit Deo nomen personæ. » Si persona, dignitas est; habet ergo suæ dignitatis statum quasi thronum. Ratio est, quia paternitas in Patre magna, imo infinita est dignitas, ex qua,

B. Virgo
est nu-
bes, cur?

Tres
quasi
throni et
adora-
tiones
SS. Tri-
nitatis.

Proba-
tur.

Primo.

ut ait Apostolus : « Omnis paternitas in cælo et in terra nominatur. » Æqualis dignitas est filiatio in Filio, et spiratio in Spiritu Sancto, quas proinde adoratione patriæ colimus et veneramur. Hoc est quod ait Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. XI, « Patrem et Filium distingui perfectionibus personalibus. » Atque tres relationes in personis esse tres eximias perfectiones, validis rationibus docet Suarez, lib. III *De Trinit.* cap. IX, ac Gregorius, *De Valentia*, in citatum S. Thomæ locum. Unus igitur est Deus, sive unum Numen, unicusque deitatis est thronus, una pariter essentialis adoratio; at Personæ sunt tres, eæque eximie et infinite, ideoque singulæ patriæ colendæ: illæ ergo triplicem habent personalem subsistentiam, et, ut ita dicam, thronum, consequenter et adorationem. Patrem enim, qua Pater est, adoramus ut generantem Filium, Filium adoramus ut a Patre genitum, Spiritum Sanctum ut procedentem ab utroque. Igitur, esto adoratio essentialis Dei, qua Deus est, sit una; tamen personalis est triplex, nam adoratione personali, quæ propria est Patri qua Pater est, non licet adorare Filium qua Filius est, nec Spiritum Sanctum qua Spiritus Sanctus est; et vice versa: hoc enim esset cum Sabellio confundere tres Personas divinas, cum illæ realiter a se invicem distinguantur, sintque tres reales hypostases et subsistentiæ. Sic Ecclesia in festo Pentecostes invocatur Spiritum Sanctum, ut personam distinctam a Patre et Filio, in festo SS. Trinitatis sigillatim tres personas, ut personæ distinctæ sunt, invocatur et adoratur. Sicut ergo deitatis unius una est essentialis et tribus personis communis adoratio; sic Sanctissimæ Trinitatis trina trium Personarum, ac cuilibet sua propria personalis est adoratio, juxta id quod canit Ecclesia in Præfatione Missæ SS. Trinitatis: « Ut et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. » Tam ergo proprietas in personis adoranda est, quam in essentia unitas. Hæc autem proprietas triplex est: ergo triplici personali adoratione adoranda. Rursum in Officio ad *Magnificat*, in secundis Vesperis: « Te Deum, inquit, Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, etc., laudamus atque benedicimus. » Pater ergo adoratur ut ingenitus, Filius non ut ingenitus, sed ut unigenitus. Hos thronos notasse videtur Daniel cap. VII, dicens: « Aspiciebam, donec throni positi sunt. » Nam hos thronos fuisse Dei et SS. Trinitatis patet ex eo quod subdit: « Et antiquus dierum sedit, » etc., cujus deinde majestatem describit, nulla facta Angelorum vel Sanctorum mentione; imo de Angelis primis et summis dicit: « Decies millies centena millia assistebant (non assidebant) ei. » Hoc enim decorum et dignitas divinæ majestatis exigit, ut Angeli illi, non sedendo assidere, sed stando assistere dicantur. Secus est de Christo iudice, cui quasi homini homines, puta, Apostoli, in iudicio assidebunt,

Matth. XIX. Igitur, ut fusius dicta in synopsi contraham, tres Personæ divinæ sunt tres reales hypostases; anthropopathos ergo eis tres tribuimus thronos, quia cuique suus debetur honor et adoratio. Unde Ecclesia in Litanis seorsim singulas personas adoratur et invocatur, dicens: « Pater de cælis, Deus, miserere nobis. Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis, » etc.

Rursum tres in tribus personis sunt relative Quinto. proprietates excellentissimæ, ideoque in suo statu, quasi throno, honorandæ et adorandæ; nam cuique personæ sua est propria, puta, paternitas, filiatio, spiratio. Pater enim per paternitatem generat Filium sibi cœqualem: Filius per filiationem nascitur, ut imago Patris, splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus: Spiritus Sanctus procedit ut amor notionalis Patris et Filii immensus. Pater ergo adoratur ut genitor, Filius ut genitus, Spiritus Sanctus ut amor notionalis: utriusque Summa, Deitatis unus est thronus essentialis; Sanctissimæ vero Trinitatis, triplex personalis.

8, 9, 10 et 11. GYRUM COELI CIRCVI SOLA, ET PROFUNDUM ABYSSI (Græce, *abyssorum*, id est, profundissimarum aquarum et voraginum, quæ fundo carere videntur, quia eum explorare nequeunt homines) PENETRAVI, IN FLUCTIBUS MARIS AMBULAVI; ET IN OMNI TERRA STETI, ET IN OMNI POPULO, ET IN OMNI GENTE PRIMATUM HABUI, ET OMNIVM EXCELLENTIUM ET HUMILIUM CORDA VIRTUTE CALCAVI. — Tigurina, orbem (alii, ambitum) cæli circvivi sola, vadaque profundi perambulavi. Omnes fluctus maris, et terram omnem, necnon cunctos populos gentesque possedi, et tam excellentium, quam humilium corda calcavi omnium; Syrus, in cælo una cum eo (Deo) simul habitavi, et in fundamentis abyssorum ego ambulavi, in fontibus aquarum, et in fundamentis orbis, et in omnibus gentibus et populis dominata sum. Dicit in præterito, habitavi, circvivi, penetravi, ambulavi, steti, primatum habui, calcavi, ut significet suam antiquitatem et æternitatem, antiquumque et æternum jus et dominium; alioqui hæc præterita, more Hebræo, quamlibet temporis, etiam præsentis et futuri, differentiam significant: circvivi ergo, id est, circvivi, circumeo, et circumibo; calcavi, id est, calcavi, calco, et calcabo; et ita de cæteris.

Hæc omnibus demonstrat Sapientia amplum et universale suum herile jus, dominium et fortitudinem, ait Rabanus, æque ac scientiam et providentiam circa omnia quæ cæli et terræ ambitu continentur; se, nimirum, omnia perspicere, providere, providere, ordinare, disponere, sequi omnibus dominari et præsidere, omniaque continere et complecti; secundo, se in omnium rerum creatione legem perpetuo servandam singulis indidisse, obediensque suæ voluntati et legi cunctas effecisse, quod proprium est sapientiæ munus; tertio, se omnibus gentibus Dei cognitionem, metum et cultum, una cum ratione inse-

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Vers. 8,
9, 10 et
11.

ruisse. Primum enim excellentissimumque in omni republica semper habitum fuit, numinis reverentia, cultus et religio.

Nota: Cum ait Sapia: « Gyrum cœli circuevi sola; » si per Sapientiam accipias increatam et personalem, puta Filium Dei, *et sola* non excludit Patrem et Spiritum Sanctum. Nam, ut ait Evaristus Papa, *epist.* 1, sicut nihil nocet Filio, quod solus Pater habet lucem inaccessibilem, ita nihil nocet Patri, quod ejus sapientia sola cœli gyrum circumierit: nam utrobique *et sola* excludit cæteras non personas divinas, sed naturas creatas, puta, omnes homines et Angelos, uti docent Scholastici.

Unde Lyranus hæc de Filio Dei sic particulatim exponit: « Gyrum cœli, » id est, cœlum sidereum, inquit, luminaribus et stellis ornatum, « circuevi sola, » disponendo motum orbium. « Et profundum abyssi penetravi, » præparando concavitates in terra, ut ibi congregatis aquis appareret arida, quæ congregatio vocatur Oceanus vel abyssus. « Et in fluctibus maris ambulavi, » salvando Noe, et eos qui cum eo erant in arca inter aquas diluvii. « Et in omni terra steti, » stabilitatem ei dando undique circa centrum mundi. « Et in omni populo, et in omni gente primatum habui: » nam omnis potestas hominum a Deo est. « Et omnium excelsorum et sublimium corda virtute calcavi: » nam omnes, tam magni, quam parvi, Filio Dei sunt

subjecti, quia toti Trinitati. Hucusque Lyranus.

ET IN HIS OMNIBUS REQUIEM QUÆSIVI, ET IN HÆREDITATE DOMINI MORABOR, — *q. d.* In omnibus populis et gentibus, in quibus me jam dixi primatum tenere et dominari, quæsivi locum et populum, in quo proprie requiescerem per amorem et gratiam, meque oblectarem quasi in populo mei cultore, sapiente, pio et sancto; dixique: « In hæreditate Domini, » id est, in populo fideli, qui est peculium, hæreditas et Ecclesia Domini, « morabor, » id est, morari desidero, gestio et destino. Nolo enim morari in populo infideli et gentibus idololatri: hi enim sunt hæreditas, id est, cœtus et ecclesia diaboli; ac proinde hi sunt stulti, incapaces, imo hostes mei: ipsi enim sunt inimici veræ sapientiæ, id est, veræ fidei et pietatis. Unde Græca et Syrus pro Domini habent *τοῦ*, id est, *cujus*; sicque clare enuntiant, *cum his omnibus requiem quæsivi, et cujus in hæreditate morarer, vel figerem domicilium, repete quæsivi.* Syrus, *in qua hæreditate quiescam?*

Anagogice, Sapientia et sapiens quærit requiem in hæreditate Dei cœlesti: nec enim alibi est vera requies, juxta illud *Apocal. xiv*: « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. » Et illud *Psal. iv*: « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Vide S. Bernardum *serm.* 2 *in festo omnium Sanctorum.*

TERTIA PARS CAPITIS.

DE SAPIENTIÆ HABITATIONE IN ISRAEL.

Vers. 12. 12. TUNC PRÆCIPIT, ET DIXIT MIHI CREATOR OMNIUM: ET QUI CREAVIT ME, REQUIEVIT IN TABERNACULO MEO. — Hucusque Sapientia descripsit sui originem, nimirum quod a Deo processerit, quia ejus primogenita; suamque operationem et efficientiam, nimirum, quod cœlum et terram formarit, illustravit, gubernavit: nunc describit suum officium et legationem in terras ad homines erudiendos. Itaque poetice loquitur de se, quasi de persona distincta a Deo, cum tamen ipsa reipsa sit Deus. Quare proprie hæc competunt primo, sapientiæ communi, quæ est attributum proprium Deo. Hæc enim huc personam induit, ac per prosopopeiam facit se velut ministram Dei, ut ejus jussa exsequatur, eique ministret in erudiendis hominibus, ac illis se communicet per sapientiam a se communicatam et creatam. Simili prosopopeia misericordia et justitia dicuntur a stare Deo, ab eoque mitti, quasi legati et judices, ad exercendum opera misericordiæ et vindictæ ipsius. *Psal. lvi, 4*: « Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam. » *Psal. lxxvii, 49*: « Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem. »

Secundo, tamen possunt hæc quoque adaptari Sapientiæ personali, puta Verbo et Filio Dei. Huc enim appropriatur sapientia et doctrina, sicut Patri appropriatur potentia et creatio, Spiritui Sancto bonitas et sanctificatio hominum. Nam licet Filius in se majestate et dignitate, æque ac natura et deitate par et cœqualis sit Patri; tamen quod officium legationis, quod hic assumit, ex humana hominum æstimatione videtur Patre esse minor, eique ministrare: mittitur enim hic quasi legatus, ut Patris præcepta exsequatur, eaque hominibus promulget; unde legati personam, quæ regis Dei que persona minor hominibus videtur, induit. Loquitur ergo anthropopatheis, sive humano more: sic enim rex, licet dignior sit republica et regno suo, tamen si ipse a republica mittatur ad Imperatorem, quoad hoc officium missionis et legationis, censetur minor et inferior esse republica, et Episcopus, si a sua Ecclesia mittatur ad Pontificem, uti missus est S. Athanasius, S. Epiphanius, S. Paulinus, et hodie multi mittuntur; licet major et dignior sit Ecclesia; tamen quatenus ab ea mittitur, censetur ea esse minor. Sic quoque Filius Dei, quatenus

Filius
præcep-
ta Patris
exequi-
tur.

a Patre hic mittitur, ejusque fit legatus et doctor hominum, anthropopaths, sive apud homines, et ex hominum more et æstimatione, videtur Patre esse inferior; licet in se plane sit par et æqualis. Inducitur ergo hic Filius ante incarnationem, quasi legatus a Patre proficisci ad Judæos et Israelitas, posteros Abrahæ et Jacobi, ut eos per Mosem doceat legem, fidem et cultum Dei, veramque sapientiam qua fideles, sancti et beati evadant. Ita Lyranus. Missio, inquit, Sapientiæ genitæ (puta Verbi, sive Filii in mundum) vocatur præceptum. Porro, quomodo Filius dicatur mitti a Patre, quia ab eo procedit; et Spiritus Sanctus a Patre et Filio, a quibus procedit; Pater vero non dicatur mitti a Filio et Spiritu Sancto, utpote qui a neutro procedat, vide S. Thomam et Scholasticos edisserentes 1 part. *Quæst. XLIII* Aliter Palacius: Non dicit, inquit: «Tunc præcepit mihi,» sed solum: «Tunc præcepit,» id est, præcepit intra se, decrevit, et animo firmavit. Sic et Jan-senius.

^{Nunc} Rursum et potius id præstitit Filius per incarnationem, quando ex posteris Abrahæ, puta ex B. Virgine incarnatus est, eosque verbo et exemplo docuit viam virtutis et salutis. Tunc enim re ipsa Filius ex immensa sua dignatione et gratia «semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo,» ut ait Apostolus *Philip. II*. Nam ipsa divinitas Filii se demisit, et quasi depressit ad imum carnis et humanitatis nostræ, ut ex omni fieret quasi inane et nihil, puta creatura et homo creatus; hoc enim significat *et exinanivit*. Porro Filius factus homo, qua homo minor fuit Patre, et seipso qua Deus est, uti omnibus clarum est. Sicut ergo Filius ante incarnationem fixit suam sapientiæ et doctrinæ cathedram apud Judæos, docendo eos per Mosem, Pontifices, Scribas et Phariseos; sic et post incarnationem eandem ipse personaliter apud eos fixit et usurpavit, ore proprio evangelizans et prædicans arcana Patris, et abscondita a constitutione mundi. Et hæc omnia significat hic Siracides, imo ipsa Sapientia, quæ hic loquitur.

Dicit ergo: «Tunc præcepit,» etc., *q. d.* Cum tam avide et sollicitè populum et sedem, puta hæreditatem Domini, in qua requiescerem, quærerem; ecce tibi Deus votis meis obsecundans, populum, locum domumque mihi assignavit in Jacob, id est, in posteritate et populo Israel: hunc enim elegit ipse in hæreditatem, id est, in suam possessionem, populum et Ecclesiam, in qua ego tabernaculum meum figere desiderabam et destinabam. Præcepit ergo mihi Creator omnium, dixitque: «In Jacob inhabita.» Igitur: «Qui creavit me, requievit,» id est, requiescere me fecit, «in tabernaculo meo,» id est, mihi a Deo attributo, puta «in Jacob,» id est, in Israel. Hunc sensum exigunt præcedentia et sequentia, ac Græca, quæ habent, *κατέπαυσε τὴν σκηνὴν μου*, id est,

Requievit, pro, requiescere me fecit.

quiescere fecit, fixit, collocavit tabernaculum meum, et per consequens me in eo. Sic Virgilius in Pharmaceutria ait:

Et mutata suos requierunt (id est, quiescere fecerunt, collocarunt), flumina cursus.

Et Plautus in *Mostellar.*: «Quiesce (id est quiescere fac, seda), tumultum hunc, qui est ante ostium.» Est hebraismus: Hebræi enim sæpe *cal* usurpant pro *hiphil*, id est, verbum neutrum pro activo. Sic Paulus ait *Rom. VIII, 26*: «Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;» «postulat,» id est, postulare facit; nec enim Spiritus Sanctus postulare potest gemitibus, quia gemere nequit, ait S. Augustinus.

Unde Tigurina totam hanc sententiam a vers. 11 usque ad vers. 14, ita plane clareque connectit, vertitque, *post hæc omnia quæsvi quietem, et in alicujus possessione domicilium. Tum Conditor universorum mandata mihi dedit, et Creator meus fixit mihi tabernaculum meum, et ait: In Jacob habita, et inter Israelitas accipe possessionem.* Alii ad Græca pressius clariusque, *in Jacob figito tabernaculum, et in Israel hæreditatem adito.* Græcum enim *κατέπαυσε* idem est quod, *figito tabernaculum*, quod respondet ei quod præcessit: *κατέπαυσε τὴν σκηνὴν μου*, id est *requiescere fecit, fixit, collocavit, tabernaculum meum.* Sic et Syrus, *in omnibus his requiem quæsvi mihi, quia in qua hæreditate requiescam? Tunc præcepit mihi Dominus universorum, et qui fecit me, et collocavit tabernaculum meum, dixit mihi: In Jacob habita, et stabilire in Israel.*

Si quis tamen malit *et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*, proprie, ut sonat, accipere; sic exponat et adaptet, *q. d.* Creator omnium, qui creavit me, quique requievit in tabernaculo meo, præcepit et dixit mihi: «In Jacob inhabita.» Deus enim dicitur habitare in tabernaculo sapientiæ, id est, primo, in ipsa sapientia: ipsa enim sibi domus est et tabernaculum. Quo schemate et prosopopœia significatur sapientiam Deo esse domesticam, familiarem et intimam, adeo ut in ea Deus habitare videatur. Sic Deus dicitur habitare in throno misericordiæ et justitiæ. *Ps. LXXXVII, 15*: «Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.» *Psal. IX, 9*: «Paravit in judicio thronum suum, et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.» *Proverb. cap. XX, 28*: «Roboratur clementia thronus ejus.» *Proverb. XXV, 8*: «Firmabitur justitia thronus ejus.»

Secundo, Deus Pater habitat in Filio, qui est ^{secundo} *sapientia genita, per περιχώρησιν, id est, circumin- cessionem divinam, qua una persona est in alia quavis, nimirum Pater est in Filio et Spiritu Sancto; Filius est in Patre et Spiritu Sancto; Sanctus Spiritus est in Patre et Filio, juxta illud Christi: «Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?» Joan. XIV, 10. Et vers. 20: «In illo*

Per habitam in tabernaculo sapientie. Primo.

die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo. » Unde Evaristus Papa, *epist.* 1, et Joannes II Pontifex, anno Christi 532, *epist. ad Valerium* sic legunt: « Qui genuit me, requievit in tabernaculo meo. »

Tertio. Tertio, Deus, præsertim Filius, est in carne et humanitate, quam assumpsit, quasi in tabernaculo suo: in ea enim « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, » *Coloss.* II, 9. Humanitas ergo Christi, quæ est tabernaculum sapientiæ creatæ et incarnatæ, eadem est tabernaculum Dei, et Filii Dei: in ea enim ipse hypostaticè, essentialiter et personaliter inhabitat.

Quarto. Quarto, tabernaculum sapientiæ, id est, veræ fidei, religionis, pietatis et sanctitatis, est Ecclesia, in qua quasi in tentorio et templo suo requiescit Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

Tropologice. Tropologice, Nazianzenus in *Distichis*: « Perpetuum tibi sit hoc studium, inquit, ut mentem tuam templum Deo extruas. Hinc enim assequeris, ut eum pro spirituali statua in intimo cordis habeas. Nosce teipsum, hoc est, unde originem duxeris, et qua dignitate præditus sis: sic enim facile primarium illud pulchritudinis exemplar consequeris. » Sic et S. Bernardus, in *Meditat.* cap. I: « Nihil, ait, tam simile est illi summæ Sapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam et voluntatem in illa Trinitate ineffabili consistit. Consistere autem in illa non potest, nisi ejus meminerit, eamque intelligat ac diligat. Meminerit itaque Dei sui, ad cujus imaginem facta est; eumque intelligat, diligat atque colat, cum quo potest semper esse beata. Beata anima, apud quam Deus requiem invenit, et in cujus tabernaculo requiescit. Beata, quæ dicere potest: Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Negare siquidem requiem cæli ei non poterit. Cur ergo nos deserimus, et in his exterioribus Deum quærimus, qui apud nos est, si nos velimus esse apud eum? »

Tabernaculum, et est B. Virgo. Mystice, tabernaculum, in quo Deus recondit summam sapientiam creatam, imo et sapientiam increatam et incarnatam, est B. Virgo, in qua Dei Filius, dum conciperetur, novem mensibus habitavit et requievit. Atque hinc ipsa omnem suam dignitatem accepit; accipit enim maternitatem Dei, quæ est dignitas tanta, ut ab hominibus et angelis comprehendi nequeat; sed omnem omnium captum superet. Nam, ut recte docet noster Christophorus a Castro *De Deipara*, cap. III, Virginem Mariam esse matrem Dei, est excellentia quasi infinita; quia non potest esse mater filii excellentioris, quam Dei, sicut, proportionem servata, humanam Christi naturam unitam esse Filio Dei hypostaticè, est dignitas infinita: quia uniri non potest excellentiori supposito, quam divino. Hinc B. Petrus Damianus, sermone *De Nativitate S. Mariæ*, dixit « Deum tribus modis esse in creaturis; quarto vero per identitatem in Virgine, quia idem est quod ipsa, » eo modo, quo mater

et filius sunt una caro, et quasi una persona civilis; multo magis quam sint uxor et maritus, de quibus dicitur *Genes.* II, 24: « Erunt duo in carne una. » Et S. Anselmus, lib. *De Excellentia B. Virginis*, cap. II: « Quamvis, ait, hoc solum de sancta Virgine prædicari, quod Dei mater sit, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest. »

Ex hoc principio deducitur alterum: ut, quemadmodum ex unione humanitatis Christi cum Verbo, colligimus naturali quadam consecutione, datam esse illi infinitam gratiam capitis, et impeccabilitatem, et omnem rationem merendi et satisfaciendi pro hominibus, tanquam mediatori et redemptori; et omnem scientiam et cognitionem eorum, usque ad cogitationes; denique omnia charismata, tanto uberius et excellentius quam aliis, quanto excellentius nomen capitis hæreditavit quam membra, et nomen filii, quam ministri ejus angeli vel homines: sic etiam fateamur quasi naturali quadam consecutione, ex matris dignitate debitam illi immensam quandam gratiam, qua facta est Dei gratia impeccabilis, advocata, mediatrix et redemptrix omnium hominum; et indita est illi cognitio eorum omnium requisita, et tam copiosa affluentia charismatum et donorum supernaturalium, quanto excellentior est mater servis, et propinquior Verbo quam cæteri, tam angeli quam homines. Juxta hoc recte Methodius, orat. *De Purificatione*: « Euge, ait, euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo enim universi debemus; tibi autem etiam ille debet. Proinde, qui dixit: Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut is decretum a se promulgatum observet, et alios excedat, omnem matri et gratiam et honorem impendit. » S. Cyprianus quoque, serm. *De Nativitate Christi*: « Matri, ait, plenitudo gratiæ debebatur. »

Atque hac de causa vocata est Maria, id est, ^{Maria.} excelsa, sublimis, eminens, a radice ^{etymoa.} מַרְיָם *ram*, id est, excelsus fuit; vel Maria, id est, domina, magistra et princeps: מַרְיָם *more* enim est dominus, magister, princeps, a radice מַרְיָם *tara*, id est, docuit, direxit, licet alii Maria idem esse velint quod myrrha vel amaritudo passionis, a radice מַרְיָם *marar*, id est, amarus fuit. Accedit, quod B. Virgo sit mater Dei sine patre, ipsa enim supplevit vicem patris et matris. Quare magis est mater Dei, quam sint matres hominum: hæ enim non dant totam substantiam filio, sed partem unam duntaxat; nam alteram, eamque præcipuam, dat pater. Christus ergo totam humanitatem accepit a matre, omniaque sua, qua homo est, debet matri. Quocirca Christus Deus et homo per hanc suam a Virgine conceptionem et nativitatem, factus est B. Virgini debitor, eique quasi matri et patri obligatur, suaque accepta ferre debet magis, quam alii filii debitores sint suis parentibus, iisque suum esse acceptum referre teneantur.

Quæ sane magna est Deiparæ dignitas, magna Filii Dei dignatio.

Porro, quod Sapientia ait se creatam, dicens: «Et qui creavit me,» intellige accommode: «creavit,» id est, quomodolibet fecit, ut vertit Syrus. Hebr. enim נָבַר *bara*, id est, creavit, amplissimæ est significationis. Quare primo, de Sapientia increata et essentiali sic exponas, q. d. Creator omnium creavit me, id est, elicuit me, concepit me, ipsa enim est conceptus mentis divinæ, Verbumque Dei essentiali; secundo, de Sapientia personali, puta, de Filio, q. d. «Creator creavit me,» id est, genitor genuit me; tertio, de Sapientia incarnata, puta de Christo homine, ac de sapientia creata, quam Deus Angelis, hominibus cæterisque creaturis communicat proprie, q. d. Creator creavit, id est, ex nihilo produxit me. Vide dicta cap. XIV.

Vers. 13. 13. ET DIXIT MIRI: IN JACOB INHABITA, ET IN ISRAEL HEREDITARE (hæreditatem adito, Israel sit hæreditas, portio et possessio tua), ET IN ELECTIS MEIS MITTE RADICES, — q. d. Deus sapientiæ populum, locum et domum assignavit posteros Jacobi Patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israel, puta, Israelitas. Hi enim fuerunt Ecclesia, id est, populus fidelis a Deo electus, ut eum sua sapientia, id est, fide, cultu, religione, præ cæteris gentibus imbueret. In eo ergo dicitur quasi in hæreditate sua habitasse, et misisse radices, id est, firmiter radicata fuisse sapientia Dei. Primo, quia illum solum vera paraque Dei cognitione imbuat, juxta illud: «Notus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus,» *Psal. LXXV, 1. Secundo*, quia ei soli dedit legem, ritus et cæremonias, quibus pure coleret Deum, juxta illud: «Non fecit taliter omni nationi: et judicia sua non manifestavit eis,» *Psal. CXLVII, 9. Tertio*, quia ei dedit Pontifices, Scribas et Phariseos, sibi invicem per singulas ætates succedentes, qui hanc Dei cognitionem, legem et cultum apud posteros conservarent et propagarent. Quarto, quia solis Judæis familiariter oracula et responsa dabat ex propitiatorio; item per urim et tummim, quæ erant in Rationali pontificis. Quinto, quia his solis dedit vicissim Prophetas, ac tandem Christum a Prophetis prædictum, qui in Judæa incarnari et habitare voluit, ut eos doceret veram sapientiam. Denique Deus Judæos tot miraculis et beneficiis, tantaque et tam peculiari providentia continuo persecutus est, ut proprie eorum videretur esse Deus, pater, custos, tutor, provisor, juxta illud: «Ego sum... Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob,» *Exodi cap. III, 16.*

ET IN ELECTIS MEIS (id est in Israelitis, quos mihi in populum elegi), MITTE RADICES, — id est radicare, sedemque tuam firma. Aliter Lyranus: Radices, inquit, sunt præcepta Decalogi, et alia cæremonialia et judicialia, quæ Deus Hebræis dedit, ut per eorum observantiam radicarentur in sapientia divina.

Allegorice. Allegorice, Sapientia et Christus habitant in

Jacob et Israel, id est, in Ecclesia cœtuque fidelium et Christianorum. Hi enim sunt filii Abrahæ et Jacobi, non secundum carnem, sed secundum sapientiam, id est, fidem, spiritum et gratiam, uti docet Apostolus *Rom. IX, 8.*

Tropologice, sapientia et Christus inhabitant in Jacob et Israel, id est, in supplantatore (hoc enim Hebr. significat Jacob) vitiorum et passionum. Unde Jacob representat Sanctos et electos; Esau vero, impios et reprobos, juxta illud *Malachæ I, 2*, quod citat Apostolus, *Rom. IX, 13*: «Jacob dilexi, Esau autem odio habui.» Idem in Israel hæreditant, id est, in viro orationi et contemplationi dedito, qui magna fiducia orans dominatur quasi Deo, ab eoque impetrat quidquid vult, uti fecit Jacob luctans cum angelo Deum representante, ideoque vocatus est Israel, id est, «dominans Deo,» aut, ut alii, «vir videns Deum,» *Genes. XXXII, 26.* Nimirum vere sapientem et sanctum efficiunt hæ duæ virtutes, oratio et mortificatio.

Mystice, B. Virgo æternæ Sapientiæ mater habitavit in Jacob; quia ex Judæis nata inter Judæos habitavit, ibique genuit Christum et Christianos: in his ergo quasi electis a Deo, misit primas radices Ecclesiæ Christianæ. Hæc enim cœpit in Sion et Sionidis, id est, Judæis ad Christum conversis, opera B. Virginis et Apostolorum. Rursum B. Virgo electorum est dux, mater, magistra et custos. Unde graves Theologi docent signum prædestinationis et electionis divinæ esse cultum et devotionem assiduam erga B. Virginem, juxta illud, quod ei mystice attribuit Ecclesia: «Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino,» *Proverb. VIII.* Unde Germanus Patriarcha Constantinopolitanus orat. *De Deipara*: «Sicut, inquit, continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa; sic S. Mariæ nomen, quod in Dei servorum ore assidue versatur, simul argumentum est quod vere vivant; simul etiam hanc ipsam vitam efficit et conservat, omnemque eis lætitiâ et opem ad omnia impertitur.»

14. AB INITIO, ET ANTE SÆCULA CREATA SUM. — Vers. 1. Laudavit se Sapientia, vers. 5, a sui origine divina, quod, scilicet, a Deo quasi primogenita Dei filia prognata sit: nunc laudat se a sui antiquitate et æternitate. Quia enim paulo ante dixit se in Jacob habitasse, ne quis putet eam tempore Jacob et Mosi incepisse, subjicit: «Ab initio, et ante sæcula creata sum,» q. d. Ab æterno, ante omnia sæcula et tempora, tum realia, tum imaginaria, creata, id est, producta vel concepta sum. Concipe fingeque animo ante mundum centum annorum millia, milliones annorum, mille myriades myriadam annorum, ante hos, et quosvis alios, quos mente concipere potes, existi, eosque omnes in infinitum antecessi, quia ab æterno existi, Deoque cœterna fui. Æternitas autem omnia tempora realia et imaginaria in infinitum antecedit. Unde Græca habent, *ante sæculum* (id est, ante

tempus et mundum) *ab initio creavit me, et usque ad sæcula non deficiam*; Tigurina, *ante ævum conditum ab initio condidit me, et in æternum non deficiam*.

« Ab initio » ergo, id est ab æterno: unde sequitur: « Et ante sæcula. » Appellat enim Scriptura initium id, quod erat ante tempora; hoc autem erat æternitas. Unde *Proverb. viii*, dicit eadem sapientia de se: « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret. » Et Michæas, cap. v: « Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. » Ita Gabriel Vasquez, I part., *Quæst. XXXIII*, disp. 139, cap. i, in fine.

igitur hisce verbis Sapientia significat: primo, se esse intemporalem, ideoque increatam et divinam; imo Deum; æternitas enim separat eam, æque ac Deum, ab omni re humana et creata. Nam, ut ait Nazianzenus, orat. 5 *De Theolog.*: « Temporis interstitio a Deo scindimur et dividimur. » Deus enim æternus est; nos vero subdimur tempori, æque ac cæteræ res creatæ. Unde de Jesu Filio Dei ait B. Petrus Damianus lib. II, *epist. 5*: « Ipse nobis et intemporale tempus, et illocalis est locus. » Secundo, significat Sapientia se vicissitudinis expertem, ac casibus omnibus, quos variatio temporis parit, superiorem, q. d. Temporarias mutationes transcendendo, constans sum, et ad omnes casus invicta, perinde ac si cum Deo de æternitate et immutabilitate certarem.

Nota: Alludit Siracides ad illud Salomonis *Proverb. cap. viii*, vers. 22: « Dominus possedit me in initio viarum suarum; » ubi pro *in initio* Hebr. est רשית *rescit*, quod Noster accipit *proberescit*, id est, *in principio*. Septuaginta autem nude acceperunt *rescit*, pro *principio*; unde verterunt, *dominus creavit me initium vel principium viarum suarum in opera sua*. Quare verisimile est Siracidem Seniore, qui Hebraice hunc librum conscripsit, Salomonem imitatum, in Hebræo hoc loco scripsisse *rescit*, id est *in principio*; Siracidem vero Juniorem, qui Seniore in Græcum transulit *rescit* accepisse pro *berescit*, id est *ab initio*, a principio, uti accepit Noster *Proverb. viii*. Quare, si cum Septuaginta *rescit* nude accipias pro *æççt*, id est *principio*, hoc quoque loco cum eis veritas, *principium creata sum*; idque primo, q. d. Dominus fecit me principium operum suorum, ut ego Sapientia essem prima, primoque concepta ante omnia Dei opera; secundo, q. d. Deus fecit, ut essem principium et causa omnium operum ipsius: quia per me, quasi ideam, omnia architectatus est; tertio, *æççt* non tantum principium, sed et principatum significat; unde illud *Psal. 109*: « Tecum principium, » id est, principatus (Græce enim est *æççt*, Hebr. נדבוב *nedabot*, id est, principatus) « in die virtutis tuæ: » sic sensus erit, q. d. Ego Sapientia creata sum ut essem principatus Dei, facta sum princeps omnium operum Dei; quarto, *æççt* significat primas et primitias, q. d. Ego Sapientia creata sum *æççt*, id est, ut primitiæ operum Dei, ut primas inter opera Dei tenerem,

juxta illud cap. i, 4: « Prior omnium creata est Sapientia. »

Mystice, hæc omnia facile adaptes B. Virgini, uti fusius ostendam *Prov. viii*, 22; interim vide ibidem nostrum Salazar erudite et pie hæc pertractantem. Nam B. Virgo ab æterno prædestinata fuit, ut esset principium operum Dei, puta omnium purarum creaturarum. Secundo, ut esset idea sanctitatis, juxta quam sanctos Angelos, Apostolos, Martyres, Virgines, Confessores, Religiosos efformaret. Cum ergo Deus B. Virginem mento concepit et prædestinavit, hos omnes, adeoque fideles omnes prædestinavit. Tertio, principatum gratiæ et gloriæ ei decrevit, principatum sanctitatis, æque ac domini addixit: destinavit enim eam, ut esset omnium creaturarum princeps, regina et domina. Quarto, Deus eam fecit primitias operum suorum. Solebant Deo offerri primitiæ frugum, ut per eas cæteræ fruges censerentur Deo oblatae et sanctificatæ; ita mundus obtulit Deo B. Virginem, quasi primitias naturæ humanæ, per quam omnes homines, totaque natura censeretur ei oblata, purificata et sanctificata.

Quocirca pulchre Rupertus in cap. II *Cantic.*, B. Virginem ita de se loquentem inducit: « Priusquam nascerer, Deo præsens aderam; antequam fierem, bene illi cognita faceram. Elegit me ante mundi constitutionem, ut essem sancta et immaculata in conspectu ejus in charitate. Et si deliciæ ejus esse cum filiis hominum, quanto magis deliciabatur cum ista ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum hominum? » Hæc Rupertus. Qua de causa Damascenus, *serm. 1 De Nativitate B. Virg.*, eam vocat « miraculorum abyssum, miraculorum officinam. »

Anagogice, hæc adapta hæreditati Jerusalem cælestis, in qua quasi regina regnat et triumphat B. Virgo. Unde hæc ei adaptat Ecclesia in festo Assumptionis ejusdem.

ET USQUE AD FUTURUM SÆCULUM NON DESINAM, — q. d. Sicut æterna sum a parte anteriori, ita et a parte posteriori, quia, *usque ad sæcula*, ut habent Græca, id est per omnia futura sæcula, in æternum persistam. Ita Lyranus. Syrus, *ante sæcula creata sum, et in sæcula sæculorum non desinet memoria mea*.

ET IN HABITATIONE SANCTA CORAM IPSO MINISTRAVI, — q. d. In tabernaculo et templo Judaico in quo habitavi, sacra ministeria per meos ministros levitas et sacerdotes obivi, Deoque vera sacrificia obtuli: hoc enim significat Græcum ἐπιτελεῖν : unde Græca et Syrus sic clare habent, *in tabernaculo sancto coram ipso sacrum ministerium obivi*. Hinc Sapientia vocatur *μυστα*, id est sacerdos et mystas, qui arcana Dei servat, eique sanctas sacrificat victimas, uti superius dixi.

Mystice, B. Virgo ministravit Deo in templo, cum in eo fuit præsentata triennis, imo ultro præsentavit seipsam. Unde Ecclesia hæc pro Epi-

Et nisi
has sepa-
rat Deum
ab omni
e
creata.

Sapientie
est
princi-
pium
quadra-
plicitat.

Sic et
B. Virgo.

Sapientia
est
sacerdos
Dei.

stola legit in festo Præsentationis ejusdem. Ipsa enim ab anno ætatis usque ad 14, quo fuit desponsata Joseph, et, nuntiante Angelo, concepit Christum, continuo Deo ministravit in templo, vacans perpetuis orationibus, meditationibus, piis lectionibus, concionibus, ac operi manuali ad ministeria templi, ut se aptaret et disponderet ad conceptionem Verbi. Vide nostrum Canisium in *Mariæ* et Christophorum a Castro *De Vita Deiparæ*.

Verb. 15. 15. ET SIC IN SION FIRMATA SUM, ET IN CIVITATE SANCTIFICATA SIMILITER REQUIEVI, ET IN JERUSALEM POTESTAS MEA. — *q. d.* Ego Sapientia per meum tabernaculum et templum, quod in monte Sion per Davidem et Salomonem ædificavi, firmiterque collocavi, cum prius per mobile tabernaculum moverer et vagarer per varias Judææ urbes, in Sion firmata firmiterque locata sum. Unde in civitate per templum cultumque meum sanctificata, puta in Sion et Jerusalem firmiter requievi: in arca enim et propitiatorio templi residere et requiescere dicebatur Deus, præsertim quia ex eo loquebatur dabatque oracula. Unde non tantum dignitatem Ecclesiasticam, sed et sæcularem regiamque potestatem in eadem collocavi: David enim regium thronum fixit in Sion et Jerusalem, eumque secuti sunt omnes ejus posterii. Unde Græca, Romæ emendata, habent, *in Sion firma sum, in civitate dilecta* (legunt *ἡγαπημένη*, id est *dilecta*, cum Complutenses et Noster legant *ἡγιασμένη* id est *sanctificata*) *similiter quiescere me fecit, et in Jerusalem potestas mea; Tigurina, et in Sion confirmata sum; tum etiam in chara civitate quietem mihi dedit, et Hierosolymis adeptam potestatem; Syrus, et rursus in Sion steti, in civitate quæ est dilecta illi, sicut ego requievi, et in Jerusalem imperium meum fuit*, puta regia sedes regumque thronus.

Mystice, hæc omnia adaptes B. Virgini. Illi ergo verius acclames id, quod Israelitæ acclamant victrici Judith ob cæsum Holofernem: «Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri,» *Judith*, xv, 10.

Verb. 16. 16. ET RADICAVI IN POPULO HONORIFICATO, ET IN PARTE (ita Romana et Græca: male ergo aliqui legunt *partes*) DEI MEI HEREDITAS ILLIUS, ET IN PLENITUDINE SANCTORUM DETENTIO MEA. — Quod dixit de loco, nunc dicit de populo, *q. d.* Sicut in Sion habito, et radicata sum, sic pariter in Sionidis, id est inter Israelitas, habito et radicata sum: hi enim soli cognoscunt coluntque verum Deum. Quare hi soli sunt *populus honorificatus, et pars Dei ac hæreditas illius, sive, ut Græca habent, pars Domini hæreditatis illius, id est, pars hæreditaria et hæreditas Domini, puta peculium et sors Domini. Quare et illius, non tam refert populum honorificatum, ut vult Palacius, q. d. Pars Dei est hæreditas populi honorificati; quam Deum, q. d. Pars Dei mei, in qua radicavi, est hæreditas illius, scilicet Dei. Hos denique vocat plenitudinam Sanctorum, id est plenum cœtum-*

que fidelium et Sanctorum cœtum, sive Ecclesiam. «Radicavi» ergo in Israele quasi «in populo honorificato,» et quasi «in parte» et sorte «Dei mei,» quæ pars et sors est «hæreditas illius,» scilicet Dei. Denique, in pleno Sanctorum hujus populi cœtu est «detentio» et habitatio «mea.» Unde Tigurina clare verit, *in illustri populo sum radicata, et in ea quæ Domino cessavit possessione; Syrus, educata fui in populo honorificato, in parte Domini, et in medio hæreditatis Israel. Vox enim radicavi, significat educationem et nutritionem; unde «radix in plantis similis est ori in animalibus,» ait Aristoteles, lib. II *De Anima*: quia sicut hæc ore sumunt cibum, ita plantæ per radicem sugunt succum ad alimentum.*

Quare symbolice, et *radicavi in populo honorificato*, denotat Sapientie genite, puta Christi Domini incarnationem, conversationem, passionem, qua totum populum fidelem insolubili amoris debito sibi obstrinxit. De quo pulchre S. Bernardus, serm. *De Quadruplici debito*: «Christo Jesu, ait, debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua, et cruciatus amarus sustinuit, ne et tu perpetuos sustineres. Quid tibi durum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris quia ille in forma Dei in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi? Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, et rememoraveris primum quidem infantiliu[m] necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, insidiarum in colloquendo; postremo periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, coaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum horumque similitum, quæ, in salutem nostri generis, fringita et tribus annis operatus et passus est in medio terræ? O quam indebita miseratio, quam gratuita et sic probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo, regem gloriæ pro despiciatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi! Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile?» Et mox: «Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud sic est sicut *stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum?* Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus et animam; vel potius unum minutum, voluntatem meam; et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? Alioqui si illam retinero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordie Dei nostri; et audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum quod custodit Israel, et illius sanguinis non guttas, sed

Christi
hono
anno
domine
sibi ob
strinxit

undas a quinque partibus corporis in meum premium detorquere? »

Allegorice, Sapientia et Christus constanter et perenniter habitant, et habitabunt in æternum, in Ecclesia Christiana, et cœtu Christianorum. Hi enim magis quam Judæi, sunt *Sion*, id est, specula : quia speculantur Deum hic per fidem, in cœlo speculaturi per gloriam; et *Jeri salem*, id est visio pacis, quia pace præsentis et æterna fruuntur et fruuntur. Hi quoque sunt populus honorificatus; pars et sors Dei, ac plenitudo plenaque congregatio Sanctorum. Ita Rabanus : « In populo honorificato, inquit, id est in populo Christiano, qui nominis ejus insigni præconio meruit honorari (ut a Christo dicatur Christianus), qui pars ejus et hæreditas dicitur, quia ad sortem ejus, inter omnes nationes mundi, ipse solus pertinet : et in plenitudine Sanctorum detentio ejus, quoniam illi membra sunt corporis ejus : ipse fit omnia in omnibus. » Christianum enim populum honoravit Christus, dum propter eum homo cæteris similis fieri, pro eoque mortem et crucem pati, eumque seipso in Eucharistia pascere dignatus est, ut eum ad cœlum sublimaret, imo ad nobiles Martyrum, Virginum, Doctorum, etc., palmas et coronas eveheret. Unde Palacius legens : « In partes Dei mei hæreditas illius, » sic explicat, q. d. Ego radices amoris egi in populo honorificato, amat enim ille me. Nec frustra tamen : nam ideo in partibus et divitiis Dei hæreditatem habet populus ille qui me amat. Vel clarius : hæreditas populi illius honorati est in partibus et hæreditate Dei. O populum honoratum et fortunatum!

B. Virgo est in plenitudine Sanctorum. Mystice, B. Virgo recte de se dicit : « In plenitudine Sanctorum detentio mea. » Primo, quia, ut ait S. Bernardus in hæc ipsa Ecclesiastici verba : « Merito in plenitudine Sanctorum detentio ejus, cui nec fides defuit Patriarcharum, nec spiritus Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec secunditas conjugatorum, nec puritas Angelorum, q. d. Omnes dotes et gratias omnium et singulorum Sanctorum in se quasi in mari collectas, a Deo infusas accepit B. Virgo. Unde passim docent Theologi : « Quidquid alicui Sanctorum a Deo fuit indultum, id B. Virgini, utpote matri Dei, non fuisse negatum, imo plenius quam ulli concessum : » cæteris enim per partes, Mariæ autem se totam infudit gratiæ plenitudo, teste Sophronio, serm. *De Assumpt.*, et Chrysologo serm. 143, juxta illud *Proverb.* cap. xxxi : « Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. » Unde S. Bernardus, serm. 174 : « Quod itaque, inquit, vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam mortalitas emersit ad vitam, » Et S. Thomas, III p., *Quæst.* XXVII, art. 5 in corp. « Beata, inquit, virgo Maria propinquissima

Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam; et ideo præ cæteris majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere. » Et *Quæst.* VII, art. 10, ad 1, explicat plenitudinem gratiæ Virginis fuisse, quia, scilicet, habebat gratiam sufficientem ad illum statum ad quem erat elevata a Deo, ut esset mater Unigeniti ejus. Quare S. Cyprianus, serm. *De Nativit. Christi* : « Ut matri, inquit, plenitudo gratiæ; ut virgini, abundantior gratia, debebatur. » Et S. Epiphanius, serm. *De Laud. Deiparæ* : « Quomodo, inquit, Virgo invenitur esse cœlestis sponsa et mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum Sanctum accepit; dotis vero gratia, cœlum una cum Paradiso. » Quocirca S. Ephrem, orat. *De B. Virgine*, eam nuncupat reginam omnium; » et iterum, « dominam, principem atque reginam præstantissimam, et perquam benedictam, dominarum dominam purissimam; » et mox, « reginam ac dominam cunctis sublimiorem. » Sic et « reginam supernorum civium, et dominam Angelorum, » eam appellat S. Athanasius, serm. *De B. Virgine* : « Quia ipse Christus, inquit, Rex est et dominus, mater quæ eum genuit, et regina domina vere censeretur. »

Secundo, quia B. Virgo, sicut habuit plenitudinem gratiæ, ita habuit plenitudinem gloriæ omnium Sanctorum. Ita S. Bernardus, tom. III, serm. 11, art. 2 : « In hac Assumptione Virginis impletum est, inquit, quod II *Reg.* vi, de David dictum est, quod deduxit arcam Domini, et erant cum David septem chori, scilicet beatorum Spirituum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, qui jam transierunt, Martyrum, Confessorum atque Virginum, ut impleatur in Virgine quod *Eccli.* xxiv, scriptum est : In plenitudine Sanctorum detentio mea. » Et mox hanc Virginis gloriam figuratam vult III *Reg.* ii, cum Salomon matris thronum ad dextram suam collocavit : « Ubi contemplare, inquit, altissimam matris sublimationem, et immediatissimam conjunctionem, quia positus est thronus matri, et sedit ad dexteram filii. »

Tertio, quia, ut ait S. Bonaventura in *Speculo* Tertio *B. Virg.* cap. vii : « B. Virgo non solum in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuat : detinet nimirum virtutes, ne fugiant; detinet merita, ne pereant; detinet dæmones, ne noceant; detinet filium, ne peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit qui sic detinere Dominum auderet, teste Isaia cap. lxi, 7, qui dixit : Non est qui invocet nomen tuum, et teneat te. » Et infra, ad hoc idem propositum citat S. Anselmum. « Et ideo, inquit, bene sic ait Anselmus : Tibi solum loquor, domina, beneficiis tuis plenum esse mundum, inferna penetrarunt, cœlos superarunt; per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, se lætantur liberata; et quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. » Quocirca in mystico hoc S. Ecclesiæ corpore,

cujus caput est Christus, ipsa collum, quod cæteris membris eminet, et per quod omnis a capite virtus derivatur in membra, appellatur: ut jure optimo *Apocal. XII*, quemadmodum ait S. Bernardus, sub ejus tanquam mediatrix pedibus luna, quæ nonnu quam, propter susceptum a sole splendorem, Ecclesiam hujus temporis a Christo, sole justitiæ, suis radiis illustratam significat, constituta legatur. Quod idem animadvertit S. Antoninus, *IV part. tit. v, cap. xx, § 2*, ubi de Virgine explicat illud *Eccli. xxiv*: « In Jerusalem potestas mea, » hoc est, in Ecclesia: « Quoniam Ecclesia, inquit, jure sub pedibus est Virginis, quia non tantum sub ejus patrocinio, verum etiam sub ejus est dominatione ac potestate. Ergo, cum sit pars secundum Christum omnium nobilissima, per quam Deus suam providentiam, et in homines misericordiam peculiari ratione exercet, præcipue commemoranda videbatur. »

E. Virgo
sanctita-
tis omnis
thesau-
rus.

Quare Petrus Damianus, *serm. De Assumpt.*, Sanctam Sanctarum illam vocat; et Andreas Cretensis, *De Dorm. Virg.* « O Sancta, inquit, et Sanctis sanctor, et omnis sanctitatis sanctissime thesaure. » Damascenus, *orat. 2 De Dorm.*: « Cernere,

inquit, mihi videor hanc Sanctis sanctiorem, et sacris sacratiorem, piisque pietate præstantiorem, » etc. S. Bernardus, *serm. De Aquæductu*, ut probet magnam vim et efficacitatem precum Virginis, citat illud: « Oratio justi penetrat celos; » et subdit: « Et quis justus, si non Maria justa, de qua Sol justitiæ ortus est nobis? » S. Bernardus, *tom. III, serm. 41, art. 3, cap. 1*: « Sicut, inquit, filius Mariæ est Sanctus Sanctorum; ita constat quod mater, quæ ipsum portavit, est Sancta Sanctarum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei atque thalamus Dei. Ubi ergo est summa plenitudo sanctitatis humanæ et angelicæ, ibi semper Virgo Dei mater prima suæ sanctitatis jecit fundamenta, ibi detinuit gradum, et plantam fixit virginæam. » Denique noster Sebastianus Barradius in *Cant. Moysis, lib. III, sect. 8, annot. 16, num. 243*: « B. Virginis laus, inquit, plenitudinem, in qua gradum figat, non habet, nisi dicamus, ultra Sanctorum omnium merita concessam illi fuisse ab originali peccato immunitatem. In hac assertione sita est Sanctorum plenitudo, in qua definitur: in plenitudine Sanctorum detentio mea. »

QUARTA PARS CAPITIS,

QUA SAPIENTIA SE COMPARAT CEDRO, ALIISQUE ARBORIBUS.

Nota: Sapientia hucusque se dilaudavit a dotibus intrinsecis, nunc se dilaudat ab extrinsecis analogiis et comparisonibus. Ut enim sui pulchritudinem, præstantiam, utilitatem ostendat, comparat se arboribus, aromatibus, fluminibus quæ cæteris antecellunt; iisque sacris, ut significet se sacram esse, adeoque esse ipsam sanctitatem increatam, quæ homines ad sanctitatem creatam erudit, dirigit et deducit. Quocirca Isidorus, *lib. IV, epist. 228*: « Salomon, ait, Sapientiam quasi personam representans, cum non inveniret quo pacto per unum aliquod exemplum, aut unam plantam, ipsius pulchritudinem, sublimitatem et suavitatem exhiberet, vagatus per omnia gignentia, et ab unoquoque colligens id quod maxime conveniens et decorum erat, ad eam representandam, ita eam hominibus adumbravit, ut ab hac quidem planta pulchritudinem, ab alia sublimitatem, ab alia odoris suavitatem ac fragrantiam mutuatus, occasionem præberet aliquid cogitandi quod Sapientia dignum est. »

Igitur primo, primis versibus comparat se quatuor arboribus præstantibus æque ac sacris, puta cedro, cupresso, palmæ et oleæ. Sacris dico, quia ex his fabricatum est templum, ejusque vasa, ut patet *III Reg. v, 6; Cant. i, 16; III Reg. vi, 18, 29, 32*. Unde et ex his compacta dicitur crux Christi, ut inferius ostendam, quam proinde hic ænigmatische adumbrat *Siraides*.

Secundo, vers. 21, comparat Sapientia seipsam quatuor aromatibus sacris, puta galbano, myrrha, stactæ et thuri, ex quibus fiebat thymiana sacrum, quod quotidie tam mane quam vespere adolebatur Deo in altari thymiamatis, quodque representabat ardorem devotionis et charitatis, quo se Christus Deo in cruce obtulit, quasi incensum et thymiana in odorem suavitatis.

Tertio, vers. 33, comparat se quatuor fluminibus quasi sacris, puta Euphrati, Tigri, Phison et Geon; sacris dico, tum quia hi quatuor fluvii sunt vicini Terræ Sanctæ, puta Palæstinæ, ejusque sunt limites et termini; unde et crebro nominantur in sacra Scriptura; tum quia hi erant quatuor fluvii Paradisi, qui erat locus innocentiae et sanctitatis, in quo scilicet vixit Adam quamdiu mansit sanctus; sed dum peccavit, illico eo expulsus est: quia hic locus a Deo destinatus erat innocentiae, innocentibus et sanctis; erat enim ipse symbolum et inchoatio Paradisi et felicitatis cælestis. Sapientia ergo hoc versu et sequentibus, ut sui elegantiam dotesque et virtutes miras declaret, doceatque se perfectissime habere omnes perfectiones rerum perfectissimarum, comparat se arboribus pulcherrimis, præstantissimis et pretiosissimis, quæ in Israele, puta in Judæa, ac præsertim in monte Libano Judææ vicino, eminebant. Nam, ut ait S. Hieronymus in cap. *xiv Osee*: « Arborea Libani quantum in auras consur-

gunt vertice, tantum radicem in ima demergunt; ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. Harum arborum rami huc illucque tenduntur, ut veniant volatilia cæli, et habitent in eis. Crebræ hic crescunt cedri enodes et imputribiles, miraque proceritate (quibus ideo in sacra Scriptura superbi comparantur) sublimes. Rectæ quoque et electæ abietes, odoriferae cupressi seu cyparissi, pingues olivæ, pini, buxi, diversæque arbores thuriferae; quarum gummi electum olibanum a medicis nuncupatur. »

Quia igitur arbores Judææ et Libani cæteris præstant, hinc iis se comparat Sapientia, ac præsertim cedro, cupresso, palmæ, platano, olivæ et rosæ, quæ ibidem excellunt et eminent. Cedro convenit immortalitas, inquit Palacius, cupresso rectitudo, palmæ victoria, platano jucunditas, olivæ pretium olei, rosæ odoris gratia. Hæc igitur universa sibi adscripsit Sapientia, scilicet quod, cum sit rerum omnium celsissima, sibi convenit melior immortalitas quam cedro, melior rectitudo quam cupresso, melior vincendi potestas quam palmæ, melior umbra (id est protectio, favor et auxilium) quam platano, odor jucundior quam rosæ, majus misericordiæ suæ pretium quam olivæ. Et quia Christus quod habet dat, ideo immortalitatem dat suis, rectitudinem justis, victoriam pugnantibus, afflictis solæ tentationum, umbram suæ protectionis, devotis æternitatis odorem (nam dictum est: « In odorem unguentorum tuorum curremus »); demum omnibus suæ misericordiæ oleum largitur; ideo enim christus, id est unctus, dicitur, scilicet oleo exultationis præ consortibus suis.

Vers. 17. 17. QUASI CEDRUS EXALTATA SUM IN LIBANO. —

Tigurina, *instar cedri in Libano exerevi*; Syrus, *nutrita fui*. Itaque hi, *in Libano*, referunt ad *quasi cedrus*: potest et referri ad *exaltata sum*, q. d. Ego Sapientia exaltata sum in Libano, id est in Jerusalem et templo, quod constructum erat e lignis Libani (ideoque vocatur Libanus, *Ezech. xvii, 3*) sicut cedrus exaltatur inter arbores Libani. Ante omnia Sapientia comparat se cedro, quia cedrus inter arbores eminet: *primo* altitudine, quæ tanta est, ut Plinius, lib. XVI, cap. XL, dicat: « In Cypro traditur ad undecimem Demetrii succisa (cedrus) centum triginta pedum, crassitudinis vero ad trium hominum complexum. » Adde, cedrus amat montes; pari modo altissima est Sapientia, quia ad cælos et Deum pertingit; docet enim cælestem et divinam doctrinam, quæ homines faciat Angelos et deos quosquam terrestres, imo eos ad cælum evehat, ibique faciat reges et hæredes regni Dei. Porro ita exaltata est in Libano, id est in Judæa, et Ecclesia populoque Dei: hic enim est Libanus, id est albus puritate, et odoratus sanctitate famaue virtutum.

Secundo. *Secundo*, rectitudine: cedrus enim enodis et rectissima est. Rectissima pariter est Sapientia; quia nihil dat favori, gratiæ, timori, respectui hu-

mano; sed rectissime ad æternam veritatem, legem, voluntatem Dei, quæ omnis rectitudinis est forma, se adaptat et conformat.

Tertio, soliditate; cedrus enim solidissima est et quasi ossea; sic et Sapientia solida est, quia docet sequi rationes stabiles et æternas, non temporales et caducas. Insuper, cedrus folia non abjicit, sed perpetua coma viret, medulla rubet et odorata est; ita viret jugiter, et suavissime fragrat sapientia; corque sapientis et sancti, quia sanguine Christi respersum, rubet et ardet.

Quarto, incorruptione; cedrus enim cariem, tineam et vetustatem non sentit; imo res aliæ, perunctæ oleo cedrino, cariem aut tineam non sentiunt, ait Plinius. Idem, lib. XXIV, cap. v: « Defuncta, ait, corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit: mira differentia, cum vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita sit. »

Quinto, duratione; cedrus enim diutissime durat; unde æterna indigitatur: hinc et digna cedro vocantur, quæ æternitatem merentur. Audi Plinium, lib. XIII, cap. v: « Materie ipsi æternitas. Itaque et simulacra deorum ex ea factaverunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus. » Et lib. XVI, cap. xl: « Memorabile, ait, est: Utiæ templum Apollinis, ubi Numidicarum cedrorum trabes durant a prima urbis ejus origine, annis 1188. » Additque tectum templi Dianæ Ephesiæ fuisse e trabibus cedrinis. Porro Salomon non tantum suum palatium, sed et templum, quod fuit orbis miraculum, ædificavit ex lignis cedrinis, *III Regum, cap. vii, 2, et seq.*, et cap. ix, 11. Æterna pariter est Sapientia, sique studiosos æternat, imo donat gloria et regno æterno.

Sexto, fructu. « Fructum ferunt (cedri, ait Plinius, lib. XIII, cap. v) myrti magnitudine, dulci sapore. Et majoris cedri duo genera: quæ floret, fructum non fert; fructifera non floret, et in ea antecedentem fructum occupat novus. » Vidi Romæ fructum cedri: nux erat ingens instar nucis pineæ. Fructus pariter sapientiæ et disciplinæ, licet initio amarus et asper videatur, mox tamen dulcescit, ac tandem dulcissimus evadit: « Omnis disciplina, ait Apostolus *Hebr. xii, 11*, in præsentibus quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. »

Septimo, odore; odorata enim est cedrus, ideoque incorrupta et æterna. Hinc cedrus suo odore fugat et occidit serpentes, eaque de causa in domibus et villis accendi solebat: ita Rabanus, qui id probat ex illo Virgilio, *III Georg.* :

Disce et odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbanoque agitare graves nidore chelydros.

Ubi Servius: « Chelydri, inquit, sunt serpentes, ita dicti, quasi chersydri, quia in aquis et terris morantur. Nam *χελύδριον* dicimus terram, *χελύδριον* autem aquam. » Sic et Plinius, lib. XXIV, cap. v: « Cedri

scohe serpentes fugari, inquit, certum est : item baccis tritis cum oleo, si qui perungantur. » Hinc quoque libros perungebant oleo cedrino, quos proinde cedratos vocat Plinius, qui a tineis illi si integrique durabant per multa sæcula. Tales fuisse libros Pythagoricos, qui defossi in terra, post 335 annos, interri reperti sunt, eo quod cedrati essent, tradit Plinius, lib. XIII, cap. XIII. Odorata pariter est sapientia : odor sapientiæ est fama et celebritas, juxta illud Pauli : « Christi bonus odor sumus, » II Cor. II, 16. Ita Rabanus.

Octavo, medicina et vi medicandi; cedrus enim resinam habet laudatissimam, quæ variis morborum generibus medetur. « Cedrus magnam, ait Plinius, lib. XXIV, cap. v, dat picem, quæ cedria vocatur, dentium doloribus utilissimam. » Et inferius : « Cedrides, hoc est fructus cedri, tussim sanant, urinam eient, alvum sistunt, utiles ruptis, convulsis, spasticis, stranguriæ, vulvis admoti. » Pari modo sapientia omnibus animi ægritudinibus medetur, easque vel sanat vel lenit.

Sancti
Dei
ores
sunt
ce-
tri
ob-
ecto
ana-
logis.

Tropologicæ et mysticæ, Sapientia omnes has suas dotes sapientibus sui studiosis, puta beatæ Virginii, et Sanctis, præsertim doctoribus, communicat. Hos enim facit *primo*, altos et excelsos, ut cum Paulo dicant : « Nostra conversatio in cœlis est, » *Philipp.* III, 20; *secundo*, justos et rectos, ut a linea justitiæ et honestatis, nullius metu aut gratia, vel ad punctum deflectant; *tertio* solidos, ut nulla adversitate frangantur; *quarto*, incorruptos, ut nulla voluptate, adulatione, blanditiis enerventur; *quinto*, æternos, et æternitatis satores, incorruptionem omnibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes, qui verbum vite in æternitatis cibum alendæ Christi familiæ dispensant, » ait S. Hilarius canon. 27 in *Matth.*; *sexto*, dulces in sermone et consolatione, juxta illud cap. XX, vers. 13 : « Sapiens in verbis seipsum amabilem facit; » *septimo*, odoratos, ob virtutis et sapientiæ famam; *octavo*, medicos, quia erroribus, passionibus et vitiis hominum medentur, tartareos serpentes expellunt, et a peccati putredine se invocantes tuentur. Audi Rabanum : « Sapientiæ doctores, inquit, virtute verbi cœlestis, solent venenata hæreticorum dogmata repellere, eosque a simplicium seductione fugare. Hoc quoque, quod ejus resina, quæ cedria dicitur, in conservandis libris adeo est utilis, ut perliniti ex ea, nec tineas patiantur, nec tempore consenscant : quis non videat quantum eisdem prædicatoribus sanctis conveniat : quorum sensu spiritali Scriptura sancta confecta est, quæ nulla hæreticorum astutia corrumpi, nulla potest sæculi labentis ætate consumi : adeo ut donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non prætereat a lege, donec omnia fiant : quod cum dixerit Dominus de lege, quanto magis de Evangelio intelligendum relinquit? »

Ita S. Ildephonsus, *serm. De Assumptione, lo-*

quens de Deipara : « Hæc est, inquit, quæ, ut cedrus Libani, quotidie in terris multiplicabitur, dilatabiturque ramis, et in cœlo radicibus, ut crescat amplius, solidatur. »

ET QUASI CYPRESSUS IN MONTE SION. — Græca, *in monte Hermon*. « Sion » ergo est Hermon. Duplex enim fuit mons Sion : unus in Jerusalem; hic scribitur Hebraice in initio per litteram *tsade*; alter, qui alio nomine dictus est Hermon; hic scribitur per *schin*; id patet *Deuter.* IV, 48 : « Usque ad montem Sion, inquit, qui est Hermon; » et *Psalms.* CXXXII : « Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion, » quasi Sion fuerit pars inferior Hermonis; et *Deuter.* cap. III, vers. 8 : « Usque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir. » Unde Syrus hoc loco vertit, *et sicut arbor olei in Sanir monte nivis*. Audi Adrichomium in *Theatro Terræ sanctæ*, p. 89 : « Hermon mons qui ab Hebræis Chermou, a S. Hieronymo Aermou, ab Amorrhæis Sanir et Sinir, a Sidoniis Sarion et Sirion, a Phœnicibus Sanior, in Deuteronomio etiam Sion, alias Seon vocatur, Straboni Irachon, aliis Irachonus, Ptolemæo Alsadamus appellari videtur, situs est ultra Jordanem e regione civitatis Paneadis, etc. Mons iste excelsæ altitudinis est, ideoque perpetuo in eo inveniuntur nives, quas S. Hieronymus in *Locis Hebr.* in Aermou suo ævo Tyrum ad delicias deferri solitas scribit, ut nempe æstatis tempore æstiva pocula temperarent. »

Sapientia hic comparat se cupresso, qui et cypessus et cyparissus dicitur : *primo*, pulchritudine; cupessus enim est arbor pulcherrime comata; ejus enim coma rotunda in conum altissime assurgit; unde vocatur conifera. Qua de causa Romæ, et per totam Italiam, cypessi sunt decus et pulchritudo hortorum et vinearum. Ita pulcherrima est Sapientia, et altissime sublimata in Sion, id est in Ecclesia et populo Dei, quæ conum, id est aciem et intentionem mentis, in altum, id est in cœlum ad Deum, dirigit. Rursum, cypessus pro foliis frondes habet capillatas, æque ac pinus, easque densas, et in modum comæ in conum assurgentes, quæ magnam ei elegantiam conciliant; ita Sapientia non laetis verborum foliis quasi phylacteriis luxuriat, sed stricta et quasi capillata rerum copia auditorem instruit, ac in omnibus sapientem efficit.

Secundo, utilitate; nam ex cupresso fiebant perticæ et asses pretiosi, de quibus Plinius, lib. XVI, cap. XXXIII : « Utraque (cupessus scilicet, mas et femina) immititur in perticæ assesve amputatione ramorum, qui decimo tertio anno denariis singulis veneunt. Quæstuosissima in satum ratione sylvæ; vulgoque dotem filiarum antiqui plantaria appellabant. » Pari modo quid utilius, quid quæstuosius sapientia? Vide ejus opes et lucra descripta *Sap.* VII, vers. 8 et seq.; *Prov.* VIII, 15; *Job.* XXVIII, vers. 15 et seq.

Tertio, duratione; nam cupessus semper viret, *Tertio*.

Sapientia
simi-
lis
cyp-
resso.
Primo.

nec tenere rimam aperit, ullave parte fatiscit. Unde Plinius, lib. XVI, cap. XI: « Cariem, ait, vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotos, buxus, taxus, juniperus, oleaster et olea. » Et inferius, agens de templo Dianæ Ephesiæ: « Valvæ, inquit, e cupresso, quoniam præter cætera uno in genere materiæ nitor maxime valeat æternus. Nonne simulacrum Jovis in arce e cupresso durat a condita urbe 551 anno dictum? » per ducentos scilicet annos; tot enim fluxerunt ab anno 551 conditæ Urbis usque ad ætatem Plinii. Pari modo Sapientiæ nitor, gratia et decus perennat, imo in Sanctis per dies singulos magnis virtutum et heroicorum facinorum incrementis, quasi novis ornamentis accrescit.

Quarto, vi medica. Plinius, lib. XXIV, cap. v: « Cupressi, ait, folia trita serpentium ictibus imponuntur, et capiti, cum polenta, si a sole doleat; item ramici, qua de causa et bibuntur. Eadem trita, etc., pedum ac nervorum dolores sedant. Pilulæ adversus serpentium ictus bibuntur. » Sic sapientia omnibus animæ corporisque morbis medetur.

Quinto, cupressus succisa non recrescit. Quocirca prisci erat symbolum mortis et funeris, indeque vocatur feralis; unde Horatius ait arborem nullam sequi homines ad inferos nisi cupressum. Hinc Gentiles eam Diti deo inferorum dicarunt. Quocirca Suetonius in *Vespasiano*, cap. v, hoc ei omen præsagium imperii obtigisse narrat: « Arbor, inquit, cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit. » « Hoc enim, inquit Tacitus, præsagium fuit grande prosperumque assensu aruspicum, et summa claritas juveni admodum Vespasiano promissa. » Ex adverso Severus Imperator, teste Pierio, *Hieroglyph.* 52, cap. v, mortis indicium accepit, cum Æthiops quidam cum corona e cupresso facta illi obviam factus, edixit: « Totum fuisti, totum vicisti: jam Deus esto victor. » Paucis veropost diebus Severus vita functus est. Ita Sapientia docet hominem memorem esse mortis, ac post mortem non esse reditum ad vitam, sed transitum in æternitatem. Quare illud assidue singulis inelamat: « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis, » *Eccli.* VII, 40, quo fit ut sapientes et Sancti ex hac mortalitatis palæstra sine laurea abeant, sed ipsa eis cupressus in lauream abeat, id est dignissimam corona vitam mors honestissima et sanctissima claudendo coronet.

Sexto, deorum simulacra et heroum sarcophagi fiebant e cupresso, ob ejus perpetuitatem et suavolentiam. Ita Junonis reginæ simulacrum factum erat e cupresso, teste Plinio, lib. LII, cap. VII. Rursum Thucydides, lib. II, refert Spartanos qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubuerant, quasi heroes in arca cupressina esse repositos. Ita Sapientia divina est, uno ipse Deus, Dei que Filius, qui suos asseclas fortes efficit athletas et

heroes cœlestes. Hinc et crux Christi dicitur compacta fuisse ex cupresso, cedro, palma, olea. Unde carmen:

Ligna crucis palma, cedrus, cupressus, oliva:

Quod citat Glossa in *Clement. 1 De summa Trinitate*. Et: « Corpus tenet alta cupressus. » Et: « Pars est oliva suprema. » Vide nostrum Gretserum, lib. I *De Cruce*, cap. v, ex S. Chrysostomo. In cruce enim Christus quasi cedrus exaltatus fuit, quasi cupressus comata pulchruit, quasi oliva gratiæ oleum fudit, quasi palma victrix de morte triumphavit.

Septimo, cupressus amara fugat blattas et tineas; ita Sapientia severa est, fugitque et fugat adulatores, quos recte Seneca non arriores, sed arrosores nuncupandos esse censet. Audi Catonem Severum (cupressum severe pingentem) apud Plinium lib. XVI, cap. XXXIII. Cupressus « natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materia rara, ut pene fruticosi generis, Diti sacra, et ideo funebri signo ad domos posita. »

18. QUASI PALMA EXALTATA SUM IN CADES. — Ju- Vers. 18. daea abundat palmis et palmetis: unde Vespasianus de ea victa triumphans, nummum excudit, in quo Judæa capta sedens, mœrensque, et manus complodens; ipse vero astans juxta palmam, pingebatur. Hinc et Palmyra urbs a Salomone ædificata in tribu Manasse, Hebraice dicta est *Thamar*, id est, palma; unde Palmyra, teste S. Hieronymo in cap. XLVII et XLVIII *Ezechielis*. Sic et alia Judææ urbs, scilicet Engaddi, a copia palmarum prius dicta est Asasonthamar, id est urbs palmarum, eo quod floreret palmis et balsamo, quod olim fere juxta eam duntaxat, ac vix in alio Judææ vel orbis totius loco, reperiebatur. In deserto tamen Sin, quod alio nomine dictum est Cades, excellabant palmeta et palmæ, atque in eo palma una cæteris insignior et celebrior fuit, quæ nomen loco dedit, ut vocaretur Palma Cades, uti hic vocat Siracides. Testis est Adrichomius in *Theatro Terræ sanctæ*, p. 118, et in tabula chorographica ei annexa.

Porro S. Isidorus, lib. XVII *Origin.* cap. VII: « Palma, inquit, dicta, quia marus (palmæ) victricis ornatus est; vel, quia appansis est ramis, in modum palmæ hominis. Est enim arbor insignie victoriæ, proceroque ac decoro virgulto, diurnisque frondibus vestita, et folia sua sine ulla successione conservans. Hanc Græci ποσειδάδι dicunt, quod diu duret, ex nomine avis illius Arabiæ (phœnicis) quæ diu vivere perhibetur. »

Pro *Cades* Græca, Complutenses habent in *Gaddi*, vel *Engaddi*: quia Engaddi situm est juxta Cades, ibique abundant palmæ et balsamum, uti paulo ante dixi ex Adrichomio: sed verius est, corrupte in Græcis legi *Gaddi* pro *Cades*; unde Græca variant. Nam ea quæ Romæ sunt emendata pro

ἐν γὰρ ἰδὲ, id est in Gaddi, legunt ἐν αἰγιαλοῖς, id est in littoribus; unde Tigurina, quasi palma circum littora verticem extuli; Syrus vero, quasi palma nutrita sum in Engaddi. Nota: Pro palma Græce est φοῖνῆξ, quæ vox tam phœnicem avem, sive veram, sive potius hieroglyphicam, uti ostendi Gen. VII, 2, quam palmam significat: utraque enim longæva est, ideoque æternitatis symbolum. Unde Job ait cap. XXIX, 18: «Dicebamque: In nidulo meo moriar, et sicut palma (Græce φοῖνῆξ) multiplicabo dies.» Hinc dicta est Phœnicia, cui adjacet Judæa, quod abundet palmis, inquit Jansenius. Licet alii, ut Stephanus, lib. De Urbibus, a Phœnice conditore, Neptuni et Libyes filio, dictam velint Phœniciam; unde Silius, lib. I:

Et qui longa dedit terris cognomina phœnix.

Palma
dotes.

Porro, palma excellit robore, coma, duratione, nisu in superna, æqualitate, fructu: unde anachoretæ longævi vivebant dactylis, qui sunt fructus palmæ, et etiamnum Afri nonnulli non nisi dactylis vivunt: dactyli enim uti gustu sunt suaves, ita usu sunt sani et salubres. Talis est et Sapiencia, scilicet robusta, comata, æterna, sursum vergens, ac contra omnia adversa in cælum enitens et eluctans, justa, frugifera.

Palma
est B.
Virgo et
Sancit.

Quocirca mystice palma (æque ꝑ phœnix, femininarum enim, imo et virorum, quin et Angelorum phœnix fuit B. Virgo) repræsentat B. Virginem, Ecclesiam et Sanctos, uti per multas analogias et parallela ostendit Auctor 'anonymus Hieroglyph. lib. III, p. 89. Primo, Judæa inquit, inclyta est palmis, teste Plinio, lib. XIII, cap. IV. Sic Ecclesia catholica amœnissimum Jesu Christi palmatum est, quod passim in orbe terrarum plantatum est illius manu.

Secundo.

Secundo, palma Hebræis Thamar, Græcis φοῖνῆξ, salsum solum diligit: ergo ubi non est tale, salem aspergunt, non radicibus, sed paulo longius amandando, ut ex Theophrasto annotavit Ruellius De Natura stirpium, lib. I, cap. CVIII. Homo autem justus sapientiæ sale respersus dictis et factis id profitetur, eo quod sibi hæc dicta voluit: nam «omnis homo igne salietur, et omnis oblatio sale salietur. Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo condietis? Habete in vobis salem, et pacem habete inter vos mutuo, » Marci IX, 49, 50; item Coloss. IV, 6: «Sermo vester cum gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.»

Tertio.

Tertio, a fimo palmam magnopere abhorrere quidam perhibent. Spiritualis palma pari modo, videlicet sancta Ecclesia, peccatorum sordibus, ceu feterrimo fimo, gravissime offenditur. Novit enim sibi præceptum: «Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, » II Corinth. VII, 1. Item Apocal. XIII, 11: «Qui nocet, noceat adhuc: et qui sordidus est, sordescat adhuc: et qui jus-

tus est, justificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc.»

Quarto, comam palma habet in cacumine circumtensam, ramos in digitorum morem protensos, ac ejus fructus, quod digitis similes sint, palmulæ seu dactyli dicuntur. Homo justus puras supplicesque palmas ad Deum tendens, preces per fidem concipit, et in spiritu ac veritate Deum Patrem adorat, non ignarus sententiæ distichi Gregorii Nazianzeni:

Non opus est manuum melius, quam tendere cælo
Castas, et toto jungere corde preces,

puta, eas lègibus divinis præstandis promptè et dextre adhibere.

Quinto, ex urbano genere (ait Ruellius, veterum physiologorum sententias repetens) perpetua fronde pubent olea, palma, laurus, myrtus, etc. Idem et de justis hominibus, qui constanti honore virent, dicitur, ut testantur hæc dicta: «Ego autem, sicut oliva fructifera (S. Hieronymus, virens: hoc enim significat Hebr. raanan) in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi, » Psalm. LI, 10.

Sexto, palma gaudet riguis, totoque anno habere cum amet, anno sitienti squalidoque, lætior est. Justus pariter gaudet ea rigatione de qua dicitur: «Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit, » I Cor. III, 6, et Isaia LVIII, 11: «Requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.» Alii vertunt, deducet te Dominus semper, et saturabit in siccitatibus animam tuam, ossaque tua impinguabit: et eris velut hortus irriguus, ac veluti scaturigo aquarum, cujus aquæ non deficient. Idem in medio afflictionum æstu spe gaudet, et gloriatur in oppressionibus, Rom. V, 3, ac cum Apostolo II Corinth. IV, 8, ait: «In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus.»

Septimo, folia et fructuum germina propemodum cacumine gestat palma, cum vis tota genitalis in ejus vertice resideat: quare deacuminata moritur, nec (tanquam esset adusta) germinat. Pius pariter in Christo Jesu, capite suo, summum decus obtinet, et fructus honorum operum profert: sine Christo nihil potest facere, Joan. XV, 2. Bene autem habet, quod unum cum Christo Jesu factus, nunquam (nisi velit) ab eodem sejungi potest, Rom. VIII, vers. 38 et 39.

Octavo, Aristotele et Theophrasto attestantibus, palma victoriæ symbolum est, nec cedit oneri, quamlibet ingenti, nec inflectitur, sed contra pondus resurgit: quin et folia palmæ dura et acuta sunt instar gladii: quare ipsa quot foliis, tot gladiis armatur: ideoque fere in coronariis certaminibus a'ind premium quam palma non

dabatur. Sic de justis dicitur: « Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: et hæc est victoria, quæ vincit mundum, nempe, fides nostra, » I Joan. v, 4, nimirum:

Pressa sub ingenti ceu pondere palma virescit,
Sub cruce sic florent dedita corda Deo.

Nono, palmæ translato gaudent; quamquam in Græcia, loci mutatione sterilescent. Justi itidem lætantur se translatos esse ex morte ad vitam, I Joan. iii, 14; nunquam usquam gentium sunt infrugiferi: quia Christi consortes facti a Spiritu ejus reguntur, et ad omne opus bonum instructi sunt.

Decimo: « Palma, ait Plinius, est solis amantissima. » Ita ipse lib. XVII, cap. XLIV, lib. XIII, cap. IV, asserit « nullam palmam esse frugiferam, nisi in terra et solo fervido: » hinc semper sitit, magisque gaudet aquis scaturientibus quam pluvialis, ait Theophrastus, lib. II De Plantis, cap. IV. Et Palladius, scribens rem rusticam in octobri, tract. 12: « Palma, inquit, circumfodiatur assidue, ut irrigatione continua æstatis vincat ardores. » Sic et justus est amantissimus Solis justitiæ, puta Christi; hinc perpetuo vivas ejus sitit aquas gratiæ salientes in vitam æternam, Joan. IV, 14.

Undecimo, palma in sublime assurgit, sed dactylis in humum inclinat. Sic B. Virgo in cælo meritorum verticem ad solium Deitatis erexit, ait S. Gregorius eadem tamen fructus suæ elementariæ in terram inclinat, dum velut mater invocantibus se, opitulatur et succurrit. Id significavit Spiritus Sanctus, Cantic. VII, sponsam, quæ typus fuit B. Virginis, dilaudans: « Quam pulchra es, inquit, et decora, charissima in deliciis! Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris. » Theodoretus legit: *Quam decoru, et quam jucunda est charitas, in deliciis tuis!* Explicat vero hanc pulchritudinem, has delicias charitatis, in hunc modum: « Cum enim excelsa sis adeo, ut cæli fastigium attingas, attamen submittis te infirmis, quibus ubera præbes doctrinæ tuæ. Palma enim fructus pendentis deorsum habet. » Egregium sane charitatis symbolum palma, in sublime assurgens, deorsum tamen dactylis pendentibus onusta; ut quæ Deum intime complectitur, ad utilitatem tamen proximorum sese demittit. Id fecit et facit præ omnibus Sanctis B. Virgo: quia præ omnibus Angelis et hominibus charitate excellit et flagrat.

Hanc parabolam, sive apologum, simili palmæ, olivæ, lauri, mali aurei et ficus apologo, pulchris ex Ethica gnomis, velut corona rosis, intertexto representat Cyrillus lib. I *Apol. moral.* cap. ult.: « Inter laurum, inquit, olivam, malum aureum, atque palmam ficus exorta, cum succedente hieme, illis solida viriditate vigentibus, suis ipsa foliis velut arida nudaretur, non minus mox confusa quam livida, vicinis tetro vultu querulam proposuit quæstionem: Ut quid semper vi-

ridia folia retinetis, et transacto fructu frondes inutiles jam fovetis? Num forte umbratilis apparentia complacet? et spreta substantia cortex mulcet? At illæ prurimum invidentiæ sentientes, spinam verbi, risu patientiæ confregerunt. Tantum igitur ad virtutem loquentibus illis, prima respondit laurus: Ego quippe naturali complexione concalui, et idcirco frigiditate repulsa, in me folium semper vivit. Tunc oliva subjunxit: Nimirum in me humor pinguedinis supererescit, quo exundans radix, suas in perpetuum frondes nutrit. Mox malum aureum aiebat: Solidior substantia me componit; unde in me constans viriditas nunquam perit. Sic et palma tandem addidit: In me folium nunquam exaruit, quoniam moderatum illud germinavi. Denique laurus vice omnium eloquens dixit: Non audistis quare sapiens nunquam ponat clari nominis venustatem? Nimirum quia claritate prudentiæ, pinguedine justitiæ, soliditate constantiæ, puritate modestiæ, semper viget. Seipsum enim dirigit per prudentiam nullum lædit per justitiam, in adversis non deficit per constantiam, et in prosperis non mollescit per temperantiam. Igitur luis virtutum quatuor anchoris in portu sapientiæ ratem figit. Quamobrem nunquam eum mundialis fluctus tempestatis eludit. Quo dicto quieverunt. »

ET QUASI PLANTATIO (Græce *πόσει*, id est *plantatio rosarum*, ut vertit Tigurina; alii, *stirpes rosarum*) ROSÆ IN JERICHO. — Rosa est regina florum et veris purpura; candidat enim ut adamas, rubet ut pyropus. Ad hæc odoris est suavissimi, et in cibis ac medicinis sana æque ac sapida, tam sapore quam vigore cæteris floribus antecellit: unde ex rosis distillatur aqua rosacea, quæ aciem oculorum clarificat et dolores mitigat. Quocirca rosa scarabæum e stercore cui incubat sordentem et foetentem, odore suo necat. Hinc et rosa Græce dicitur *πόσει* a *πέσει*, id est fluere, quod odoris redundantia diffluat, ait Plutarchus. Talis est et sapientia, nimirum purissima, odoratissima et sapidissima. Porro Eucherius in *Form. allegor.* ait rosas esse hieroglyphicum martyrii, Martyresque coronari rosis, ob ruborem sanguinis pro Christo effusi. Rursum, rosa symbolum et corona est virginitatis et virginum, uti dixi *Actor.* XII, 13. Audi rosæ encomia ex Josepho Stephano in *Defensione Rosarii B. Virginis* cap. III. Rosa apud veteres lætitiæ et pulchritudinis est signum, cum inter flores omnes sola purpureo conspicua colore resplendeat, et toto rubentium rutilantiumque foliorum orbe pandatur. Sappho (apud Achillem Tacium) eam florum reginam, terræ ornamentum, plantarum decus, oculum florum, prati ruborem, pulchritudinem coruscantem, terræ risum appellavit. Rosa vero Musas coronari solitas eadem Sappho cecinit, ut lib. II *Pædagogi*, cap. VIII, Clemens Alexandrinus est auctor. Anacreon vetus poeta, qui in rosæ encomiis

Apolo-
rus pal-
mas et
dus.

maximam operam et studium contulit, ita eam laudibus prosecutus est :

Foliis rosa decoris,
Rosa singularis, o flos,
Rosa prima cura veris,
Rosa cœlitum voluptas,
Chariton chorus frequentans.

Et paulo post :

Cum verè patre florum
Socianda laus rosarum.
Rosa flos odorque divum :
Rosa hominum voluptas,
Decus illa Gratiarum.

Olîm enim Gratiis sacram fuisse rosam, ob insignem floris elegantiam, auctor est Pausanias, lib. VI; cum ejus venustas et *καλλιφύλλος* (ut loquitur Anacreon), id est, foliorum decor et ornatus, ipsammet vivam imaginem pulchritudinis exprimat. Aurora quoque, quæ aureo vultu splendens solis faciem reducit, quæ mundum novo pingit lumine, et rutilanti lucis flore spargit omnia, ab antiquis auctoribus Dea rosea, ab Anacreonte *ῥοδοδάκτυλος*, id est, roseis digitis decora, nuncupatur. Præterea veteres Poetæ quamprimum Minervam e capite Jovis prodiisse fingunt, statim nobilem rosarum stirpem editam, matrisque sinu exceptam fabulantur. Constantinus Cæsar lib. XI *De Agricultura*, cap. XVIII, ut rosæ suavitatem exprimeret, e divino nectare in terram effuso eam emanasse testatur. Hæc Josephus Stephanus. Pierius vero *Hieroglyph.* 58, cap. 1: Flos, inquit, hic tam venustus, tam suaveolens, tam pulcher visu, tam suavi odore delectabilis, humanæ sit imbecillitatis hieroglyphicum, ac boni moment nei signum; tam brevis illi vita, tam caducus decor, ut quo die florens vicensque enituerit, eodem ipso defloreat et elanguescat. Hinc elegantissimus poeta, quicumque ille fuit, qui rosam, quæ Maroni adscribitur, celebravit, vel deploravit potius, repentinam hanc jucunditatis rapinam ita lamentatur :

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et, dum nascuntur, consenuisse rosas.

Quantum vero illud habet invidiæ, et acerbæ in rerum naturam querimoniam!

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes juncta senecta premit.

Et inferius: Illud etiam memoratu dignum, quod rosæ simulacrum, bonum significat quod undique circumseptum sit malis, ac proinde voluptates nostras amaritudinis et asperitatis plenas. Nam, ut S. Ambrosius in *Hexaemero* philosophatur, rosam spina sepsit, tanquam humanæ vitæ speculum ostentaret, et quod esse potuit suavitatis, finitimis curarum stimulis sæpe compunctum, amarescere videatur; vallata enim est elegantia vitæ nostræ, et quibusdam sollicitudinibus obsepta, ut

tristitia semper adjuncta sit hilaritati. Quare non illepide Catullus Venerem, quæ jucunditatis hilaritatisque auctor præcipuus habetur, spinosas ait in pectore curas serere. Quod autem rosa et rubet et pungit, affectus amatorii signum esse Placides affirmat, utpote qui sine verecundiæ rubore, et facinorosi criminis exulceratione esse non possit.

Rosam primitus spinis caruisse S. Basilus tradit, postea vero pulchritudini floris additos esse aculeos, ut quod ex voluptate oblectamentum perceperimus, propinquo inde dolore exulcerati, qui ex delicti recollectione emergit, statim amittamus. Cujus rei monumentum spinas tribulosque tellus ipsa nobis passim ostendat. Insuper, sicut spina rosam tætur, sic mortificatio castitatem conservat. Qua de causa S. Benedictus, sentiens tentationem carnis, in spinis se volutavit, illoque dolore noxiam voluptatem exstinxit. Dumetum hoc spinarum visitans S. Franciscus, anno Domini 1222, spinasque exosculans, eisque signum crucis imprimens, miraculo dumetum in rosetum pulcherrimarum rosarum ferax convertit, quæ etiamnum perdurant, multisque ægris sanitatem attulerunt; de quo acute Poeta :

Virgineum sepiet florem Benedictus acutis

Vepribus, et proprii rore cruoris alit.

Hinc dumeta novas tanto fecunda liquore,

Franciscique manu culta tulere rosas.

Falsa quidem roseo cecinere e germine Vates,

Sed latuit salso carmine vera fides.

Scire cupis rosei flos exeat unde pudoris?

Sola rosas potuit gignere puncta Venus.

Ita Waddingus in *Annal. Minorum*, anno Christi 1222, num. 5.

Jam, quod comparat sapientiam rosæ in Jericho, significat Jerichuntis rosas fuisse excellentiores cæteris, sive specie et rubore, sive odore (Jericho enim Hebraice *odorcm*, vel potius *expirationem odoris* notat; unde ab ea dicta videtur urbs Jericho), sive magnitudine, sive altitudine; nimirum roseta ibidem excrevisse in arbores, vel certe in arbusta. Rosam enim hic collocat Siracides inter cedrum, cypressum, palmam et oleam, quæ omnes sunt arbores. Forte etiam rosæ Jerichuntis alterius ab aliis fuere speciei et generis. Certe Saligniacus, tomò IX, cap. VI, scribit prope fontem Jericho, quem ex salso dulcem reddidit Elishæus IV, *Reg.* II, in spinosis arboribus pulcherrimos nasci flores, quas rosas Jerichuntinas vocant, illasque id habere gratiæ, ut nocte Natalis Domini sese aperiant, postea se concludant, licet siccæ sint et aridæ, in testimonium Virginei partus, ut credere licet, ait Adrichomius in *Descript. Terræ sanctæ*, in *Fonte Elisei*.

Sic rosa Chinensis arbor, vel potius arbustum est, foliis similis ficui, carens spinis, quæ rosam profert similem nostræ colore; sed ita ut primum albescat, deinde sensim tota in rubrum scse con-

S. Fran-
ciscus
spinas
vertit in
rosas.

2507
10207
12000
12000

vertat. Vidimus eam e China Romam translata, ibidem hoc anno jubilæi 1625, in decembri sub Natalem Domini cum stupore intuentium florentem, rosasque proferentem primo candidas, mox rubeas et purpuras. Mirum est quod de ea hoc anno in lucem edidit noster P. Joannes Baptista Ferrarius Senensis, Hebraicæ linguæ in Collegio Romano professor, qui primus semen ejus e China acceptum, Romæ sevit, educavit, arborescens florensque hoc anno effecit, uti oculatus sum testis; illam enim cubiculo meo oppositam, imo appositam quotidie specto. Sic ergo ipse in oratione 25, cujus titulus: *Ætas florea*, rosam Chinensém pingit: « Videas frondibus, magnitudine ac forma pampinus imitantibus investitam, e smaragdino dehiscentis calicis conclavi, multiplici foliorum syrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipsius formosa discrimina quotidie sic æmulantem, ut initio quidem candidam, deinde ex candida rubentem, postremo saturo colore purpuream, hoc est simul aliam, simul eandem admireris, et quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad florum reginam, quæ tanquam sol alter, variæ fuce lucis diem coloret, colorum principes vicissim accedere tributarios. »

Porro errant qui rosam Jericho censent esse amomi speciem, quos recenset et confutat Matthioli in *Dioscor.* lib. I, cap. XIX: « Omnino, ait, explodendi sunt, qui pro certo asserere non verentur eam stirpem esse amomum, quam Jerichuntam, a Jericho Palestinæ oppido, appellant. Plantam hanc plerumque ad nos e Jericho deferunt ii qui ad sanctissimum Redemptoris nostri Sepulchrum peregre proficiscuntur. Ea enim est quam nostrates mulieres rosam divæ Mariæ vocant. Constat hanc amomum non esse quod folia albæ vitis non proferat, nec ullo spiret odore. Legitimum enim valde odoratum est, adeo ut nares feriat primo statim occurso, organumque recipiat. Cordus, libello *De Conficiendis pharmacis*, satis inconstanter de amomo disseruit; quippe in compositione aureæ Alexandrinæ pro certo asserit amomum verum esse rosam Jerichuntis; in compositione vero theriacæ sui ipsius oblitus, habere nos amomum negat. Utuntur Jerichunta nostrates mulieres, tempore partus, ad investigandam pariendi horam; quandoquidem (ut ipsæ fatentur) in aquam demissa, non prius fatiscit, quam fœtus nasci incipiat. Tanta inter Christicolos irrepsit superstitio! » De rosa Jerichuntica scripsit insignem librum D. Joannes Sturmius, philosophiæ ac medicinæ in Academia Lovanensis doctor.

Pro plantatio rosæ Syrus vertit *קרבת ורדא arbat vardo*; quam vocem si divides, idem est quod planta vel plantatio rosæ, uti habet Noster et Græcus; sin conjunctim legas, et quasi unam dictionem accipias, significat buphthalmum; itaque Syri legunt, unde vertunt, et sicut buphthal-

mus in Jericho; adduntque: Buphthalmus est planta quædam quæ germinat secus decursus aquarum, et habet flores sicut rosa (idem apparet in icone buphthalmi quam exhibet Clusius, lib. III *Histor. plant.* cap. XXX) et appellatur vulgarter apud Arabes *arbor Mariæ*. Dicitur buphthalmus per crasin, quasi *βόδις ἐρραλμὸς*, id est bovis oculus, quod illi sit similis; sicut *buglossa* dicitur quasi *βόδις γλώσσα*, id est bovis lingua, quod illi herba hæc assimiletur. Unde Plinius, lib. XXV, cap. VIII: « Est et buphthalmos, inquit, similis boum oculo, folio fœniculi, circa oppida nascens, fruticosa caulibus, qui et manduntur decocti. Quidam cachlam vocant. Hæc cum cera scirrhomata discutit. »

Mystice, rosa in Jericho est B. Virgo in sublunari hoc orbe (*Jericho* enim Hebr. *lunam* vel *odorem* notat): omnia enim encomia rosæ, jam data, multo aptius conveniunt B. Virgini, quæ ornatissima sua pulchritudine et dignitate omnem mundi splendorem vincit. Ipsa enim est aurora rosea, virtutum gratia simul pulcherrima et uberima, æque ac splendidissima ac fulgentissima, quæ umbris depulsis novum lumen edidit mundo, *Cant.* cap. VI, 9. Ipsa est, quæ post longam peccati, tristitiæ et desolationis hiemem enata, novum ver gratiæ, lucis et consolationis mundo attulit. Quocirca in Dominica *Latare*, quæ sub festum Annuntiationis B. Virginis occurrere solet, rosa a Pontifice Romano benedicitur, tanquam lætitiæ gaudiique prænuntia (ut ait Innocent. III, sermone hac de re edito), ut inde omnes agnoscant novam prolem, et propagationis spiritualis sobolem editam in Ecclesia, cum scilicet ipsa purissima Virgo lætitiæ et exultationis florem, ornamentum humani generis, et totius orbis auctorem in se concepit et corporavit. Insuper, rosa verecundiæ et virginitatis insigne, quam nisi Virginem virginum denotat? Sane Columella, lib. X, rosam florem pudicitæ plenum nuncupat. Ad hæc, odorata est rosa, et odore diffuit. Quis vero in Maria virtutum omnium quasi odoramentorum fluxum non sentit? quis eo non trahitur, et suavitate non allicitur? quis in illius unguentorum odorem non currit? Etenim per eam maximum odorem notitiæ suæ Christus manitestat in omni loco (ut ait Paulus, II *ad Corinth.* II) divinitatis thymiana, amomum, muscum et omnem pigmentorum exquisitam elegantiam effundit et efflat, et quasi balsamum aromatizans odorem suavitatis emittit, floribusque Paradisi (ut ait S. Epiphanius) totum mundum exornat; adeo ut merito rosa Jericho fuerit appellata.

Quare B. Cyrillus Alexandrinus, orat. *Contra Nestorium*: « Hæc est Virgo, inquit, per quam sancta Trinitas in universo orbe glorificatur et adoratur, per quam cælum exultat, per quam Angeli et Archangeli lætantur, per quam demones fugantur, per quam tentator diabolus cælo decidit, per quam prolapsus plasma in cælum

Buphthalmus quis?

B. Virgo est rosa in Jericho.

Rosa Jericho an amomum?

denuo subvehitur; per quam universa creatura, idolorum vesania detenta, ad veritatis cognitionem perducta est; per quam sanctum Baptisma obligit credentibus, per quam exultationis oleum consecratur, per quam toto terrarum orbe fundata sunt ecclesiae, per quam gentes adducuntur ad poenitentiam; per quam, ut paucis absolvam, unigenitus Dei Filius iis qui in tenebris et umbra mortis sedebant, lux resplenduit; per quam Prophetae futura praenuntiarunt, per quam Apostoli salutem gentibus praedicarunt, per quam mortui exsuscitantur, per quam reges in sancta Trinitate regnant. » Unde eleganter Sedulius, lib. II *Carm.* alludens ad rosam, quam S. Basilius et S. Ambrosius in *Hexam.* censent initio mundi creatam sine spinis, post peccatum vero spinas induisse, ita canit :

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod laedat habens, matremque obscurat honore;
Sic Eva de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquae facinus nova virgo piavit:
Sicut spina rosam, genuit Judaea Mariam.

Hinc B. Hermannus Joseph, mire B. Virgini devotus et familiaris, eam nuncupare solebat rosam suam, nec sine causa. Nam quadam vice ab illa visitatus, et caelesti consolatione perfusus, vidit ab ea per cubiculum suum spargi perplures fragrantissimi odoris rosas, quas ipse reverenter colligens pretioso in calice collocavit. Unde ipsa crebro eum visitans, consolans, et familiariter colloquens, ipsum suum fidelem amicum, sacellarium, quin et sponsum appellare solebat. Quadam enim nocte apparens eidem specie pulcherrima, comitata Angelis, Angelorum unus dexteram Hermannii apprehendens et manui B. Virginis copulans, his verbis eam illi despondit : « Hanc ego Virginem tibi trado sponsam, sicut fuit olim desponsata Joseph, ut nomen sponsi pariter cum sponsa accipias, et de caetero Joseph vociteris. » Hoc et plura exstant in Vita ejus apud Surium, die 7 aprilis, quam ejus familiaris amicus, vir gravis, conscripsit.

Rosa igitur B. Virginis venustatem, dignitatis item et gratiae suaveolentiam, cum puritate vitae, charitatis ardore morumque suavitate conjunctam, nobis exhibet. Unde Damascenus, orat. 4 *De Nativitate* : « O rosa, inquit, quae ex spinis, id est Judaeis, orta es, ac divina fragrantia omnia perfudisti. » Atque hac de causa B. Virginem, quasi rosam caelestem, fideles rosario (cujus auctor et propagator fuit S. Dominicus) sive corona, centies et quinquagies iterando Salutationem Angelicam, honorant.

Similes rosae mysticae sunt virgines Dei amore flagrantes, quae magnae Dei matris asseclae, eam salutationum et laudum suarum rosariis coronant. Talis Siculae Jerichuntis rosa emicuit B. Rosalia virgo, cujus sacras corporis exuvias Deus optimus maximus hisce diebus, quibus haec scribo,

post quingentorum fere annorum latebras, miraculorum multitudine et gloria coruscantes ad salutem Siciliae totiusque Italiae, mire patefecit; dum per eandem communem pestis luem omnia populantem stitit et sustulit. Quocirca Illustriss. Dom. Archiepiscopus, ac senatus populusque Panormitanus illas publicis colendas honoribus exposuit, anno Jubilaei 1625. Inventum fuit virginis corpus in Erectae montis specu, lapideo cortice circumseptum. Humor enim frigidi loci nativus depositum Rosaliae corpus circumfluens, ac temporis diurnitate conglaciatus, crystallinam velut arculam, pellucidumque velut sarcophagum eidem conformaverat. Perinde quasi satis patrio monti non fuerit se totum ad civem atque alumnam suam tumultandam addicere, nisi suas etiam lacrymas, e supercilio jugi guttatim expressas, ac rigido pene dolore gemmantes, instillasset ad eandem tumulo illustriore condendam, imo pandendam; ut non tam in sepulcro jacens Rosalia videretur, quam lucens in crystallo rosa. Nata est B. Rosalia ex illustri stirpe, quae cum regibus Siciliae e manu Maurorum liberatoribus affinitatem contraxerat, Panormi, in urbe praenobili, quae tota potest, ut notatur ex nomine (Panormus enim Graece portus est et monile, quale portus hic inter alia dedit beatam Rosaliam). Parentem habuit Quisquinam et Rosarium (est regio Siciliae ita dicta, quod quovis anni tempore rosis vernet) principem Sinibaldum. Neque enim alibi nasci caelestis haec rosa debuit, quam in terrestrium principatu rosarum. A teneris se Deo dedit, ac velut rosa calyculum mentis ad radios Solis divini exorientis explicuit. Vix aulam aspexit, cum eam exaggerata voluntate despexit. Rosae videlicet, ut imitabatur nomen, sic admonebatur exemplo. Rosa enim veram dat tragediam mundi vanitatum indicem, cum unius diei spatium flos regius et foliorum syrmate purpurascens, mox iis languidis et concidentibus ad terram prostratus, misere devolvatur; floris cadaver, ventorum ludibrium, calcantium pedum opprobrium. Hoc meditans B. Rosalia, mundi pompas et regales nuptias aspernata, paternam et regiam deserens domum, in maxime desertam ditionis suae partem iter sola suscepit; sed viae comites habuit Angelos. In monte specum sibi virgo delegit, et quasi speculam, e qua confinenter ad tutelam virginitatis excubaret; utque ipsos lapides haberet officii monitores, in eadem spelunca susceptae vitae propositum lapidi inscripsit, his verbis : EGO ROSALIA, SINIBALDI QUISQUINAE ET ROSARUM DOMINI FILIA, AMORE DOMINI MEI JESU CHRISTI, IN HOC ANTRO HABITARE DECREVI. Hic herbarum radicibus et rore caelesti victitans, totam se dedit orationi, lectioni, meditationi, jejuniis, penitentiae, flagellis, ciliciis, ac cruce et Christum crucifixum semper in oculis, semper in mente habebat; cujus in aspectu Rosaliae transfigebatur cor. ut amoris jaculo sauciata, sanguine

Siciliam
peste li-
berat.

Ejus no-
bitas,
-it de
-e sub
-e sub

B. Her-
mannus
desponsatus B.
Virginis.

B. Rosa-
liae elo-
gia.

Seredit
in solitu-
dinem.

Pia eius
exerci-
tia.

cordis, lacrymas per oculos, amoris vulnera, profunderet. Hic Rosalia instar rosæ purpuream se Christo suo pinxit, flagello usa pro penicillo, cruore pro colore. Hic ab Angelo modum orandi edocta, rosarium precum ad numerum globulorum decurrens, tot rosas quot preces, per Angelum ad Christum et Virginem Deiparam coronandos, in calathis transmisit. Post mortem inventi sunt globuli precarii circa pectus et inter ipsius digitos, quibus coronam laudum magnæ Dei Matri supplex offerebat. Quare vicissim varia ab Angelis obsequia, et florum munera recepit. Ac tandem sub mortem a Christo Domino in gremio matris, quasi in thalamo regali consistente et blandiente, modulantibus Angelis, corona ex auro et rosis coronata, assistentibus SS. Ecclesiæ principibus, Petro et Paulo, quasi ad cælestes Agni nuptias invitata, dormientis in morem componens sese, sola in antro peregrini montis, Angelis notissimo, hominibus inaccessis, roseam et virginem in manus Christi Domini efflavit animam; atque Angelo duce, rosas etiam redimito, ad cælestem sponsi thalamum deducta, in æternum regnat et triumphat. Constans est fama corpus ejus, instar S. Catharinæ, angelico ministerio sepultum; quod et immane integrumque saxum, cui undique inclusum, conclusum et oclusum fuit (omnem naturæ hominumque vim et artem superans) reipsa proclamavit. Exstant hæc omnia in tabulis et picturis Siciliae pervetustis, atque exinde in iconibus Romæ approbatis, et in ære incisis affabre exsculpta, indeque impressa anno elapso, qui fuit a partu Virginis 1627. Saxo ergo ejus sepulchrali hoc epitaphium inscribas, quod Martialis apud inscripsit lib. I, *epigramm.* 93 :

Et latet et lucet Phaetontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum;
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Ver. 19. 19. QUASI OLIVA SPECIOSA (Græce *εὐπρεπής*, id est *decora*) IN CAMPIS. — Syrus, *sicut oliva nutrita fuit in campo*; Vatablus, *ut elegans oliva, et ut platanus ab aquis excellit*. Oliva speciosa est tum caudice, tum fronde semper virenti, tum maxime fructu, ex quo exprimitur oleum, quod, ut ait S. Bernardus in illud *Cant.* 1 : « Oleum effusum nomen tuum; lucet, pascit et ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina. Vide idem et nunc de sponsi (Christi) nomine. Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. » Quæ sigillatim deinde explicat, et fuse prosequitur serm. 15 in *Cant.*

Recte ergo sapientia comparatur olivæ et oleo, quia oliva symbolum est *primo*, misericordiæ; *secundo*, pacis; *tertio*, victoriæ; *quarto*, mansuetudinis; nihil enim lenius et tranquillius oleo; unde Joannes Sinæ monachus : « Velut uter oleo repletus, fluctuum rabiem in serenitatis tranquillitatem commutabat; » *quinto*, hilaritatis et lætitiæ;

sexto, spei; *septimo*, nitoris; *octavo*, pinguedinis; *nono*, æternitatis. Vide plures analogias inter oleam et sapientiam, interque oleum et sapientes sanctosque, quas recensui *Genes.* VIII, 11; *Zachar.* IV, 11, et *Apocal.* XI, 4. Hinc celebris illa corona nobilis, quam hoc carmine expressit Poeta :

E lauro, quercu, ac olea duce digna corona,
Prudentem, fortem pacificumque decet.

Hæc omnia mystice adaptes B. Virgini, quæ recte dicitur oliva speciosa, idque in campis, tum quia omni tempore et loco, ac pro omni morborum genere, quasi mater misericordiæ, omnibus eam invocare volentibus, ad opitulandum est exposita; tum quia nobis viatoribus tentationum æstu, tanquam solis ardore afflictis, in campis apertis, ubi similes arbores desunt, opatum suo umbraculo præbet refrigerium; tum quia Deipara est veluti campus absque colono, quia sine viri opera Christum genuit, eumque omnibus accedentibus exposuit. Unde ipse ait *Cant.* II : « Ego flos campi. » Tum denique, quia ipsa B. Virgo campus est virginitalis, omnibus ad eam necessitatum suarum causa recurrentibus patens et apertus, æque ac frugifer et salu-
tifer.

Denique olea est sapientiæ et castitatis symbolum; unde olea Palladi sive Minervæ erat sacra; vera autem Pallas est B. Virgo. Audi Pierium *hierogl.* 53, cap. XVI : « Quod vero pertinet ad Minervam, quæ inuupta, quæ virgo perhibetur, merito ea sibi olea asciscit, cum puritate pudicitiaque non minus olea, quam Minerva delectetur. Græci enim, ut Rutilius Taurus ait, jubent olivam, cum plantatur et legitur, a mundis pueris atque virginibus operandam; credo, inquit, recordati, arbori huic esse præsidem castitatem. Florentinus quoque, lib. *De Re rustica*, adeo puram esse oleam tradit, ut collectores etiam non nisi puros amet, qui cum ad olivationem accedunt, jurant se non aliunde quam ab uxore sua venire; ita fieri ut anno insequenti uberiorem proventum exhibeant. Præcipue vero aiunt Anaxarbi, quæ Ciliciæ est civitas, oleas esse fecundissimas, quoniam a castis tantummodo pueris colantur. » Hæc Pierius; quæ tamen cum grano salis accipienda sunt, ut a superstitione Gentilium caveamus.

Memorable est quod scribit auctor *Histor. plantarum* in olea, glyeyrizam (vulgo regalizia, sive lignum dulce), si oleæ adhaerescat, et circa ejus stipitem radices agat, oleam sensim emori et enecari; sic si castitas versetur in deliciis, ab eis enecatur et suffocatur. Rursum, olea ex se insipida et agrestis, fit sapida et edulis, si sale et aceto maceretur; ita sapida fit stabilisque castitas, quæ sale et aceto mortificationis perfricatur et maceratur. Denique oleæ, ut fundant oleum, multis pistilli ictibus contundi debent; sic car-

ab Ange-
lis edoc-
ta.

ab his-
dem se-
pulta.

Sapientia
similis
olivæ
et no-
væ ana-
logias.

Sic et B.
Virgo.

Olea ty-
pus vir-
ginitatis.

nem jejuniis aliisque austeritatis modis contundas oportet, si ex ea oleum puritatis et virginitatis, Deo et Angelis gratæ, exprimere destinas. Hæc ergo tua sit Carthusia, uti fuit S. Pauli I Cor. cap. IX, vers. ultim. « Castigo, inquit, corpus meum, et in servitutem redigo. » Vide ibi dicta.

Sapientia similis platano, cur?

ET QUASI PLATANUS EXALTATA SUM JUXTA AQUAS IN PLATEIS. — SYRUS, nutrita fui sicut platanus super aquas; Græca, ut platanus ab aqua evecta, vel exaltata sum. « Platanus » ἀλάτος, id est latitudine, dicitur, eo quod late ramos et folia expandat, quibus umbram in æstu solis viatoribus et advenis præbet gratissimam; adeo « ut gentes vectigal pro umbra pendant, » ait Plinius, lib. XII, cap. 1; hinc aquas adamat, quia ad tot tantosque ramos et folia alenda, multo humore indiget. Rursum, platani folia arcent vesperiliones, ait Pierius hierogl. 23. Insuper iisdem nido impositis, ciconiæ ab ovis pariter et pullis arcent noctuas iis noxias et exitiales, nimirum arbor genialis opponit se aliti lethali; noctuæ enim foliorum platani contactum non ferunt, sed ex eo illico in torporem illabuntur, et quasi obstupescunt, ait ex Eliano Pierius hierogl. 17, cap. VII. Vide quæ de platano dixi Ezech. XXXI, 8.

Similem umbram, refugium et refrigerium in omni ardore persecutionis, tribulationis, tentationis, æque ac iræ et vindictæ divinæ, ad se confugientibus præbet Sapientia et Christus, juxta illud: « Sub umbra illius quem desideraveram sedi, » Cant. II, 3. Et: « Sub umbra alarum tuarum protege me, » Psal. XVI, 8. Et: « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicit Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus, sperabo in eum. Scapulis suis obumbrabit tibi, » Psal. XC, vers. 1. Idque facit in plateis, id est, in viis latis hujus mundi, puta, in conversatione cum tam vario tamque dissoluto et difficili hominum genere, ubi major est umbræ et refrigerii necessitas.

Sic et B. Virgo.

Rursum, platanus repræsentat B. Virginem. Nam platanus patulis diffunditur ramis, habet folia instar scutorum et peltarum; sic B. Virgo est quasi platanus, patulis diffusa ramis, quibus universos homines abscondit et protegit; perfugium est, protectio, scutum et asylum omnium ad se confugientium. Nulla est tentatio, nulla calamitas, nullus labor, nullum periculum, nullus hostis, contra quem B. Virgo validissima scuta peltasque, opem suam implorantibus, non suggerat et suppeditet.

Porro, perperam nonnulli hæc aliter dispungunt, ac in plateis referunt ad sequens, cinnamomum et balsamum, dum sic legunt, in plateis sicut cinnamomum et balsamum odorem dedi. Nec enim cinnama et balsama in plateis, sed in hortis nascuntur.

Vers. 20. 20. SICUT CINNAMOMUM ET BALSAMUM AROMATIZANS ODOREM DEDI. — Pro balsamum aromatizans, Com-

plutenses legunt ὡς πάλανος, id est, sicut pila vel massa aromatum; alii, ὡς παλάθη, id est, sicut massa carycarum vel ficuum aridarum. Ita Vatablus. Melius Romana et cætera Græca legunt, ἀσπάλαντος ἐρωμάτων, id est aspalathus aromatum, id est aromaticus, quia pro ὡς παλάθη, per diastolen duarum vocum, legunt per systolen, unica voce, ἀσπάλαντος. Unde Tigurina, in modum cinnamomi et aspalathi odorem spiravi aromaticum; Syrus, sicut cinnamomum et thymiana, et myrrha electa suavem reddidi odorem meum. Quocirca pro balsamum hic in Latino legendum esse aspalathus, vel aspalathum, censent nonnulli, tum quia ita legunt Græca et nonnulla Biblia Latina manu scripta, ac disertè Rabanus, Jansenius et Lyranus qui legunt aspalthum: quod non intelligentes ii qui Biblia olim descripserunt, pro aspalthum videntur scripsisse balsamum tum quia balsami mox mentionem faciet Siracides versu sequenti.

Porro, aspalathus arbor parva, vel potius arbustum est, redolens, præsertim apparente iride, uti tradit Plinius lib. XII, cap. XXIV (cujus verba ex Rabano mox recitabo), et Aristoteles in Problem. sect. 12, num. 3, ubi et hujus rei causam indagat. Quod apte congruit ad litteram Sapientiæ, ac mystice B. Virginis et Sanctis. Iris enim symbolum est misericordiæ et gratiæ Dei, a quo omnis sapientiæ decor odorque dimanat. Rursum, iris symbolum est incarnationis Christi; hæc enim est quasi arcus cælestis habens duo cornua, id est, duas naturas, divinitatem scilicet et humanitatem, uti septem analogiis ostendi Genes. IX, 13. Ab incarnatione autem Christi omnis B. Virginis nostraque sapientiæ et sanctitatis derivantur. Quare, licet illa ante Verbi conceptionem et incarnationem plena esset gratia, uti salutata est ab Angelo, tamen mox ubi Verbum in se concepit et corporavit, quasi plena Deo mirabiles sapientiæ et sanctitatis odores et ardores in Judæa, ac deinde per universum orbem sparsit.

Aspalathus quis?

Secundo, Dioscorides aspalatho has dat virtutes lib. I, cap. XIX: « Aspalathus, inquit, multis spinis horrens, vim calefaciendi cum astrictione obtinet. Unde decoctum cum vino ad tetra oris ulcera colluenda convenit, ad nomas genitalium et sordida ulcera infunditur; subjectum in pessa, partum extrahit. Alvum sistit ejus decoctum, et sanguinis rejectionem potu cohibet, urinæ difficultatem inflationesque discutit. » Galenus, lib. VI Simplific. medic. : « Aspalathus, ait, gustu quidem acris, simul et astringens est; facultate vero ex dissimilibus constat, nempe partibus sui acerbis excalefaciens, partibus vero aliis, austeris scilicet, refrigerans. Itaque utriusque ratione desiccatur, et proinde ad putredines et fluxiones est utilis. » Insuper pharmacopœi aspalatho utuntur ad theriacam, ut eorum peritissimi Romæ mihi asseruerunt, ac ipsum aspalathi lignum mihi exhibuerunt; quod sane odorem habere gratum, sed masculum deprehendi. Simili modo Sapientia

Ejus virtutes.

omnes fluxus concupiscentiæ motus omnesque animæ putredines desiccat, contraque omnes venenatas diaboli suggestiones theriacam et antidotum dat præsentissimum.

Sed audi Rabanum, hunc locum egregie, tam litteraliter quam tropologice, explicantem : « Sicut cinnamomum, inquit, et aspalathum aromatizans odorem dedi : Cinnamomum et aspalathum aromaticæ arbores sunt. Nam cinnamomum dictum, quod cortex ejus in modum cannæ sit rotundus et gracilis, gignitur in Indiæ et Æthiopiæ regionibus, frutice brevi, duorum tantum cubitorum, colore subnigro vel cinereo tenuissimarum virgarum. Nam quod in crassitudinem extenditur, despectui est; quod vero gracilius provenerit, eximium : quod cum frangitur, visibile spiramentum emittit ad imaginem nebulæ seu pulveris. » De aspalatho vero Plinius Secundus ita refert : « In eodem tractu aspalathus nascitur, spina candida, magnitudine arboris modicæ, flore roseo, radix ejus unguentis expetitur. Tradunt in quocumque frutice curvetur arcus celestis eandem, quæ sit aspalatho, suavitate odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem quamdam : quidam eum Erysisceptrum vocant, alii sceptrum. Ejus probatio est in colore rufo vel igneo, tactuque spisso, et odore castorei. Permutatur in libras quindecim. »

Subjicit Rabanus tropologiam, dicens « Hæc ergo duo arbusta, pro sui brevitate a quibusdam inter herbas deputantur odoriferas; quæ recte pro ipsa brevitate, humiles spiritu quorum est regnum cælorum, significant : qui, quasi purpureo vestiti colore, semper Dominicæ sunt passionis memores, semper ipsi ad patiendum pro Domino parati, qualis erat qui ait : Quoniam propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Nam et hæc est virtus, quæ maxime inter nos animorum motus ac lascivias, quasi viscerum dolores castigare ac tollere consuevit. Cum, recogitantes quid pro nobis passus est Deus, minus nos pati quam meremur cognoscamus. Bene ergo junguntur cinnamomum et aspalathum; quia Dominicæ passionis sacramento, nostræ conversationis conformari debet status; ut juxta Joannis sententiam, sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita et nos discamus pro fratribus animas nostras ponere. Nam quod cinnamomum coloris subnigri vel cinerei esse perhibetur, animis congruit humilium, qui fragilitatis propriæ conscii, quotidianis in precibus Deo dicere norunt : Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Et iterum : Ipse me reprehendo, et ago penitentiam in favilla et cinere. Quod autem aspalathum spinæ candidæ similitudinem habet flore roseo, significat quod dolorem passionis Dominicæ in nostra conversationis angustia quotidie debemus imitari, juxta illud Evangelicum : Qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie,

et sequatur me. Quod autem radix ejus unguentis expetitur, significat humilitatem Christi, omnium virtutum odorem commendare, et ad suavitatem æternæ dulcedinis electis Dei redundare. »

Porro, moderni medici et physici de aspalatho dissident. Aliqui enim censent aspalathum esse sandalium rubrum, quos refellit Matthioli in locum citatum Dioscoridis. Ibidem Amatus et Ruellius censent aspalathum esse lignum Rhodium, ex quo globuli precatorii conficiuntur : Matthioli et Cornario planta est ignota. Verum, quia Biblia omnia impressa, etiam a Romanis emendata, constanter legunt, sicut cinnamomum et balsamum, non, aspalathum, itaque pariter legit Ecclesia in Officio Ecclesiastico B. Virginis, omnesque cæteri Doctores et Interpretes; hinc hanc quoque lectionem explicandam, imo retinendam censeo. Igitur, postquam Siracides comparavit sapientiam tribus arboribus majoribus, odoratis et præstantibus, scilicet cedro, cupresso, palmæ, nunc eandem comparat tribus minoribus arbutis, sed magis odoratis et præstantibus, quorum quodque est aromatizans, id est, aromaticum odorem, quin et ipsum aroma ex se diffundens. Frutex enim cinnamomi fundit aroma cinnamomi, frutex balsami fundit opobalsamum (cum aspalathus nullam det resinam vel aroma), frutex myrrhæ stillat myrrham.

Porro, cinnamomum inter aromata delicatissima numeratur, adeo ut veteres finxerint illud in nido phœnicis nasci, teste Plinio, lib. XII, cap. XIX. Odorem habet suavem, sed pariter delicatum et subtilem : quocirca aliis aromatibus, ut nardo, myrrhæ, etc., misceri solebat. Unde Martialis, lib. IV, epigramm. 13 :

Jam bene rara suo miscentur cinnama nardo.

Et Ovidius, *Metamorph. XV* :

Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha.

Insuper Galenus, lib. *De Antidotis* : « Optimum, inquit, cinnamomum dignosces, si sit odoratissimum, et indicibilem quamdam odoris gratiam super alia aromata referat.

Cinnamomum dicitur quasi canna amomi : cannæ enim, vel calami speciem habet : unde Hebr. vocatur קינמון *kinnamon*, a קנה *cane*, id est canna. Ab Hebræo autem *kinnamon* Græci, Latini cæterique vocarunt *cinnamomum*. Quare minus vere Garcias ab Horto, lib. I *Aromatum historicæ* cap. XV, *cinnamomum* censet dici quasi *Chinensium amomum*, eo quod mercatores Chinesenses ex Zelandi insula (ea enim optimum fert cinnamomum) illud in alias oras deveherent et venderent : unde Persæ illud vocant *Darchini*, id est lignum Chinense.

Balsamum vero inter aromata excellit : unde vocatur *aromatizans*; Tigurina, *aromaticum*, id est fragrans, non tantum odore, sed et aromate ex

Applican-
tur hu-
militati
et pa-
tentiæ.

Genes.
xviii.
Job. xlii.

Lucæ ix.

Cinno-
momum
quale ?

Balsamum, quale?

eo stillante : stillat enim opobalsamum; *ἔνος* enim succum significat, *g. d.* succum balsami. Audi Plinium, lib. XII, cap. XXV : « Omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terræ Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, etc.; viti similior est quam myrto; folium proximum rutæ, perpetua coma. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis, succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, eximie suavitatis, sed tenui gutta. »

Audi et Brocardum, Saligniacum, Bredenbachium, et ex iis Adrichomium, in voce *Engaddi*, ubi nascitur balsamum : « Sunt, inquit, balsama arbusculæ, uni omnium terrarum Judææ quondam concessæ, quas vineas Engaddi Salomon in Canticis nominat; quarum frutices, si acuto vitro, lapide, osseisve cultellis incidantur, stillant succum pretiosissimum, eximie suavitatis, quem opobalsamum vocant, præferturque omnibus odoribus. Hunc hortum, seu vineas balsami, tempore Herodis magni, Cleopatra Ægypti regina, concedente Antonio, vel amatore, vel marito, invidens tantam felicitatem Herodi, transtulit in Ægyptum, ubi irrigatur a fonte parvo, uberrime tamen fluente, in quo fama est sæpe lotum a B. Virgine puerum Jesum, adeoque ex eo potum sibi et sponsæ suæ sanctum Joseph paravisse, cum in Ægypto esset; atque ideo ab incolis in veneratione et cultu haberi maximo. Sunt tamen adhuc surei quidam balsamorum in monte Engaddi, sed nullius cultus, nullius proventus : videlicet, hoc est justitiæ Dei justissimum iudicium, qui sese ulciscitur de peccatoribus et persequentibus nomen suum, ut quoniam Herodes olim balsami possessor, puerum Jesum persequeretur, Jesus fugiens in Ægyptum, post se traxerit balsami hortum. » Et inferius : « Messis balsami talis est : decerpitur folium ex stipite contra solem, maxime gutta lucida et mire fragrans scaturit ex ruptura; et hic balsami pretiosissimus liquor vitreis vasis colligitur, minime fluxurus nisi ad ortum solis fiat ruptura. Fonticulus autem Jesu parvulus est, non sufficiens irrigationi totius horti : quare Saraceni alium foderunt juxta illum puteum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt per rotam, sperantes ex vicinitate fontis Jesu aquam fore salubrem; at longe aliter res evenit, donec missis canalibus, aquam putei ducerent in fontem Jesu. Quo facto, largiter et salubriter ex aquis mixtis rigatur balsami hortus. Mirum dictu! Verumtamen a meridie sabbati usque ad auroram diei lunæ, boves nullo verberare impelli possunt, ut in protrahenda aqua laborent : quod est fidei nostræ testimonium celebre. Sed et Saraceni hic se et pueros suos lavant, non ut baptizentur, sed ut corporum suorum foetorem naturalem evadant. » Hæc Adrichomius.

B. Virgo sicutis Balsamo.

Hinc patet quam recte sapientia, sapientes et sancti, ac imprimis B. Virgo, comparetur cinnamomo et balsamo. Nam *primo*, balsamum pro-

prium fuit Judææ, sed inde delatum et celebratum per totum orbem; sic et B. Virgo nata, educata, vivens et defuncta in Judæa, sui odorem et famam sparsit per totum mundum. Eadem, sicut ex Judæa fugiens Herodem, balsamum secum traxit in Ægyptum; ita et veram Dei cognitionem cultumque, puta Christianismum, ipsa a perfidis Judæis transtulit ad Ægyptios cæterasque gentes.

Secundo, balsami odor virtutem habet masculam et fortem : quocirca balsamum velut virile et generosum, reliquisque unguentis præcellens, visis adhiberi solebat, cum feminis daretur amomum Assyrium, aliaque id genus delicata unguenta, juxta illud Martialis, lib. XIV, *epigram.* 54 :

Balsama me capiunt, hæc sunt unguenta virorum ;
Delicias Nini vos redolet nurus.

Hinc sacramenti Confirmationis, quo perfecte christiani efficitur, unguimurque quasi milites et athletæ Christi ad pugnam contra diabolum, carnem et mundum, materia est chrisma, quod fit ex oleo et balsamo : ut scilicet christiani confirmati, memores jucundi odoris qui e balsamo efflatur, vitæ sanctitate, morumque suavitate cæteros omnes ad vitam Christianam virtutisque studium pellicere satagant.

Rursum Christi caro in Eucharistia est quasi balsamum, balsamans (ut ita dicam) corpora nostra, ut resurgant ad vitam immortalem : de qua re vide S. Joannem, cap. VI, vers. 50, 55, 58. Simili modo virtutum Deiparæ fragrantia nil habuit molle vel effeminatum, sed virilis fuit et mascula, ipsa enim fuit virgo, imo virago, quæ non tantum feminas, sed et viros fideles in sui admirationem et imitationem rapuit, ut dicerent : « In odorem unguentorum tuorum curremus, » *Cant. I.*

Tertio, quod balsami arbor (ut recte annotavit noster Spinellus *De Deipara*, cap. XXI) non cultro ferreo, sed osseo ac lapideo, et vitro incidatur, et (ut quidam dicunt) ea parte quæ respicit solem; inde vero fluat balsamum candidum, quod deinde rubescit et durescit. Hoc etiam Deiparæ aptari potest, quæ Christum, solem justitiæ, aspiciens, eumque penitus in se excipiens, non ferri materialis sectione, sed filii compassionem, qui lapis est angularis, et speculum sine macula vitreum, verisque ossibus constabat; transigebatur, mittebatque non sanguinem, sed lacrymas et affectus candentes puritate, rubentes vero charitate : quorum meritum lucidissimum nullo unquam tempore mollitie evanescet, sed durum ad firmum stabit.

Quarto, balsamum Deiparæ nulla admixtione olei vel mellis est vitiatum. Quod hoc cap. V, 21, ex persona ejus dicitur, illis verbis : « Et quasi balsamum non mixtum odor meus. » Hoc autem S. Bonaventura in *Speculo B. Virgin.* cap. V, eleganter explicat : « Balsamum, inquit, misceri solet et vitari melle vel oleo; sed certe balsamum Spiritus Sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis et mundanæ consolationis, nec

oleo vanæ laudis et adulationis fuit vitiatum; sed vera et pura Mariæ gratia fuit. »

Quinto, Pausanias in *Bœoticis*, lib. IX, scribit in Arabia plurimas vyperas sub balsami arboribus latitare, easque sub illis commorantes balsami pastu venenum amittere, ipsarum item morsus ob id esse innoxios. At vero, præsidio Deiparæ, quæ est mystice balsami arbor, dæmonibus per serpentes significatis, venenum adimitur, ne eorum morsus et nefariæ quas immittunt suggestiones, Deiparæ devotis noceant.

Quocirca S. Bonaventura in *Speculo B. Virgin.* cap. VII : « Odor, inquit, Mariæ fuit sicut cinnamomum in cortice conversationis, sicut balsamum interius in unctione devotionis, sicut myrrha in amaricatione castigationis; fuit quoque odor Mariæ sicut cinnamomum in actione, sicut balsamum in contemplatione, sicut myrrha in passione. O vere dives, quæ tam plena fuit odorifero Spiritus Sancti balsamo! ut ait S. Bernardus super illud : Spiritus Sanctus superveniet in te. » Idem ibidem, cap. V : « Balsamum, inquit, Mariæ est unctio gratiæ, quæ Mariæ copiosissime est infusa; unde S. Bernardus loquens de verbo illo : Spiritus Sanctus superveniet in te, ait : Pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine infuset, ut copiosissime effluat circumquaque. »

QUASI MYRRHÆ ELECTA DEDI SUAVITATEM ODORIS. — Tigurina, ut præstantissima myrrha suaviter redolenti; Syrus, sicut myrrha electa suavem reddidi odorem meum. Plinius, lib. XII, cap. XV, scribit myrrham esse arborem, id est arbustum altum quinque cubitos, spinosum, caudice duro et in torto, crassiore quam thuris, cortice levi, folio olivæ, sed crispiori et aculeato, juba olusatris, quæ bis per annum inciditur, ut resina, puta liquor myrrhæ defluat. Sudat autem, inquit, sponte priusquam incidatur, quæ vocatur stacte, sive lacryma myrrhæ, eaque myrrha est præstantissima : sicut inter aliarum arborum resinas, lacryma quæ sponte fluit, est optima; ac inter vina, lacryma quæ ex uvis maturissimis sponte distillat, est sapidissima. Myrrha notat sapientis mortificationem, quæ parit in anima miram Dei consolationem et suavitatem, quasi aroma myrrhæ suavissimi odoris : hæc animam a putredine vitiorum servat incorruptam, sicut myrrha corpora defunctorum servat incorrupta. Ita Rabanus. Rursum, myrrha est compunctio suaveolens Deo, et lacrymæ cordis compuncti; unde myrrhæ hoc exstat enigma et hieroglyphicum :

De lacrymis, et pro lacrymis mea cæpit origo ;

Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor :

Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.

Myrrha hæc excelluit B. Virgo; unde de ea dicitur *Cant.* III : « Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? » In thure enim oratio sursum ascendens, sicuti in myrrha amara carnis mortificatio, insuavis illa

quidem, sed contra vitiorum putredinem apprime utilis, quæ orationem, ut sit efficacior, comitari debet, adumbrantur. In reliquo vero pulvere pigmentario, non modo virtutum omnium universitas, quæ in Virgine erant, designatur, verum etiam ne minutissimos quidem virtutum actus in Virgine desideratos ostendit, cum eos is qui in spiritualibus ditescere satagit, negligere non debeat. Hæc porro virgula in cælum recta ascendebat, quia in Deum Virgo sanctissima semper erat intenta; virtutibus quoque redolens, tanquam aromatibus in pulverem redactis, et in charitatis igne positis, circumstantes mira odoris suavitate replevit.

Ita Sophronius, serm. *De Assumptione* : « Dicta sane, inquit, quasi virgula fumi, quia gracilis et delicata; quia divinis extenuata disciplinis, et concremata intus in holocaustum incendii pii amoris, et desiderio charitatis. Ut virgula fumi ex aromatibus, nimirum, quia multis repleta est virtutum odoribus; manans ex ea fragrabat suavissimus odor, etiam Angelicis spiritibus. » Sic et Petrus Damianus, serm. *De Assumpt.* : « In myrrha, ait, continentiam, in thure devotionem intellige. » Et mox : « Hæc sunt duo quæ virginalem substantiam totam circumdedere virtute, continentia scilicet et devotio; quorum alterum carnem, alterum mentem ita possedit, ut caro mundissima, mens purissima genitricem Domini singularius consecrarent. » Et infra : « Universus pulvis pigmentarius in Virgine coniectus est, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit; et, si cæteris per partes spiritus affuit, Mariæ tamen tota pulchritudo gratiæ supervenit. Hæc integræ fuerunt in ea species, scilicet pigmentariorum aromatum, sed in subtilissimum pulverem comminutæ : quia ipsa est quæ, fortioribus tribulantium malleis suppressa, vidit suum et Dei filium affigi cruci, militari lancea perforari, inter duos latrones positum expirare. »

Porro myrrhæ, id est mortificationi fuisse addictam B. Virginem patet, tum ex eo quod ad stare voluit Christo filio suo cruci affixo, ut moris et mortificationis ejus esset sociæ et consors; tum ex nomine : Maria enim, ut multi volunt, dicta est a מרר *marar*, id est amarus fuit; tum ex eo quod scribit S. Bonaventura in *Meditat. vitæ Christi*, cap. III, B. Virginem cuidam personæ sibi devotæ (quam ipse putat fuisse S. Elisabetham) hæc verba dixisse : « Filia, dico tibi quod nullum donum, gratiam vel virtutem habui a Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, multis lacrymis, et multa afflictione; dicendo cogitandoque semper placita sibi, sicut sciebam et poteram, excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in utero matris. » Ad diditque : « Pro certo scias quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem et corporis afflictionem. » Idem sibi revelatum asserit S. Brigida in suis *Revelationibus*.

Nota.

Gratia non venit nisi per orationem et mortificationem.

Vers. 21. 21. ET QUASI STORAX, ET GALBANUM, ET UNGULA, ET GUTTA, ET QUASI LIBANUS NON INCISUS VAPORAVI HABITATIONEM MEAM. — Græca breviter sic habent, ut galbanum, et onyx, et stacte, utque thuris vapor in tabernaculo; Tigurina, redolui ut galbanus, ut onyx, ut stacte thurisque odor in tabernaculo. Storax est lacryma sive resina et succus odoratus arboris quæ styrax dicitur, de quo Dioscorides, lib. I, cap. LXXVIII, et Plinius, lib. XII, cap. XVII et XXV; ex eo fit unguentum styracinum, quod capillos non tantum bono odore, sed et flavo colore imbuunt et insuocat. Galbanum est lacryma, vel resina fruticis, quæ in Syria ferula dicitur, de qua Plinius, lib. XII, cap. XXV. Ungula, Græce *ὄνη*, id est onycha, id est unguis odoratus, est aroma colore unguis humani. Gutta est stacte sive lacryma myrrhæ: *σάκτις* enim est distillare. Hæc tria sunt aromata odorata, ex quibus, mixto thure, fiebat thymiama. Thymiama enim, quod quotidie mane et vespere Deo offerebatur in altari thymiamatis, componebatur ex galbano, onycha, stacte et thure lucidissimo, ut patet *Exodi* XXX, 34; vide ibi dicta. Igitur significatur hic sapientiam odoratam esse instar thymiamatis, adeoque ipsam esse thymiama Deo et hominibus acceptissimum.

Notat Palacius non alia sapientiæ hic tribui aromata, quam quæ serviebant templo, adeoque erant Deo sacra: « Ut occulte indicetur, inquit, grande secretum, scilicet futurum, ut ipsa incarnata Sapientia se Deo in sacrificium suavissimi odoris offerret, et in cruce igne charitatis cremaretur, sicut thymiama cremabatur; atque ex eo sacrificio, odor coram Patre suavior ascenderet, quam ex sacrificio Noe et omnibus aliis unquam ascendit. Indicans præterea quod, sicut his aromatibus conficiebatur unguentum, quo omnia in templo ungebantur, et sancta reddebantur: ita Christi sapientia, spiritu et gratia ungi debent, quæcumque coram Deo sancta reddi debent. Neque enim datum est sub cælo aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri, » *Actor*. IV. Quare vapor odoris Christi, in cruce suspensi, replevit cælestem habitationem simul et terrestrem, puta totam Ecclesiam, ut omnes divinam ejus charitatem, patientiam, obedientiam cæterasque virtutes admirari et imitari ceperint.

ET QUASI LIBANUS NON INCISUS VAPORAVI (id est, replevi vapore odorato) HABITATIONEM MEAM. — Libanus hic non montem Libani, sed thus aut arborem thuris, ex qua distillat et colligitur thus, significat: quia enim Hebræi thus vocant *לבנה* *lebana*, hinc Græci thus quoque vocarunt *λίβανος*: *λίβανος* autem vocatur ipsa arbor thus producens, quæ a Virgilio, lib. II *Georgic.* vocatur *thurea virga*; *λίβανος* vero vocatur ipsum thus, ait Theophrastus, lib. IX, cap. IV, et alii: sed sæpe hæc confunduntur, et utraque vox jam dicta significat ipsum thus et aroma thuris, uti hic fit. Hinc quoque Libanum montem dictum ab Hebræo *lebana*, id est thus, quod thuris sit ferax, censet Andreas Masius,

Libanus
vocatur
thus.
unde?

et ex eo noster Serarius in *Josue*, cap. I, *Quæst.* VII, licet Franciscus Ribera in cap. II *Habacuc*, a candore nivium dictum Libanum putet: *לבן* *laben* enim Hebræis significat album: nam, ut ait Tacitus, lib. V *Hist.*: « Regio hæc præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. » Utramque notionem jungunt nonnulli: quia enim thus ibi candidum nascitur, ideo Libanum appellatum censet S. Hieronymus. Porro thus laudatissimum sola profert Arabia: unde Virgilius, *Georg.* II:

Solis est thurea virga Sabæis.

Addit non incisus: quæ vox jam non est in Græco, sed plane videtur ex eo excidisse scriptorum oscitantia, eo quod sequatur *ἀραις*, id est vapor, quæ vox vicina est voci *ἀραμος*, id est non incisus: quam cum non intelligerent scribæ, putarunt errore repetitam, idemque esse quod *ἀραις*, ideoque eam omiserunt. Est enim duplex *λίβανος*, id est thus: prius vocatur *ἀραμος* vel *ἀρατος*, id est non sectum, non incisum, sed indivisum et integrum: hoc primas tenet, ideoque masculinum vocatur. Posterius vocatur, *ἐραμος* *καὶ* *τυπτός*, id est, incisum et sectum, sive divisum et comminatum, ac sæpe cum alia re permixtum.

Porro, thus incisum censent nonnulli esse id quod ex arbore incisa stillat: non incisum, quod ex ea quasi grava et prægnante, sponte quasi destinato et fecundo naturæ partu, profluit, quod maturimum et optime concoctum, ideoque perfectissimum et odoratissimum est. Sic enim cæteræ arbores resinosæ, ut myrrha, pinus, storax, balsamum, sponte sudant gummi sive resinam, quæ melior est illa quæ per incisionem, quasi vi ab arbore incocta et imperfecta elicitur et extorquetur: sicut embryo qui a matre sponte paritur, perfectior est eo qui a matrice per incisionem vi elicitur. Verum quia Plinius non meminit alterius thuris, quam quod per incisionem, quæ bis in anno fit, elicitur, hinc Jansenius, Palacius et alii censent, thus *ἀραμος*, id est non incisum, sive insectum et indivisum, vocari id, quod ab arbore incisa integrum in massam sponte confluit, cum hærente lacryma priore sequens miscuit se: cui præcipua gratia est, teste Plinio, tum quia id signum est bene concocti, maturi et fecundi thuris; tum quia vis unita fortior est seipsa divisa. Cum enim guttæ seorsim sparguntur, evaporat vis thuris, illudque proinde vocatur incisum, sectum, divisum, quod minus est odoratum. Audi Plinium, lib. XII, cap. XIV: « Quod, inquit, ex rotunditate guttæ pependit, masculinum vocamus. » Et mox: « Præcipua autem gratia est mammoso, cum hærente lacryma priore, consecuta alia miscuit se. Singula hæc manum implere solita inventio, cum minore diripiendi aviditate lentius nasci liceret. Græci stagoniam et atomum (id est, non incisum) tali modo appellant; minorem autem orobiam (male quidam legunt *arabiam*; pejus alii, *Arabiam*)

micas concussu elisas mannam vocamus. » Et inferius : « Probatum candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat. Item, ne dentem recipiat potius quam in micas frietur. » Sic et Dioscorides, lib. I, cap. LXX : « Thus, ait, gignitur in Arabia. Primas tenet masculum, stagonias appellatum, suapte natura rotundum : tale autem individuum est, candidum cum frangitur, intus pingue, in suffitu statim ardens. Indicum vero flavescit et colore livet, sed rotundum industria factitant, etc., quod atomum aut syagrū appellant. Secundum locum habet Arabicum, quod aliqui copiscum vocant, minus multo et fulvius. »

Dicit ergo Sapia de se : « Ego quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, » q. d. Sicut thus masculum, carbonibus impositum, odore optimo, quem evaporat, replet domum, quo omnes noxios humores aerisque corruptiones desiccant et consumit : sic pariter ego Sapia populum Hebræum, in quo habitationem mihi delegi, mea suavissima doctrina et lege imbui, qua omnes infidelitatis, impietatis omniumque vitiorum errores consumpsi, eumque suavissimo celestis gratiæ virtutumque odore imbui, ac mira consolatione recreavi. Sicut ergo thus curat oculorum lippitudinem, fluxum sanguinis, tenasum, tussim, impetigines, inflammationes, arthritidem, dysenteriam, hemicraniam, ulcera; memoriam auget, fugat tristitiam, lætificat cor, etc., uti docet Dioscorides, lib. I, cap. LXX et seq., ac ibidem ex Galeno Matthiolus : sic pariter sapientia omnes animæ ægrotudines curat et sanat, præsertim virtute orationis, cujus symbolum est thus, ut paulo ante dixi. Unde thus dicitur, ἀπὸ τοῦ θυῶος, id est, odorem facio; vel potius θυῶος, id est sacrificio, quod qui sacrificabant, thure utebantur. Omnes enim gentes, omnibus sæculis, thus soli Deo dederunt, illique thurificarunt. Unde *thuris honores* vocantur honores divini, qui non nisi Deo debentur et deferuntur. Multo magis Christus, qui est Sapia Patris, hæc omnia præstitit et in dies præstat Christianis. Ipse ergo vaporavit et vaporat Ecclesiam suam, in qua habitat, miraculis, doctrinis, legibus, consiliis Evangelicis, divinis virtutum omnium exemplis, quorum vapor et odor suavissimus divinitatem ejus spirat, fideles recreat, infirmos sanat, mœrentes lætificat, debiles corroborat, Angelos et Deum ipsum exhilarat, præsertim odor et vapor admirandæ passionis ejus et mortis in cruce.

ET QUASI BALSAMUM NON MIXTUM ODOR MEUS. — Hæc verba nonnulli delent, eo quod non sint in Græco, et de balsamo dictum sit vers. 20. Verum hic balsamum illud explicat et determinat, aitque esse non mixtum, id est purum et merum. Balsamum enim multis modis aliarum rerum mixtione adulteratur. Audi Dioscoridem, lib. I, cap. XVIII : « Æstivis, inquit, sub ortu canis ardoribus, arbor unguibus ferreis inciditur, manatque e plaga succus, quem opobalsamum vocant; sed tam exiguo

stillatu, ut annis singulis ne plures quidem quam seni septenive congi cogantur, inibique pondus duplo rependitur argento. Succus probatus est, ut sit recens, validi odoris, sincerus, non ad acorem vergens, dilui facilis, levis, adstringens, ac modice mordens gustu. Sed varie vitatur, mixto ab aliquibus terebinthi, cypri, lentisci, balani unguento; item susino, metopio, melle, aut cypri cera liquida. Quod maleficium facile deprehenditur : namque merus in laneam vestem fusus, neque maculam facit, neque si eluatur notam relinquit; vitatus autem inhæret; et lac instillatus coagulat, quod adulteratus non efficit. Quin etiam sincerus in aqua aut lacte celerrime liquatur, coloreque lactescit : vitatus vero olei modo innatat, se convolvens, aut in stellæ modum diffundens. Sincerus senescens crassescit, deteriorque redditur. » Et mox sinceri balsami virtutes recensens : « Horrores, inquit, illi discutit : ulcera sordida expurgat, et cruda concoquit : urinam potu ciet, ægre spirantibus prodest : datur in lacte contra aconitum haustum, aut serpentium ictus. Miscetur acopis, malagmatis et antidotis. In summa, præcipua auctoritas succo, secunda semini, minima ligno. Semen commode potui datur doloribus lateris, pulmonum vitis, tussi, ischiadicis, comitialibus, vertiginosis, orthopnoicis, urinæ difficultati, torminibus, ac serpentium morsibus : ad muliebres suffitus perquam utile est : vulvam aperit, » etc.

22. EGO QUASI TEREBINTHUS EXTENDI RAMOS MEOS, Vers. 22. ET RAMI MEI HONORIS ET GRATIÆ. — De terebintho audi Plinium, lib. XIII, cap. VI : « Syria terebinthum habet. Ex his mascula est sine fructu. Feminarum duo genera. Alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus. Cum vite maturescit, non grandior faba, odore jucundior, tactu resinosis circa Idam Troadis. Sed in Macedonia brevis arbor hæc atque fruticosa, in Damasco Syriæ magna. Materies ei admodum lenta, ac fidelis ad vetustatem, eximii ac nigri splendoris; flos racemosus olivæ modo, sed rubens; folia densa. » Idem, lib. XIV, cap. XX, « optimam tenuissimamque resinam fundit, » quæ inde terebinthina vocatur, vulgo *termentina*.

Hæc omnia sapientiæ, prædicationi Evangelii, et Ecclesiæ, quæ ramos per totum orbem expandit, particulatim adaptat Rabanus. Sapientiæ autem rami, id est, propagines sunt *honoris*, Græce δόξης; id est gloriæ; et *gratiæ*, quia illi ejusque asseclis conciliant gratiam, honorem et gloriam, tam apud homines quam apud Deum et Angelos. Sicut enim arboris honor et decor sunt folia, et multo magis flores et fructus, juxta illud Virgīlii, *Georg. II* :

Et jam olim seras posuit cum vinea frondes,
Frigidus et sylvis Aquilo decussit honorem,

id est folia; sic sapientiæ honor et decor sunt ejus rami, id est propagines, quibus se per omnes

Balsamum quomodo adulteratur?

Thuris virtutes applicantur sapientiæ.

Terebintho similitudo sapientiæ.

fideles, doctores et Ecclesias extendit et propagat: quibus totidem quasi comata est gratis et honoribus, quot foliis rami in viridi qualibet ac frondosa arbore, præsertim terebintho, comati et coronati sunt. Simile est *Ezech. xxxi, 3.*

Syrus pro *terebintho* vertit *rhododaphnen*: « Ego, inquit, sicut *rhododaphne* tetendi radices meas, et rami mei rami laudis et honoris. » *Rhododaphne* frutex est, ita dictus a flore roseo et folio laureo: *ῥόδον* enim est rosa, *δάφνη* laurus: vocatur et *rhododendros*, quasi rosa arboreescens, aut nerium, « sempiternum fronde, inquit Plinius, lib. XVI, cap. xx, rosæ similitudine, caulibus fruticosum, jumentis caprisque et ovibus venenum est. Idem homini contra serpentium venena remedio. » Sicut ergo *rhododaphne* jumentis est noxia, hominibus salutaris; sic quod stultis periculum affert, ut adversitas, rerum copia, scientia, hoc ipsum sapientia et sapiens vertit in suum bonum et salutem.

Verum Græca et Latina constanter habent *terebinthus*. Alludit ad *terebinthum* sub qua Jacob idola defodit et obruit. *Genes. xxxiv*, quæ figurabat Christum: Christus enim idola et idololatriam sepelivit et sustulit; ex cujus corpore *terebinthina*, resina pretiosissima, defluxit: quando ab eo Sacramenta legis novæ instituta, et copiosa illis indita fuit gratia, quæ manare non cessat nobis ea quæ ad salutem sunt necessaria.

Vers. 23. EGO QUASI VITIS FRUCTIFICAVI (id est *germinavi*, ut habent Græca) SUAVITATEM ODORIS: ET FLORES MEI FRUCTUS HONORIS ET HONESTATIS. — Pro honestatis Græce est *δοξου*, id est *divitiarum*: sic passim hoc libro *honestatem* vocat divitias, uti vulgo honestos vocamus divites et opulentos. Græca Romana sic habent, *ego similis sum viti germinanti gratiam, et flores mei fructus sunt gloriæ et divitiarum*; Complutenses pro *δόξου*, id est, *gratiam*, legunt *εὐδοκία*, id est suavem odorem, quomodo legit Noster Latinus. Tigurina, *ego quasi vitis odorem emisi gratiam, et flores mei fructus gloriæ sunt et divitiarum*; Syrus, *ego sicut vitis decorata pulchritudine, et frondes mei frondes splendoris et decoris.*

Sapientia viti se assimilât, primo, in *εὐδοκία*, id est in flore et suavitate odoris. Vitis enim dum floret suavem expirat odorem: sic et sapientia se omnibus gratam, amabilem, jucundam et delectabilem præstat; atque hac ratione omnes delectat, recreat et ad se allicit. Secundo, in fructu, quod scilicet sicut flores vitis mox producunt fructum, puta uvam, quæ præ cæteris honoratus et nobilissimus est fructus, æque ac honestissimus et ditissimus: ex uva enim exprimitur vinum suave, copiosum et generosum, quod magni est pretii. Unde illud Alcei monitum: « Nullam aliam arborem severis prius vite, » quod citat Athenæus; et illud Poætæ:

Vinea terrarum pars optima, raris ocellis,
Autumni prima es gloria, primus honor.

Cælum te dicam; nam quot cælo astra refulgent,
Tot nitidis astris æmula poma tenes.

Sic et sapientia fructus nobilissimos affert, nimirum honorem, gloriam et opes, tum spirituales, tum corporales, quas explicat dum subdit: « Mater pulchræ dilectionis, » etc. Porro, iidem sunt sapientiæ fructus et flores, quia idem in ea est sapidum et floridum, utile et pulchrum. Audi Rabanum: « Quid, inquit, per hanc vitem, nisi ipse exprimitur, qui in Evangelio discipulis suis ait: Ego sum vitis vera, et vos palmites? cuius vitis liquor lætificat cor hominum, quando bibendo sanguinem ejus, gaudentes laudant redemptionis suæ venerabile Sacramentum: hæc vitis fructificat suavitate odoris, quando per totum orbem fama spargitur Evangelicæ prædicationis; floresque ipsius fructus sunt honoris et honestatis, quia jucunditas et decor omnium virtutum quotidie ejus dono florescit, atque clarescit in credentium turbis. » Vide quæ de vite ejusque analogiis cum sapientia et sanctitate, dixit *Ezech. xv, 2.* Hac de causa S. Ephrem Syro, coævo S. Basilii, per visum apparuit vitis fructifera, denotans ejus sapientiam, copiam et suavitatem dicendi scribendique, uti habet ejus Vita initio operum ipsius.

Mystice, vitis est Deipara, quæ uvam pretiosissimam protulit, puta Christum, ex quo, in torculari crucis presso, expressum est vinum rubrum, quod inebriat omnes fideles. Ita Damascenus, orat. 1 *De Nativitate*: « Vinea, inquit, uberrima (Deipara) ex Anna pullulavit, atque uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam. » Et S. Ildephonus, serm. 1 *De Assumpt.*: « Mater Domini, inquit, quasi vitis fructificavit suavitate odoris, et protulit cunctis gentibus fructus honestatis et gratiæ. » Ipsa ergo quasi vitis protulit uvam et vinum, puta Christum, quod Deum lætificat et homines, *Judic. ix.* Unde S. Bernardus, serm. 40 super *Salve Regina*, sic Deiparam alloquitur: « Defecit vinum in cadis nostris, vinum scilicet lætificans cor hominis, de quo Propheta, quod germinat virgines; hujus pincerna tu, vexillifera tu: vexilla Regis prodeunt in nobis, te agente pro nobis: calix in manu tua vini meri, in manu tua, in potestate tua, vini meri amoris divini. Calix hujus vini inebrians quam præclarus est! inebriat ad contemptum mundi; calefacit, quia ferventes facit; acuit, quia erudit; audaces facit contra adversa, fortes et invincibiles a carne, mundo et dæmonibus; obliviosos, eorum scilicet quæ retro sunt, et in futura extensos; discretos, quia erudit ad justitiam; somnolentos ad temporalia et tædiosos, ad invisibilia vero contemplanda pronos et promptos. Per te panem speramus, qui cor hominis confirmat, de quo Scriptura: Panem Angelorum manducavit homo. » Hucusque S. Bernardus, agens de vino amoris

Rhododaphne quæ?

Joh. xi.

Vitis Deipara.

Sapientia similis viti. Primo.

Secundo.

Zacharia 9.

Psal. lxxvii.

divini, quem mater pulchræ dilectionis filiis suis impetrat.

Flores hujus vitis sunt « fructus honoris et honestatis; » quia B. Mariæ virginitas et humilitas, quasi flores, protulerunt fructum infiniti honoris, scilicet Deum hominem, qui in Eucharistia est « frumentum electorum, et vinum germinans virgines, » *Zachar. cap. ix.* Rursum, cum de hac vite dicitur : « Et flores mei fructus honoris et honestatis, » his verbis significatur Deiparæ illibata simul et fecunda virginitas. Hæc enim adeo honestate delectatur, ut carnis voluptates non tantum rationi dissonas, quas rejicere castitatis est munus, aversetur; sed ne licitas quidem in usu conjugii admittat. Quocirca hæc summa virginitatis honestas honori merito conjungitur, quod homines adeo honore dignos efficiat, ut eos angelis ipsis perquam similes reddat. Deinde, quia flos symbolum est virginitatis, et sicut fructus symbolum esse potest fecunditatis. Cum ergo « flores (Deiparæ) fructus honoris, » dicantur et « honestatis, » his verbis virginitas ejus fecunda, et fecunditas virginea omni honore prosequenda, omnique honestate conspicua ostenditur. Etenim in arboribus flores simul cum fructibus, qui ex iisdem emanant, et in quos ipsimet flores transeunt, existere nequaquam possunt; sed, erumpente fructu, de-

cidit flos; quamdiu autem flores vigent, fructus nondum advenere : ita et in cæteris mulieribus virginitas cum fecunditate eodem tempore esse nequit. At vero in sola Deipara, super omnem naturæ cursum, hæc duo conjuncta reperiuntur. Quocirca ipsa una merito dicere potest, flores suos esse pariter et fructus : nam eleganter quidam cecinit :

Partus et integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Hoc est quod stupens S. Bernardus intonat, homil. 2 super *Missus est* : « Deum hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de virgine nascere : talis congruebat virgini partus, ut non pareret nisi Deum. » Quocirca exclamat S. Augustinus, serm. 9 *De Natali Domini*, qui est 13 *De Tempore* : « O miracula, o prodigia! naturæ jura mutantur, in homine Deus nascitur : virgo sine viro gravidatur, viri nesciam sermo Dei maritat; simul facta est mater et virgo; mater facta, sed incorrupta : virgo habens filium, nesciens virum : semper clausa, sed non infecunda. Solus enim sine peccato est natus, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis. »

QUINTA PARS CAPITIS,

QUA SAPIENTIA SUOS FRUCTUS, VERSU PRÆCEDENTI PROMISSOS, ENARRAT, SCILICET DILECTIONEM, TimoreM, AGNITIONEM, SANCTAM SPEM, OMNEMQUE VERITATEM, VITAM ET VIRTUTEM.

Vers. 22. 24. EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS, ET TIMORIS, ET AGNITIONIS, ET SANCTÆ SPEI. — Pro *agnitionis* codex manuscriptor montis Amiatini legit *magnitudinis*; et sic legitur in Officio parvo B. Virginis, in capitulo ad Completorium. Forte scriptor quispiam pro *agnitionis*, scripserit abbreviate *agnitis*; quod alius describens, nec intelligens, putarit errore omissam litteram, inscripseritque *magnitudinis* : scioli enim plura talia depravarunt. Nam vera lectio est *agnitionis* : sic enim constanter legunt cæteri codices Græci et Latini, manuscripti et typis excusi, atque Rabanus, Lyranus, Hugo, Dionysius, Jansenius aliique interpretes. Tigurina vertit, *ego pulchræ charitatis, ego religionis, et cognitionis, speique sanctæ mater sum.*

Sapientia hic fructus suos, quos in suis discipulis producit, explicat, eosque quatuor assignat. *Primus*, est dilectio pulchra : est enim dilectio turpis et illecebrosa illi contraria, qualis est dilectio fornicariorum et amatorum mundi : unde Græce est *ἀγάπη*, quod tam bonam quam pulchram significat. *Secundus*, est timor, id est Dei metus,

reverentia et cultus. *Tertius*, est agnitio, Græce *γινώσκω*, id est cognitio, scientia, intelligentia, puta, qua plene Deum resque cælestes et divinas cognoscamus. *Quartus*, est sancta spes, qua a Deo certo speremus omne bonum, puta omnem gratiam et gloriam. Porro, hæc quatuor rite sibi invicem subordinantur. Ex dilectione enim Dei nascitur ejusdem reverentia et cultus, ex reverentia sequitur plenior ejusdem cognitio, ex cognitione major nascitur spes et fiducia.

Quocirca, dum hæc verba Ecclesiastici legi audiret D. Henricus Suso, minister æternæ Sapientiae, in ejus connubium exardescens, raptus vidit eam specie quasi puellæ, mox specie juvenis elegantis, in columna nubis resplendentem in throno eburneo, fulgore solis radiantem. « Corona ejus erat æternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus omnis satietas. » Et dixit ei : « Præbe mihi, fili, cor tuum. » Ita habet auctor Vitæ ejus, cap. iv. Audi Rabanum : « Sapientia Dei, inquit (quæ est Christus), mater est pulchræ dilectionis, et origo omnium virtutum; quia ipsius gratia

generatur in cordibus electorum affectus veræ charitatis, timor salubris, intellectus scientiæ spiritalis, spesque vitæ æternæ et gaudii futuri.

Jacob 1. Sine eo quoque nihil boni habemus : quoniam omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum : ipse est fons vitæ, et in lumine ejus videbimus lumen. De quo et Paulus ait : Gratia Dei (inquit) sum id quod sum. » Notat Palacius, τὴ mater significare dolores Christi, quibus ipse in cruce has virtutes parturiit, id est promeruit ut a Patre nobis concederentur.

et B. Vir-
ginis. Mystice, B. Virgo est mater pulchræ dilectionis. Nam, ut ait S. Bonaventura in *Speculo B. Virginis*, cap. vi, spectans ad illud *Isaiæ xi* : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus*, etc. « Quicumque, inquit, septiformem Spiritus Sancti gratiam adipisci desiderat, ipsum florem Spiritus Sancti in virga quærat : per virgam enim ad florem, per florem ad spiritum in ipso requiescentem pervenimus; per Mariam ad Christum accedimus, et per Christum gratiam Spiritus Sancti invenimus. Propterea S. Bernardus, Mariam alloquens, ait : Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis. » Ille Bonaventura. Hinc in *Litaniis B. Virgo* vocatur et invocatur *Civitas refugii*. Ita ad eam in quavis tribulatione confugerunt Sancti. Ecclesia certe eam, in *Salve Regina*, spem nostram vocat : « Et spes nostra, salve. » Ita S. Bernardus, sermone *De Aquæduc.* : « Filioli, inquit, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. » De S. Francisco S. Bonaventura in ejus *Vita*, cap. ix : « In matre, inquit, Domini post Christum præcipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit. »

S. Ephrem, ad Virginem preces fundens, multa in eandem sententiam addit. S. Damascenus, orat. 1 *De Dorm.* : « Tibi, inquit, nos quoque hodierna die assidemus, o Domina, domina, atque iterum dicam, domina, Dei genitrix et virgo, animas nostras ad spem tuam non secus atque ad firmisam quamdam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes ac consecrantes, psalmis et hymnis spiritualibus quantum possumus honorantes. » Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus, orat. *De Oblat. Deiparæ*, in fine : « Certe, inquit, domina Dei parens, certe meum refugium, vita et defensio, arma et gloriatio, spes et robor meum : concede mihi, ut et ego quoque fruar inenarrabilibus, et quæ comprehendere non possunt, tuis bonis in cælesti perseverantia. Habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut quæ sis mater Allissimi, et propterea audeo. Ne ergo priver mea expectatione, o domina intemerata, quæ universorum expectationem supra rationem

peperisti, Dominum nostrum Jesum Christum. » Hæc ille.

25. IN ME GRATIA OMNIS VIÆ ET VERITATIS, IN ME Vers. 25. OMNIS SPES VIÆ ET VIRTUTIS. — Pro virtutis Tigurina vertit, *præsidi*; alii, *vigoris et roboris* : hoc enim significat Hebræum חַיִל *chail*, quod Noster vertere solet, virtutem. Unde Emmanuel Sa : « Virtutis, » inquit, id est fortitudinis : virtus enim a viro dicta est, quia virilis est et mascula. Rabanus, Jansenius et alii, pro viæ legunt, vitæ, et intelligunt vitam gratiæ; deinde, cum sequitur vitæ, intelligunt vitam gloriæ, q. d. Per me obtinetur omnis gratia, et quæ in bona vita consistit, et quæ in veritatis agnitione sita est. Per me habetur omnis spes, et quæ est de vita æterna obtinenda, et quæ est de virtute habenda, quæ ad vitam æternam consequendam est necessaria. Verum Biblia Romæ correctæ priori loco pro vitæ, legunt viæ; estque hendyadis : viæ veritatis, id est viæ ad veritatem, q. d. In me est gratia ostendendi docendique omnem viam et modum quo ad veritatem veramque vitam et gratiæ et gloriæ itur et pervenitur, juxta illud Christi, qui hæc allusit : « Ego sum via, et veritas, et vita, » *Joan. xiv*.

Aliter Palacius, q. d. Ego intra me habeo omnes gratias viæ, veritatis et vitæ, ut nemo eas possit habere nisi per me. Habet igitur sapientia omne bonum pertinens ad hoc sæculum, quod est via; et futurum, quod est veritas : ita ut nullus speret vitam gratiæ aut gloriæ, neque etiam virtutem (quæ virtutis perfectum nomen habeat) nisi ex dono sapientiæ.

Porro, audi de hac omni gratia sapientiæ D. Henricum Susonem, ministrum æternæ sapientiæ, in *Dialog.* cap. vii : « In te, ait, pulchritudo est infinite amabilis, gratia mire formosa, sermo cum bonis moribus, nobilitas cum virtute, divitiæ cum potentia, interna libertas cum externa claritudine conjuncta : et præter hæc, quod in toto mundo nusquam comperi, plena virtus ac facultas perfecte explendi omne votum, omne desiderium, et quantumvis sitibundam cordis probe diligentis voluntatem. Quo perfectius agnosceris, eo ferventius amaris : quanto tibi quispiam est familiarior, tanto te sentit amabiliorem. Papæ, quam es bonum prorsus immensum, inexhaustum, purissimum ! Quæso, advertite, mortales omnes, quam misere illis impositum sit, qui suum amorem in quidvis aliud conferunt. Procul a me recedite, amatores stultissimi ac vanissimi : non mihi appropinquetis unquam. Hanc unicam delegi amicam cordi meo, quæ sola cor, animam, appetitiones, affectum, et vires meas omnes complet ac exsatiat amore intimo, nec unquam interitur. » Deinde, ad eam toto affectu suspirans, eamque compellans : « Utinam, Domine Jesu, cordi meo te inscribere, utinam in ipsas cordis et animæ medullas aureis litteris eliquare te possim, ne ulla te deleteret aut aboleret vetustas ! Heu me miserum ! heu me infelicem ! quod cor

In sapientia est omnis veritas et virtus.

meum non perpetuo tibi dedidi, te uno occupavi. Quid mihi ex aliis omnibus amoribus meis reliqui est, nisi temporis jactura, verba in ventum jactata, manus vacua, perexigua bona opera, atque conscientia vitis onusta? »

Sic et in
B. Virgini-
ne.

Mystice, hæc competunt B. Virgini; nam, ut ait S. Augustinus vel quisquis est auctor (non enim est S. Augustinus), serm. 20 *De Nativitate Domini ad Fratres in eremo*: « Propterea Maria mater electa est, et super omnes creaturas pre-electa, omnibus gratiis secundata, omni virtute et sanctitate in utero repleta, ut de mundissima matre mundissimus filius nasceretur: et, sicut in cælis Filius habet patrem immortalem et æternum, sic et in terra haberet matrem omni corruptione carentem. » S. Gregorius, lib. I *in I Regum.*, cap. I: « Potest, ait, hujus montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari: mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, *Isaiæ* II. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit. » Huc accedit Albertus Magnus, homil. super *Missus est*: « Congregationes, inquit, aquarum vocavit Deus maria, locus autem omnium gratiarum vocatur Maria. » Et S. Bonaventura in *Speculo B. Virginis*, cap. III et seq.: « Maria, inquit, dicitur mare propter affluentiam et copiam flumarum; unde scriptum est *Eccles. I*: Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Maria. » Et mox: « Unde ipsa optime dicere potest illud *Ecclesiast. XXIV*: In me omnis spes viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. » S. Thomas, *Opusc. VIII*, probans B. Virginem plenam gratia, quam refundit juvando alios: « In omni, inquit, opere virtutis potes eam habere in adiutorium, et ideo dicit ipsa » *Ecclesiast. cap. XXIV*: In me omnis spes vitæ et virtutis. » Rursum S. Bonaventura in *Speculo*, cap. VI, probans plenitudinem gratiæ Deiparæ, præsertim donorum Spiritus Sancti: « Maria, inquit, gratulabunda dicere potest illud *Ecclesiastici*: In me omnis gratia vitæ et veritatis, quæ mater est ejus quem legimus plenum gratiæ et veritatis. Et quid mirum, si in illa virga est tanta donorum Spiritus Sancti affluentia, in cujus flore Spiritus Sanctus requievit, cum tanta donorum affluentia. Maria namque est illa virga, et filius Mariæ est ille flos de quo dicitur in *Isaiæ*:

Isaiæ XI.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit

eum spiritu timoris Domini. In hoc flore mira Spiritus Sancti effluentia, de quo in omnem Ecclesiam mira fit influentia, ut beatus Evangelista Joannes dicat: De plenitudine ejus non omnes accepimus, et gratiam pro gratia. Cum ergo de isto flore tanta gratia redundet in totum hortum, quanto magis in ipsam hujus floris virgam, in ipsam Mariam. Dicat ergo Maria secure: In me omnis gratia vitæ et veritatis. » Hæc Bonaventura.

B. Virgo ergo est nostra Pandora, id est, omnis doni alma parens, de qua Tertullianus lib. *De Corona militis*: « Si fuerit, inquit, aliqua Pandora (quam primam feminarum memorat Hesiodus) hoc primum caput coronatum est a Charitibus, cum ab omnibus muneratur, unde Pandora. » Meminit etiam Pandoræ S. Irenæus *Adversus hæreses*: « Quod autem, inquit, Salvatore ex omnibus Aconibus factum esse dicunt, omnibus in eum deponentibus florem suum, non extra Hesiodi Pandoram novum aliquod afferunt. » Meminit etiam hujus Fulgentius in *Mythologia*. Hæc ergo gratiarum omnium corona Pandoræ christianæ, puta, B. Virgini, omni jure debetur. Quocirca a S. Ephrem, orat. *De Laudibus Virginis*, ipsa vocatur « spes desperantium, peccantium adiutrix, mundi solatium, porta cælorum. »

Græca et Syrus hunc versum omittunt, sed pro eo Complutenses et alii nonnulli habent hunc, *do autem, cum omnibus meis natis, sempiternas (laudes) tuis quæ ab eo dicuntur; Tigrina, do autem eterna (vel æternos fructus) liberis meis, quibus Deus jussit simul omnibus.*

26. TRANSITE AD ME OMNES QUI CONCUSPISCITIS ME, ET A GENERATIONIBUS MEIS IMPLEMINI. — Est epilogus. Sapientia enim, post recensita sui commoda et fructus, concludit ut ad se accedant, itaque eorum fiant compotes: *generationes* enim vocat fructus a se genitos: hi enim Græce vocantur *γεννημα*, Hebr. תבואה *tebua*, q. d. Vos omnes, quos ex Dei munere mei amor tetigit, transite ad me: fructibus meis dulcissimis vos exsatiæ: alibi enim satietatem nullam reperietis, juxta illud Christi ad Samaritanam *Joan. IV*: « Qui biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. » Unde Tigrina, *accedite ad me omnes cupidi mei, et facite ut fructibus meis impleamini*. Nota *implemini, q. d.* Fructus parci, quos dat mundus, non satiant, non implent appetitum, sed magis excitant et irritant; at fructus mei largi et ampli, utpote divini (solus enim Deus implet animam), implent et satiant quamvis orem et appetitum. Unde Syrus, *declinate ad me omnes, qui concupiscitis me, et de fructibus meis optimis voluptatem capietis*. Audi Rabanum: « Materno affectu admonet Sapientia filios suos, ut ad ipsam concurrant, ejus munere ditentur, ac ope reficiantur. Tale est et illud Evangelii testimonium, quo Salvator misericorditer laborantes hortatur ad se venire: Venite, inquit, ad me omnes, qui labo-

Math.
XI.

Joan.
vii.

ratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et item: Qui sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre ejus fluent aquae vivae. » Sic S. Ephrem; tract. *De Timore Domini*, tract. 1, p. 69, narrat sibi per visum apparuisse Sapientiam, puta Christum, in gloria, seque invitasse, ut relicta mundi vanitate totam se ei traderet.

B. Virgo
de se
multa
revelat
S. Bri-
gidæ.

Mystice, pari modo B. Virgo revelavit S. Brigidæ, uti ipsa refert lib. VI *Revelat.* cap. x, dixitque: « Ego sum regina cœli, ego mater misericordiæ, ego justorum gaudium et aditus peccatorum ad Deum: nulla etiam pœna est in purgatorii igne, quæ propter me non remissior erit et lenior ad ferendum, quam aliter esset. Nullus est adeo maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur a dæmonibus, quam aliter tentaretur: nullus est ita alienatus a Deo, nisi omnino fuerit maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et habeat misericordiam. » Idem revelavit Deus S. Catharinæ Senensi: « Mariæ, inquit, unigeniti Filii mei gloriosæ genitrici a bonitate mea concessum est, propter incarnati Verbi reverentiam, ut, quicumque etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo decipiatur a dæmone infernali: hæc enim est a me electa, parata et posita tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, et præcipue animas peccatorum. »

S. E-
phrem
elogia B.
Virginis.

Unde S. Ephrem, *De Laudibus B. Virg.* sic eam salutatur: « Spes desperantium, per te reconciliati sumus Christo, Deo meo, filio tuo: tu peccatorum et auxilio destitutorum unica advocata es atque adiutrix; tu portus naufragantium tutissimus, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima; tu orphanorum susceptio; tu captivorum redemptio; tu ægrotantium exultatio, et omnium salus; tu monachorum et solitariorum stabilimentum, et spes sæcularium; tu virginum gloria, corona et gaudium; tu mundi lætitia. » Et iterum: « Tu enim noster es portus et præses, pia auxiliatrix. » Et infra: « Ave, periclitantium auxiliatrix, et jucunda libertas, fons gratiæ et consolationis; ave, peccatorum refugium atque diversorium; ave, laborantium propitiatorium; ave, spes omnium proborum adversis casibus afflictorum, dulce conversorum solamen atque præsidium; ave, virorum pariter atque mulierum regina et patrona; ave, nostra consolatrix, quæ mœrores sedasti, et oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti; ave, clavis regni cœlestis; ave, portus tutissime in hac vita navigantium; ave, firma salus universorum Christianorum ad te sincere ac vere recurrentium; ave, nostra omnium protectio insignis et gloria. »

Sapienter S. Augustinus, lib. *De Catechiz. rudibus*: « Tantum, inquit, valet animus erga auditorem benevolus, ut nobis loquentibus et illis discentibus, habitemus invicem; atque ita illi et

quod audiunt quasi loquantur in nobis, et nos in illis discamus quodammodo quæ docemus. Nonne accidere hoc solet, cum loca quædam ampla et pulchra, vel urbium vel agrorum, quæ nos sæpe videndo sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis qui antea nunquam viderant, ut nostra delectatio in eorum novitatis delectatione renovetur, et cognitio perficiatur, quanto magis nos, » etc.

Porro, S. Chrysostomus, homil. 3 *in Genes.*: « Divina eloquia fonti similia sunt largis perennisque fluentis scaturienti; etiam qui ante nos fuere, pro viribus suis aquas inde hauserunt, et similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic totum evacuare poterunt, sed magis interim augentur flumina et increscunt. Hæc enim spiritualium fluentorum natura est, ut hoc magis scaturiat spiritualis gratia, quo magis inde hauritur. » Rursum, idem S. Chrysostomus, homil. 55 *ad Popul.*: « Has opes, inquit, et ipsi sancti imitantes, sacrorum voluminum floridos saltus circumvolitant, et inde quidquid suave et mellitum est decerpunt. Et, si vis experiri illorum ora, videbis quidem talia eructantes, omnia mitia et jucunda, et spiritualis odoris suavitate plena. Nullum turpe verbum illa possunt ora emittere, nihil scurrile, nihil asperum et amarum, sed omnia ipsis cœlis digna. »

Denique Petrus Cellensis tract. *De Conscientiâ*, pulchre docet sapientiam esse quasi venam sanguinis, quæ subinde aperienda sit, ut sanguis effluat et affluat: « Scalpello, inquit, instantiæ eorum qui me rogant, et a me edoceri volunt, vena cordis incisa, undecumque vocavi vivum sanguinem venarum totius meditationis, ut de sanguine defæcata eruditionis commodaret seu emitteret cor, quod sufficeret dicenti, et sibi retineret unde viveret. Tunc enim utiliter, aut dicitur, aut scribitur, cum de tractatu suo, et vita propria emendatur, et aliena conscientia nihil minus instruitur. Nec credendum quod semper vena cordis evacuatur perniciose quoties inciditur, quin potius de effusione charitatis commodius fluit ac liberius. »

27 et 28. SPIRITUS ENIM MEUS SUPER MEL DULCIS, Vers. 27. ET HEREDITAS MEA SUPER MEL ET FAVUM: MEMORIA MEA IN GENERATIONES SECLORUM. — Ita Romana: minus recte alii legunt, *in generatione sæculorum*. Pro *spiritus* Græce est *μνημόσυλον*, id est *memoria*, vel potius *memoriale*. Unde Græca sic habent, *memoriale enim meum super mel dulce, et hereditas mea super mellis favum*; Tigurina, *nam memoria mei melle dulcior est, possessioque mea favo mellito jucundior*. Jam per *memoriam*, vel *memoriale*, Syrus accipit doctrinam; sic enim vertit, *quia doctrina mea præ melle dulcis est, et vis qui hereditant me præ favo*.

Secundo, Jansenius accipit legem dictatam a sapientia: *μνημόσυλον* enim significat memoriale et pignus, quod ad conservationem memoriæ

Doctor
est ut
fons et
fluens et
affluens.

1771

1772

1773

1774

1775

1776

1777

1778

1779

1780

relictum sit. Tale autem memoriale est lex, a sapientia Dei fidelibus relicta in hæreditatem, id est, in perpetuam possessionem. Itaque idem dicitur hic quod *Psal.* cxviii, 103 : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo ! » Et *Psal.* xviii, 11 : « Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : et dulciora super mel et favum. »

Tertio, planius et sublimius, Rabanus, et ex eo

Glossa : « Memoria sapientiæ Dei, in generationem omnium sæculorum permanebit; quia ipsam laudant Angeli, collaudant Archangeli, vaticinantur Prophetae, prædicant Apostoli, omnisque militia coelestium virtutum, et infinita multitudo sanctarum animarum adorant et glorificant in æternum. » Atque hanc memoriam æternam suis asseclis communicat Sapientia, dum eus æternitate nominis et famæ donat, juxta illud : « In memoria æterna erit justus, » *Psal.* cxi, 7. Unde Palacius sic explicat, *q. d.* Nullum erit sæculum, in quo inter homines pios non fuerit memoria mei. Ab Adam usque in finem sæculi habuit et habebit suos divina Sapientia amatores, qui dicant : « Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. » Nam sanctis illis patribus Sapientia apparebat in specie humana, Christianis apparuit in vera carne; ideo et hi et illi Christi memoriam habent in desiderio animæ.

Isaie
xxvi, 8.

Spiritus
Sapientie
quis?
Resp.
Primo.

Porro, « spiritus » Sapientie primo, a Rabano accipitur Spiritus Sanctus, qui a Sapientia genita, puta a Filio, æque ac Patre, procedit, *q. d.* Spiritus Sanctus, quem Christus mittet in mundum, super mel dulcis est; quia charitas Dei quæ per ipsum infunditur in cordibus electorum, incomparabilis est dulcedinis. *Secundo*, Glossa : Spiritus, inquit, id est, degustatio meæ bonitatis, super mel dulcis est, quia ipsam non adæquat aliqua delectatio corporalis. *Tertio*, alii, *q. d.* Spiritus, quem Sapientia aspirat suis asseclis, non est austerus et durus, sed benignus, suavis et dulcis super mel; unde sapientes, id est sancti, sunt mansueti, benigni, affabiles, suaves in verbis omnique conversatione.

Secundo.

Tertio.

Quarto.
et
genitum.

Quarto, et genuine Jansenius : « Sapientia, inquit, tribuit sibi spiritum, sicut supra tributa est ei anima. Significat autem nomine *spiritus*, suam naturam, de se per legis doctrinam et opera mirabilia, spirantem suavem apud homines odorem. Quomodo et *Sapient.* xii, dicitur : O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus ! quod non tantum de Spiritu Sancto est accipiendum, cum etiam ipsi Spiritui Sancto dici possit : O Domine, quam suavis est spiritus tuus ! » Hoc est quod huc alludens Christus, qui est Sapientia incarnata, ait *Matth.* xi, 29 : « Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. »

Christus ergo et Deus per se et natura sua est mel; sed nos peccatis nostris eum amaricantes cogimus nobis esse venenum et fel, juxta illud *Osee* xiv, 1 : « Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum. » Ubi S. Hieronymus ex Symmacho : « Pœnitebit eam, inquit, quod dulcissimum Deum in amaritudinem verterit; » scilicet, de patre in judicem, de benefactore in flagellatorem.

Denique « hæreditas, » id est possessio et peculium Sapientiæ, quam ipsa suis asseclis communicat, est gratia et gloria, sive sanctitas et felicitas; hæc dulcior est favo, quia sanctitas quietat totaliter appetitum, ait Glossa; felicitas vero æterna dulcissima est : « Hæreditas enim superna, ait Rabanus, quæ in agnitione et dilectione Dei tribuetur sanctis, quando eum videbunt facie ad faciem, et delectabuntur in dextera ejus usque ad finem, est inenarrabilis et inæstimabilis, quia scriptum est : Oculum non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, » *I Corinth.* cap. ii. Igitur causas et illecebras suæ invitationis dat Sapientia, quod ipsius spiritus sit dulcissimus, hæreditas pariter et possessio dulcissima, ac memoria sit æterna. S. Bernardus, serm. 2 *De S. Andrea*, ipsum statuit in exemplum, cui hic spiritus Jesu « crucem et mortem, inquit, fecit non solum non molestam, sed etiam desiderabilem atque omnino delectabilem esse. Spiritus enim meus (ait Dominus) super mel dulcis; ita ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat, amarissima licet, mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit a peritis unctioni illi, quæ mortem quoque facit suavissimam? Cum dederit (ait) dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Quam molestiam non expellit gaudium illud, quod mortem quoque ipsam facit esse lætissimam? Quæramus hunc spiritum, fratres, tota sollicitudine operam demus, ut mereamur habere hunc spiritum, imo, ut quem jam habemus, abundantius habeamus. Quicumque enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus. »

Sapientie
quantum
dulcedo.

Hujus rei symbolum fuit ænigma Samsonis : « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, » cum, scilicet, ipse in ore leonis a se occisi invenit mel, *Judic.* xiv, 14. Græci habent, *de tristi*, vel tristitia et labore, « egressa est dulcedo. » Sic spinæ rosas proferunt, sentes uvas, tribuli ficus. Nimirum : « Vincenti datur manna absconditum; et quod fuit durum pati, meminisse dulce est. »

Dulcissimus ergo est spiritus, dulcissimum et nomen Jesu, qui est sapientia nostra, et hæc tria nobis præstat. Audi S. Bernardum, in *Sententiis* : « Et quid tam cordium vita, quam Deus meus Jesus? Is vere est amans et amabilis, et totum quod de ipso est, vere est, quando ipse est non aliud sane, quam ipse veritas. Quis fidus verusve anima

et Jesu.

amor, nisi utique is, quo veritas adamatur? Rationis sum compos, veritatis capax; sed utinam non forem, si amor mihi defuerit! Non sum securus a securi, si absque eo inveniar. Valde omnino mihi amandus est, per quem vivo, sapio; si non ingratus sum et indignus. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, vivere recusat, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit; et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia; et qui esse vult sibi, et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Pro his ergo ita sum amans te, quantum possum; sed est quod me plus movet, plus urget, plus accendit; super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti; opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vindicat totum sibi; hoc est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. »

Anagoge
sicc.

Anagoge S. Bernardus, tract. *De Diligendo Deo*, post initium: « Memoria mea, inquit, in generatione sæculorum; hoc dicit, quia quamdiu stare præsens cernitur sæculum, in quo generatio advenit, et generatio præterit, non deerit electis consolatio de memoria, quibus nondum de præsentia plena relectio indulgetur. Unde scriptum est: Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt, haud dubium quin hi quos paulo superius dixerat: Generatio et generatio laudabit opera tua. Memoria ergo in generatione sæculorum, præsentia in regno cælorum. Ex ista glorificatur jam assumpta electio, de illa interim peregrinans generatio consolatur. » Deinde subjicit, qui hujus boni sint capaces, qui non. « Sed interest, inquit, quamam generatio ex Dei capiat recordatione solamen. Non enim generatio prava et exasperans, cui dicitur: Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram; sed, quæ dicere veraciter potest: Renuit consolari anima mea. Hinc plane et credimus, si secuta adjecerit: Memor fui Dei, et delectatus sum. Justum quippe est, ut quos præsentia non delectant, præsto eis sit memoria futurorum; et qui de rerum fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium non quæ sua sunt, sed faciem Dei Jacob. Dei ergo quærentibus et suspirantibus præsentiam, præsto interim et dulcis memoria est, non tamen qua satientur, sed qua magis esuriant, unde satientur. Hoc ipsum de se cibus ipse testatur, ita dicens: Qui edit me, adhuc esuriat; et qui eo cibus est: Satiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua. Beati tamen jam nunc, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam quandoque ipsi, et non alii, saturabuntur. Væ tibi, generatio prava atque perversa; væ tibi, popule stulte et insipiens, qui et memoriam fastidis, et præsentiam expavescis. »

Psalm.
XXVI.

B. Virgo Mystice, spiritus B. Virginis dulcissimus est.

Unde Ecclesia eam invocat: « Salve, regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. » Audi S. Bernardum, serm. 4 *De Assumpt.*: « Quis, inquit, misericordiae tuæ, o Benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et umbra mortis obtinuit redemptionem. » Et superius idem S. Bernardus dixerat: « Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatum te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Nos quidem, servuli tui, cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hoc potius nobis ipsis; laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur clarius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. » Idem S. Bernardus, sermone in illud: « Signum magnum, » ait, peccatorem vereri posse accedere ad Deum, qui ignis consumens est; ne, quemadmodum fuit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei. Et mox: « Quid, inquit, ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. » Et infra: « Quæ ad eam pertinent, plena omnia pietatis et gratiæ; plena sunt mansuetudinis et misericordiae. Denique omnia omnibus facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitorum se fecit; omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. » Rursus Damas-cenus, orat. 2 *De Assumpt. Virg.*: De Mater, inquit, « est inexhaustum pelagus gaudii, unica mæroris obliteratio, pharmacum ex omni pectore dolorem propulsans. » Si ergo tristaris, invoca B. Virginem, ipsa tibi sua gaudia communicabit.

Quocirca S. Agnes S. Brigidæ (ut habetur lib. IV *Revelat.* cap. xi) apparens, eique laudes Deiparæ narrans, hanc conclusionem eliciendam relinquit: « Sicut sole illuminantur et inflammantur cælestia et terrestria, sic ex dulcedine Mariæ nullus est qui non per eam, si petitur, sentiat pietatem. » In ea ergo impletur illud *Prov.* xxxi: « Lex clementiæ in lingua ejus. » Unde S. Ambrosius S. Mariam vocat manna; sic enim ait in *Psalm.* xxi, in fine: « Quin potius, inquit, ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis et splendida, suavis et virgo, quæ velut cœlitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit; quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: Nisi quis manducaverit carnem meam, » etc.

Denique memoria B. Virginis est in generationes sæculorum, quia durat per omnia sæcula, non tantum apud Christianos, sed et apud infideles et

dulcissima est.

Id S. Agnes revelat S. Brigidæ.

Saracenos. In Alcorano enim eorum multa ei præclara dantur elogia, ac inter alia, quod ipsa sit virgo et mater Christi, summi et sapientissimi Prophetæ, quodque Angeli salutarint eam dicentes: « O Maria, præ cunctis mulieribus Deus elegit te, et Verbum Dei concipies, tu es mundissima virgo, » etc.

Vers. 29. 29. QUI EDUNT ME, ADHUC ESURIENT: ET QUI BIBUNT ME, ADHUC SITIENT. — Ostendit sapientia se dulciorem esse melle et favo, quia dulcedo mellis, si multum comedatur, parit fastidium et nauseam. At vero dulcedo sapientiæ quo magis gustatur, eo magis appetitur et esuritur; et, quod mirum est, satiat impletque mentem, et tamen mens satiata ulterius ea satiari et impleri desiderat. Unde Tigurina vertit, *qui me comederint, esurient amplius; et qui me biberint, adhuc sitiunt; Syrus, sitiunt me.*

Nota primo: Sapientia, inquit Palacius, vocat se cibum et potum. Plane, quia ipsa est eminenter omnia; et vir pius credat hoc loco Sapientiam meminisse de se, ut futura erat in Eucharistia, in qua ipsa est vere cibus, vere potus. Nota secundo: Si est vere cibus et potus, non est quod ultra eam requiras, in his enim vita nostra continetur. Nota tertio rem miram: Sapientia ipsa est cibus, ipsa est esuries; nam qui eam comedit, eam esurit. Ut enim Deus simul est unus et trinus, misericors et justus; ita sapientia simul satiat animam, ut nihil ultra eam quærat; ita vero satiat, ut simul desiderium sui ac esuriam accendat. Non igitur erit unquam in celo fastidium.

Virtus, quo plus gustatur, eo plus appetitur.

Luculenter et pie hanc sententiam explicat B. Macarius Aegyptius, S. Antonii discipulus, qui floruit anno Christi 370, tota homilia 10, loquens de viris eximie sanctis: « Animæ, inquit, Dei ac veritatis amantes, quæ Christum in fide ac spe summa induere perfecte desiderant, aliorum admonitione non multum indigent, nec desiderio cœlesti aut erga Dominum amore, in quo aliquatenus immiui patienter ferunt; sed totæ penitus cruci Christi affixæ, spiritalem promotionem erga sponsum spiritalem in seipsis quotidie sentiunt et agnoscunt. Et cum desiderio cœlesti vulneratæ sint, et justitiam virtutum esuriant, illustrationem Spiritus Sancti summa ac inexplebili aviditate expetunt. » Subdit deinde, originem hujus aviditatis esse lumen cœleste: « Quod si forte beneficio fidei suæ notitiam mysteriorum divinarum adipisci merentur, aut lætitiæ gratiæ cœlestis participes fiunt, non confidunt in seipsis, arbitantes se aliquid esse; sed quanto magis abundant donis spiritualibus, tanto vehementius et sine satietate desiderii cœlestis inquirunt; quantoque magis spiritalem profectum in se senserint, tanto plus esuriunt ac sitiunt participationem et augmentum gratiæ; et quanto spiritualiter locupletiores sunt, tanto se pauperiores existimant; et absque satietate spirituali desiderio feruntur erga sponsum cœlestem, ut ait Scriptura: Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitiunt. » Denique earum ingentia lucra et præmia addit: « Hujusmodi

animæ, quæ tam ardenti et insatiabili dilectione flagrant erga Dominum, dignæ sunt vita æterna; quare merentur ab affectionibus redimi, accipiuntque perfectam illuminationem et participationem sancti et arcani Spiritus, ac mysticæ societatis, in plenitudine gratiæ. At vero socordes ac minime viriles animæ, quæ talia non exquirunt, intus revera vivunt in carne, » etc.

Causa est, præstantia sapientiæ, quæ ita plena est sapore et dulcedine, ut nunquam plene degustari possit, quin ulterius gustari desideretur. Audi S. Gregorium, homil. 36 in *Evangel.*: « Hoc distare, inquit, fratres charissimi, inter delicias corporis et cordis solet, quod corporales deliciæ, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero avidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra, spirituales deliciæ, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio; tantoque amplius a comedente esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciæ appetitum in mente dum satiant, quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur. Et ideo non habitæ, amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Proinde Psalmista nos admonet, dicens *Psalm. xxxiii*: Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus, *q. d.* Suavitatem ejus non cognoscitis, si hanc minime gustatis; sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis. »

Deliciæ spirituales gustatæ aciem esurient.

Esuries ergo est optima dispositio et præparatio ad comparandam sapientiam. Id ipsa Sapientia docuit D. Henricum Susonem, uti ipse refert in *Dialog.* cap. *xxiii*: « Spiritalis, inquit, esuries, et præsens sive actualis (ut vocant) devotio potius te ad me percipiendum, quam sola consuetudo movebunt. Anima in cœlesti abstractæ vitæ domicilio vel inclusorio, intime sentire ac dulciter perfrui me cupiens, vitis oportet ut sit ante nudata ac expoliata, ornata virtutibus, libera ab occupationibus supervacaneis, rosis purpureis flagrantissimæ charitatis consita, suave fragrantibus humilis abjectionis violis, et albicantibus inviolatæ puritatis ac castimonix liliis stipata. Lectulum mihi vel thalamum efficiat in vera cordis pace, siquidem in pace factus est locus meus; suis me stringat ulnis, omnem excludendo amorem alienum et extraneum; utpote quem laud secus ipse fugere consueverim, quam solent milvium aviculæ devitare. Cantet mihi cantica Sion, id est, ardentissimi amoris, cum attentissima ac devotissima laude. Tum vero ipse quoque vicissim amplexabor illam, et, meo innixam pectori, tranquillam faciam experiri requiem, perspicuam

Esuries dispositio ad sapientiam.

ac manifestam contemplationem, inexpertam fruitionem, quamdam sempiternæ suavitatis degustationem, et perennis beatitudinis experimentum. Quæ quidem ipsa soli sibi servare debet, dicens cum Propheta : Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Alieni enim ista non sentiunt, nec percipiunt. Dicet ergo cum intimo cordis suspirio : Vere tu es Deus absconditus; tu es bonum illud occultum, quod nemo novit nisi qui accipit.»

Signum profectus in virtute, quod ?

Tropologice, hic discere certum signum et effectum sapientiæ, virtutis et profectus esse, magis semper eam esurire et sitire; quia sapientiæ et virtus sui acuit desiderium, eoque magis quo ipsa crescit. Acres ad id ipsum, ex hisce Ecclesiastici verbis, stimulos studioso sapientiæ et virtutis adhibet Faustus Rhegiensis Episcopus, *Instruct. ad Monachos*, in fine, quæ exstat in Appendice *Biblioth. SS. Patrum*, p. 1566 : « Simus, inquit, in opere Dei indeficientes propter æternam retributionem, et quotidie ad meliora tendamus. Ipsa enim apprehendendi aviditas, ipsa consuetudo proficiendi semper nos ad majora provocet; et ubi viderit Deus devotionem animæ, ardentiorum insinuabit affectum; et quanto nos arserimus ad studium, tanto ille addet ad gloriam. Qui habet, dabitur illi, et superabundabit. Et alio loco dicit : Posui adjutorium super potentem. Gratia enim de gratia nascitur, et profectus profectibus serviunt, lucra lucris, et merita meritis locum faciunt, ut, quanto plus acquirere cœperit, tanto plus acquirere conetur; et quanto avidius de sapientiæ bonis hauserit, tanto plus haurire desideret; sicut ipsa de se loquitur Sapientia : Qui edunt me, adhuc esuriant. Urgeamus cursum nostrum, ut crescat in novissimo vita nostra. Quæramus usque in finem, unde sine fine gaudere mereamur. Sed esto, non possimus exercere corporis labores, conferamus nos ad spiritualium bonorum desiderium, ad compunctionis et charitatis augmentum. Si quotidie in cordibus nostris disponamus ascensus, nulla infirmitate, nulla ætate lassari possunt mentes, ut spiritualibus quibusdam gradibus ascendere mereamur ad promissa Domini nostri Jesu Christi. » Plura vide apud nostrum Alvarez de Paz *De Natura perfectionis*, lib. III, part. II, cap. XIV et XV, fructu 6.

Porro S. Augustinus, lib. XV *De Trin.* cap. II : « Qui me manducant, inquit, adhuc esuriant; et qui bibunt me, adhuc sitient. Manducant et bibunt, quia inveniunt : et quia esuriant ac sitiant, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit; propter quod ait Propheta Isaias cap. VII : Nisi credideritis, non intelligetis. Et rursus : Intellectus eum quem invenit, adhuc quærit. Deus enim respexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. »

Mystice de cultu B. Virginis.

Mystice B. Virgo, quo magis a fidelibus amatur, desideratur et colitur, eo majorem in eis sui amoris, desiderii et cultus esuriam sitimque excitat, quia eo magis suam charitatem, potentiam,

opem ostendit. « Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra, » inquit S. Bernardus, homil. 4 super *Misus est*. Idem, serm. in *Visitat.* : « Omnibus, inquit, omnia facta est (S. Maria) sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitorum se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristes consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiæ, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. »

Denique pie æque ac germane idem S. Bernardus in *Jubilo* hæc attribuit Jesu Christo :

Qui te gustant (inquit) esuriunt;
Qui bibunt adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

Id particulatim explicat, dum subdit :

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar celicum.

Unde ad eum anhelans concludit :

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?

Porro, sicut et qui edunt me, adhuc esuriant, ad litteram verum est de Christo, quem edimus in Eucharistia, et tamen eundem esurimus, id est, edere gestimus : sic idem pariter ad litteram vere dici potest de B. Virgine. Mirum hoc, sed verum. Quoties enim comedimus carnem Christi in Eucharistia, toties in eadem comedimus realiter carnem B. Virginis : quia caro Christi est caro B. Virginis : imo ipsissima caro Christi, antequam in incarnatione a B. Virginis carne decideretur et daretur Christo, fuit propria caro B. Virginis, ejusque anima informabatur et animabatur. Sicut ergo et quotidie esurimus carnem Christi in Eucharistia, sic et esurimus in eadem carnem B. Virginis, ut virgineas ejus dotes et mores imbibamus, nobisque incorporemus. Idque faciunt non soli sacerdotes et Religiosi, sed omnes Christiani; omnes enim sua, æque ac Christi carne pascit B. Virgo in Eucharistia. Atque hinc ille virginitatis et angelicæ puritatis amor in digne et frequenter communicantibus. Sane fideles omnes hac de causa uti Christum, sic B. Virginem assidue corde, ore et opere gestare deberent; imo in B. Virginem quasi transire et transmutari, sicut ferrum igne candens transit in ignem, et sicut panis fermento conditus in fermentum quasi immigrat et transit. Unde Christus se suaque comparat fermento, *Matth.* cap. XIII, 33. Atque hac de causa Christus suam carnem reliquit in Eucharistia, optante, et forte orante, id B. Virgine, ut sese

In Eucharistia edimus carnem B. Virginis, quomodo ?

Hinc puritatis amor.

intime fideli cuique per omnia temporum sæcula uniret et incorporaret. Vide hic eximiam charitatem Christi et B. Virginis in nos, ut nos vicissim in eum cor totum defigamus, imo in eum quasi transeamus, ac dicamus cum S. Paulo : « Quis nos separabit a charitate Christi ? Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Rom. viii.*

Vers. 30. 30. QUI AUDIT ME, NON CONFUNDETUR : ET QUI OPERANTUR IN ME (id est, qui mihi navant operam), NON PECCABUNT. — Tigurina, *qui me audit, in nullam prorsus ignominiam incidet; et qui navant operam, non peccabunt; Syrus, qui audit me, non cadet; et omnia opera ejus corruptelam non patientur.* Duplicem hic fructum promittit Sapientia sui studiosis, scilicet quod duplex evadent malum, nimirum confusionem et peccatum. « Qui, inquit, audit me, » id est, qui mihi auscultat, qui mihi obedit, nunquam pudore suffundetur; quia nihil agat, cujus eum pudere possit; sed omnia perficiet sapienter, ut de iis letari et gloriari queat : quare æternam reproborum confusionem evadet, nec spe sua potiendi gloria cœlesti frustrabitur, sed eam certo assequetur. « Et qui operantur in me, id est, ait Jansenius, qui sua per me obeunt negotia, non peccabunt » in eis : sed sua omnia uti prudenter, ita et feliciter peragent. In priori ergo membro *εὐτυχία*, id est, felicitatem promittit; in secundo *εὐπραγία*, id est, bonam operationem.

Mystice. Mystice, utrumque sui cultoribus sibi que devotis præstat B. Virgo, uti ex omni sæculorum omnium historia liquet: quare si quis a peccato et pudore immunis vivere velit, si gratiam et salutem sibi assecurare, si quis magnum perseverantiæ donum nancisci cupiat, illud identidem a Deo per intercessionem B. Virginis efflagitet. Perire enim et damnari nequit, qui tantam apud Deum patronam habet; nisi quis ultro se in scelera et gehennam præcipitet, uti faciunt nonnulli stolidi, qui impune in suas cupiditates ruunt, præsumptuose præfisi de ope B. Virginis, cui se devotos dicunt, eo quod in ejus honorem sabbato jejunt, Rosarium recitent, vel similem ei cultum exhibeant. Qui sane in B. Virginem

injurii sunt, tum quod de ejus misericordia impie præsumant, tum quod cultum ejus tot criminibus inquinant, dedecorent et infament, ideoque duplici damnatione digni sunt.

Tropologice S. Bernardus, serm. *De Septem Donis*: « Operemur, inquit, in Sapientia quæ dicit: Qui operantur in me, non peccabunt; ager enim est mundus, ait Veritas. Fodiamus in eo, thesaurus absconditus latet, effodiamus eum; ipsa est enim sapientia quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes concupiscimus eam; sed frustra quærit, qui in lectulo suo quærit, neque in terra suaviter viventium invenitur. Lectulus est, et ibi gigantem quæris; tuus est, et ibi speras invenire qui diversoria semper ignorat. Si quæritis, inquit, quærite, convertimini, et venite. Quæris, unde? a lectulo tuo. Quæris, unde convertaris? a voluptatibus, inquit, tuis avertere. »

31. QUI ELUCIDANT ME, VITAM ÆTERNAM HABEBUNT. **Vers. 31**
— Tigurina, *interpretes mei vitam æternam consequentur, nisi sapientiam, quam verbis elucidant, factis pravis obscurent.* Equidem videtur difficile et rarum, ut tam rebelli sit animo S. Scripturæ interpres, ut resistat veritati quam jugiter interpretatur, maxime cum Sapientia adeo benigna sit, ut continenter fere suos elucidatores vocet ad se, ait Palacius. Sententia hæc jam deest in Græco et Syro. Sapientia recensuit promisitque præmia discipulo, qui audit sapientiam, vers. præcedenti; nunc præmium assignat doctori et interpreti, qui scilicet non seipsum suamque gloriam, sed Sapientiæ Dei que laudem aucupatur et celebrat. Præmium est vita et gloria æterna, quia, ut ait Daniel cap. *xii*: « Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Nam, ut ait S. Bernardus, serm. *39 in Cant.*: « Benignus est spiritus Sapientiæ, et placet illi doctor benignus et diligens, qui ita cupiat satisfacere studiosis, ut morem gerere tardioribus non recuset. Denique, qui elucidant me, vitam æternam habebunt, ait ipsa Sapientia. Quo quidem præmio ego fraudari noluerim. »

SEXTA PARS CAPITIS,

QUA DOCET SAPIENTIA, SE IN LEGE MOYSI ET PROPHETIS CONTINERI, AB IISQUE EXQUIRENDAM; SED MAGIS A CHRISTO, QUI MOSIS ET PROPHETARUM DICTA COMPLEVIT; UNDE CHRISTI PLENAM PERFECTAMQUE SAPIENTIAM COMPARAT FLUVIIS COPIOSIS, PHISON, TIGRI, EUPHRATI, JORDANI, GEHON, IMO MARI.

p. s. 32 et 33. 32 et 33. HEC OMNIA LIBER VITÆ, ET TESTAMENTUM ALTISSIMI, ET AGNITIO VERITATIS. LEGEM MANDAVIT MOYSES IN PRÆCEPTIS JUSTITIARUM, ET HEREDITATEM DONUM JACOB, ET ISRAEL PROMISSIONES. — Hæc et sequentia censet Jansenius esse verba non Sapien-

tiæ, sed Siracidis qui hic interloquatur, explicetque et confirmet verba Sapientiæ; sed nihil obstat quominus accipiamus ea ut verba Sapientiæ, quæ hic pergat loqui, ostendatque ubi et quibus in libris ipsa tradita sit, ideoque in iisdem

legenda et perquirenda. Nam inferius vers. 40, pergit loqui Sapientia, dicitque : « Ego Sapientia effudi flumina. » Sensus ergo est, *g. d.* Hæc omnia quæ hactenus in meam laudem a me dicta audistis, subaudi, continet, tradit et præstat liber vitæ, id est liber legis (Pentateuchus Mosis) et Prophetarum, qui dicitur *Liber vitæ*; quia, si eum observes, perlinges ad vitam æternam. Idem dicitur *Testamentum Dei*, quia continet extremam et summam ejus voluntatem, et pactum cum hominibus, estque ipsa *agnitio veritatis*, puta veri Dei, veræ fidei et religionis, veræ salutis, veræ virtutis, quæ una est via ad salutem assequendam: liber, inquam, legis, quem « mandavit Moyses, » dando « præcepta justitiarum, » id est justa, imo justissima, quæ essent quasi hæreditas perpetua Israeli, eique promitterent et præstarent hæreditatem fertilem, stabilemque possessionem Judææ in hæc vita, et in futura æternam paradisi cælestis regnique Dei. Unde Græca breviter sic habent, *hæc omnia* (subaudi, continet, vel sunt) *liber fœderis Dei altissimi; lex quam præcepit nobis Moyses, ac dedit nobis hæreditatem* (hæreditario scilicet jure possidendam) *in synagoga Jacob*. Ubi nota: Si intelligas verbum *sunt*, significatur quod Sapientia sit liber vitæ, testamentum Altissimi, agnitio veritatis, lex quam mandavit Dominus. Unde Tigurina, *hæc omnia ipse liber vitæ et pacti Dei altissimi sunt, veritatis scientia, et lex quam Moyses præcepit justissimis tulit populis Jacob hæreditariam, una cum promissionibus ad Israelitas pertinentibus*.

Alii vero subaudiunt verbum *non sunt*, sed *continet*, eodem fere sensu. Unde Syrus, *universa hæc, inquit, in libro testamenti Domini scripta sunt, lex quam mandavit mihi Moyses, hæreditas est congregationi Jacob*. Unde illud regii Psalms *Psalms. cxviii*: « Portio mea (hæreditaria), Domine, dixi, custodire legem tuam. »

Post hunc versum Græca, Complutenses et Tigurina hunc addunt, *ne elanguescite, quominus fortes sitis in Domino* (Tigurina, *ne elassescatis cum Domino fortiter agere*), *ut ipse vicissim confirmet vos. Adhærescite ei, Dominus omnipotens solus Deus, et non est alius præter ipsum servator*. Verum Græca Romæ emendata, Syrus et Latini omnes hæc omittunt.

Vers. 34 et 35. POSUIT DAVID TIERO SUO EXCITARE REGEM EX IPSO FORTISSIMUM, ET IN THRONO HONORIS SEDENTEM IN SEMPTERNUM. QUI IMPLET QUASI PHISON SAPIENTIAM, ET SICUT TIGRIS IN DIEBUS NOVORUM. — A Moyse quasi typo, transit ad Christum quasi antitypum. Quia enim dixit sapientiam in lege Moysis et Prophetis descriptam contineri, ne quis in iis quasi fine et termino, plenaque sapientia sistendum putet, subjicit, per Moysen et Prophetas tendendum esse ad Christum, qui est finis legis et Prophetarum; Christus enim solus plenam perfectamque sapientiam, adumbratam tantum per Moysen et Prophetas, mundo attulit et docuit, juxta illud *Joannis 1,*

vers. 17: « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Eum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » Prior versus deest jam in Græco et Syro; sed olim in Græco existisse liquet ex nostro Interprete, qui illud in suo exemplari legit, uti hoc loco faletur Jansenius. Neque enim probabile est, inquit, illum de suo tam multa addidisse, quibus nihil tale in suo exemplari correspondisset. « Posuit » ergo, scilicet Deus, qui David fecit « regem, » eique promisit filium eo potentiorum, puta Messiam sive Christum. Hebræi enim sæpe suppositum ex circumstantiis vel antecedentibus quasi notum, et cuius obvium, subaudiendum relinquunt. Sic hic Sapientia, quia Deo est familiarissima et intima, Deum suum, quasi omnibus notum, subicit et subaudit: præsertim quia eum hoc capite sæpius, ac paulo ante vers. 32, nomine *Altissimi* nominavit; perinde ac S. Magdalena ait hortulano: « Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum: et ego eum tollam; » quem? utique Christum, quo plena erat S. Magdalena, amore ejus ebria, putabatque hortulanum et alios eundem cogitare, quem ipsa cogitabat et ardebat, *Joan. xx, 13*.

Sensus est, *g. d.* Deus altissimus, qui vetus Testamentum et legem dedit per Moysen, « posuit, » id est statuit et sanxit, ex Davidis semine excitare Messiam « regem fortissimum, » et sempiternum legislatorem novi Testamenti, novæque legis, et doctorem novæ sapientiæ; « qui, » scilicet Christus, « implet, » Græce est *implens*, id est implebit, hoc est plene effundet, faciet abundare « sapientiam, » perinde ac « Phison » et « Tigris » abundant aquis « in diebus novorum, » id est novarum frugum prodeuntium et maturescantium, puta tempore veris (tempore æstatis etiam exundasse Jordanem patet *Josue iii, 15* et vers. sequent. hic), eamque plenam perfectamque tradet Ecclesiæ et Christianis, per quam efficiet præstantissimos Doctores, Theologos, Confessores, Pontifices, Martyres, Virgines ac fideles in omni sapientia, id est virtute et sanctitate, præstantes et perfectos. Unde Tigurina vertit, *Davidi constituit se regem potentissimum creaturum ex eo, qui in solio majestatis sedeat in æternum. Qui quasi Phison omnia replet sua sapientia, et ut Tigris novarum frugum temporibus; Syrus, quia plena est sicut fluvius Phison sapientia, et sicut Tigris in diebus frugum suarum*. Ita Lyranus. Hinc patet hæc verba non convenire Salomoni, sed Christo; etsi enim Salomon mortalium fuerit sapientissimus, tamen præ Christo fuit insipiens. Unde et regnum ejus non fuit æternum, sed modici temporis et caducum; Christi vero regnum est æternum, uti hic dicitur. Ita Rabanus et Lyranus. Notat Palacius proprie hæc convenire Pentecostæ; in ea enim Christus misit Spiritum Sanctum in Apostolos, ut in eos suam sapientiam et spiritum copiose instar fluminis effunderet, imo in eos faceret quasi fin-

mina sapientiae, quae totum orbem inundarent. Unde apparuit eis in specie linguarum iggearum, *Aetor.* cap. II. Alludit ad etymon Phison; Phison enim Hebraice idem est quod multitudo, copia, exuberantia, a radice פִּיִּן *pis*, id est luxuriari, multiplicari, exuberare. Ita Josephus, lib. I *Antiquit.* cap. II, et Isidorus, ib. XIII *Etymol.* cap. XXI.

Aliter Jansenius; censet enim *quod qui implet quasi Phison*, non referri ad Christum, sed ad Deum, esseque suppositum versus praecedentis, *q. d.* Deus altissimus qui implet quasi Phison, sapientiam, hic Davidi puero suo constituit excitare regem Messiam fortissimum. Verum Messias hic non tam a fortitudine quam a sapientia laudandus venit: ergo *quod qui implet quasi Phison sapientiam*, ad Messiae sapientiam declarandam referendum est; alioqui tenuis et plane frustranea Messiae hic mentio induceretur.

Nec obstat Graecum, *ὁ πληθύν*, id est implens, scilicet Deus; nam si regem Christum referret, dicendum fuisset πληθύνωσα, id est implentem, ut objicit ipse Jansenius; quia articulus *ὁ* sumitur pro relativo *ὅς*, id est *qui*; et forte sic legit Noster; unde vertit, *qui implet: qui*, scilicet rex Christus; hic enim praecessit, non Deus. Hebraei enim participio utuntur pro indicativo, quia eo carent. Adde antiptosis crebram esse Hebraeis, ut nominativum usurpent pro accusativo: quia Hebraei casibus carent. Denique iidem saepe subaudiunt relativum, אֲשֶׁר *asher*, id est *qui*, praesertim in epiphonemate, quale hic est, *q. d.* Deus excitabit regem Messiam, qui erit *ὁ πληθύνωσα*, id est ille caelestis doctor implens omnem sapientiam.

Nota primo: Sapientia hucusque se comparavit pulcherrimis arboribus, resinis, aromatibus et floribus: nunc se in Verbo incarnato, puta Christo, qui est Sapientia Patris, tam genita quam incarnata, comparat praestantissimis sacrisque fluminibus, scilicet quatuor Paradisi, per quos mystice representabatur: sicut enim illa exuberant aqua, ita Christus gratia; et sicut illa irrigant et fecundant Paradisum, ita Christus irrigat et fecundat Ecclesiam. Rursum, sicut illa ad quatuor orbis partes tendunt, ita Christi sapientia quatuor orbis plagas pervasit et padaquavit. Tertio, quatuor flumina, ait Ambrosius, lib. *De Paradiso*, et S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.* cap. XXI, ac Rabanus et Lyranus representant quatuor Evangelia, quibus conscripta est sapientia Christi, quae quatuor mundi regiones occuparunt. Igitur Sapientia increata et genita hic descendit ad Sapientiam incarnatam, puta ad Christum, qui non tantum fuit redemptor hominum, sed et sapientiae doctor; ac ex ea vers. 40 descendit ad sapientiam creatam et communicatam creaturis.

Nota secundo: Implere sapientiam, est plenam continere sapientiam; item plenam dare, docere et effundere instar Phison, qui ita plenus est aquis, ut plenitudine sua exundet, eamque effundat in campos vicinos. Est hebaismus; mis-

etur enim *cal* cum *hiphil*, id est significatio neutra cum activa: implere enim est plenum continere, et plenum effundere.

Tertio, Tigris impletur aquis « in diebus novorum, » id est, dum novae fruges adoleseunt, hoc est in martio et vere: quia tum nives hieme costrictae liquantur, et in Tigrim influunt. Eadem de causa multa alia flumina in martio crescunt et intumescunt: idque fit sapientia et sapienti consilio Dei, ut scilicet fruges crescentes et maturescentes, a crescente et exundante flumine majus sugant alimentum. Audi Plinium, lib. X, cap. XVIII: « Excellentius Thebaidis regioni frumentum, quoniam palustris Aegyptus: similis ratio, sed major felicitas Babylo ni ac Seleucia, Euphrate ac Tigri restagnantibus (exundantibus), quoniam ibi rigandi modus manu temperatur. »

Quarto, qui sint Tigris et Euphrates, constat; de Phison et Gehon dubium est. S. Hieronymus, Josephus, Epiphanius, S. Augustinus, S. Ambrosius, Isidorus, Rabanus, Glossa et passim alii censent Phison esse Gangem « qui circuit terram Hevilath, » ut dicitur *Genes.* II, 11, id est Indiam, quae est intra Gangem, « ubi nascitur aurum » optimum; imo ipse Ganges, teste Plinio, aurifer est et gemmifer; et Gangem exundare aequae ac Nilum docet Plinius loco jam citato. Ganges etiam recte vocatur Phison, id est multitudo, quia in Gangem decem magna flumina aquas suas exonerant. Verum, quia difficile est creditu Paradisum, qui Hebr. vocatur *gan*, id est hortus voluptatis, tot tamque vastas regiones, quot inter Euphratem, Gangem et Nilum interjacent, complexum esse; hinc Pererius, Oleaster, Eugubinus, Vatablus et alii probabiliter opinantur Phison et Gehon esse duos fluvios, qui ex confluxu Euphratis et Tigris, cum rursus se dividunt et diffluunt, nascuntur, ac post varios anfractus labuntur in sinum Persicum. Unde Q. Curtius, lib. V, et Plinius, lib. VI, cap. XXVII, unum horum vocat Phasitigrim, qui videtur esse Phison. Vide quae de hac quaestione dixi *Genes.* II, 8.

36. QUI ADIMPLET QUASI EUPHRATES SENSUM: QUI MULTIPLICAT QUASI JORDANIS IN TEMPORE MESSIS, — *q. d.* Christus adimplet, id est plenum perfectumque promit profertque sensum, Graece *ἐμπληρύνω*, id est intelligentiam, sicut Euphrates plenas promit funditque aquas. Unde Tigurina, *in modum Euphratis fecundat ingenium* Christus. Idem « multiplicat, » id est multum docendo effundit sensum et sapientiam, sicut « Jordanis in tempore messis » aquis exundat. Jordaneum adjungit quatuor sacris fluminibus Paradisi, quia et ipse sacer est ex Terra sancta quam interluit, et ex miraculoso transitu Hebraeorum per illum sicco pede, duce Josue, *Josue*, cap. III. Item ex habitatione Eliae, Elisei et Prophetarum, ac S. Joannis Baptistae, qui in Jordane baptizavit Judaeos, adeoque ipsum Christum. Porro Jordanis, eadem de causa qua Tigris, exundat tempore messis, scilicet eo quod in

Phison: an Ganges?

Vers. 36.

Sapientia similis quatuor fluvii Paradisi.

vicinis montibus liquatæ per æstum nives, aquæ copiam in Jordanem immittant, uti docet Abulensis, Andreas Masius et Arias Montanus in *Josue* cap. III. *Tempus enim messis vocat martium et ver.* In nisan enim, id est martio, in Judæa, utpote regione calida, primæ fruges maturescunt, ut patet ex eo quod in Paschate primæ fruges hordeaceæ Deo ex lege offerebantur : qua de causa nisan, id est martium, Scriptura vocat « mensem novarum frugum, » vel, « primum verni temporis, » *Deuter. XVI, 1*, uti ostendi *Exodi XIII, 4*. Unde Syrus hic expresse verfit, *supernatat sicut Euphrates intelligentia, et sicut Jordanis in diebus nisan*, id est in martio.

Symbolice, Jordanis typus est Baptismi, quo illuminamur, ac fide et sapientia Christi donamur. Ita Rabanus.

VERS. 37. 37. QUI MITTIT DISCIPLINAM SICUT LUCEM, ET ASSISTENS QUASI GEHON IN DIE VENDEME. — Tigurina, *disciplinam profert in lucem, inundat sicut Gehon tempore vindemiæ; Syrus, effundit sicut fluvius doctrinam, et sicut Gehon in diebus vindemiæ.* Miscet fluminibus solem et lucem, quia quod sol est in cælo, hoc est flumen in terra, scilicet terræ oculus : sicut enim sol spargit lucem quæ terram illuminet, calefaciat et fecundet; sic et fluvius spargit rivos aquarum qui terram irrigent, inebriant et fecundant. Unde Hebræi hæc duo per unum idemque verbum significant : נָהָר *nahar* enim significat et illuminare et confluere; hinc *nahar* est fluvius in quem confluunt aquæ : *nahar* rursus alludit ad נֵר *ner*, id est lucerna, et ad נֹר *nor*, id est lux, quia fluvius est quasi lucerna et lux terræ.

Porro, aptissime Christi sapientia comparatur luci et soli : quia ipse est sol sapientiæ, gratiæ et justitiæ, qui ejus radios mittit in omnes homines. Vide dicta *Jacobi I*, vers. 17, et *Malachiæ IV*, 2.

ET ASSISTENS QUASI GEHON. — *T* assistens jam non est in Græco et Syro; Jansenius illud accipit active, *q. d.* Sapientia sistit lucem, id est eam præsentem exhibet : verum latine nemo dicitur *lucem assistere*, pro eam præsentem exhibere. « Assistens » ergo proprie significat, Christum nobis assistere cum copia suæ sapientiæ et gratiæ, paratum ut eam in nos effundat, si vas capax, puta cor rebus aliis vacuum ei exhibuerimus; sicut Gehon intumescens, cum aquarum copia assistit agris, ut eam in illos effundat, nisi quis murus vel alius obex obstat.

Quæres, quis et qualis fluvius est Gehon? S. Epiphanius, S. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Josephus, Damascenus, Isidorus, Rabanus, Eucherius, Rupertus, Glossa in *Genes. III*, et alii veteres communiter, quos citant et sequuntur Conimbricenses in *Metora*, tract. 9, cap. X, et Ribera in *Amos* cap. VI, num. 44, imò et Septuaginta, *Jeremiæ II*, vers. 17, conferendo cum Hebræo, docent Gehon esse Nilum : Nilus enim est qui circuit terram Æthiopiæ, ubi regnat Prete

Joannes, quod de Gehon dicitur *Genes. II, 13*. Item Nili exundatio celeberrima est, uti de Gehon hic dicitur. Nilus ergo e terrestri Paradiso oritur, sed subterraneis cuniculis absconditur Dei consilio ad occultandum Paradisum, donec perveniat ad regnum Congi, ubi e quodam lacu Nilum primum nasci observarunt ii, qui hoc sæculo ea loca lustrarunt. Hinc veteribus Nili origo incognita : Pausanias tamen in *Corinthiacis* ait non deesse qui ex Euphrate terra condito, ac postea supra Æthiopiæ prodeunte, Nilum effici putant. Quod respondet S. Scripturæ, quæ *Genes. II*, quatuor illa flumina Paradisi, inter quæ est Euphrates, ex uno oriri, vel in unum confluere docet. Nec mirum, Nilum ita condi, et tam remote exoriri : nam flumina remotissima a mari, hoc modo e mari oriuntur, ut ait Ecclesiastes cap. I, vers. 7. Porro patet Nilum exundare in æstate post messem, quæ in *Ægypto fit in maio*, puta sub solstitium æstivale, sub quod tempus ibidem fit vendemia; et tum partim exundando, partim oblimando, stercorare et fecundare Ægyptum. Causam exundationis variam dant Solinus, Plutarchus, Diodorus, Mela, Plinius et alii, ut notavi *Exodi* cap. IX. Vera est, quam dat Aristoteles in *Meteor.* et quam recentiores experientia didicerunt, scilicet, pluvix quæ in superioribus partibus, in quibus eo tempore hiems est, quo in *Ægypto* est æstas, tum ob hiemem, tum ex peculiari cœli et sideris alicujus influxu, stato tempore abundant, et in Nilum cum nivibus a se in aquam resolutis defluunt. Quæ etiam causa est communis inundationis aliorum fluminum. Ita Conimbricenses superius citati. Verum quia incredibile videtur Nilum et Gangem tanto et tam vasto terrarum spatio sub terra se condere, et fluere, puta, per 4,300 milliarium; hinc Pererius, Oleaster, Eugubinus et alii probabiliter censent Gehon æque ac Phison esse illa duo flumina, quæ post confluum Tigris et Euphratis rursus se in duo secant et dividunt. Quæ de re fuse dixi *Genes. II, 8*.

Porro, apposite Sapientia comparat se Nilo. Ægyptus enim omnem suam fertilitatem et felicitatem haurit a Nilo, sic homines a sapientia. « Nilus ibi coloni vice fungitur, » ait Plinius lib. XVIII, cap. XVIII, exundatione sua enim oblimat, impinguat et fecundat agros : quin et subinde semina aliunde allata in agri sinus jacit, ut coloni provenientes fruges metant, quas non seminarunt. Sic, influente in nos sapientia, velut Nilo, cœlestium donorum et seminum, nec aratam nec seminatam virtutum messem provenire cernimus, ut impleatur illud Christi : « Alius est qui seminat, et alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis, » *Joan. IV, 37*.

Tropologice, Paradisus voluptatis est anima sapiens et sancta, quæ quatuor rigetur fluviis : Gange, id est prudentia; Nilo, id est temperantia; Tigri, id est fortitudine; Euphrate, id est

Fluvius est quasi lucerna terræ.

Sapientia similis Nilo, cur?

Gehon est Nilus?

justitia. Ita S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*. Vide dicta *Genes. II.*

Vers. 38. 38. QUI PERFICIT PRIMUS SCIRE IPSAM, ET INFIRMIOR NON INVESTIGABIT EAM. — *Perficit scire*, id est perfecte scit : est græcismus. Sensus est : Christus solus perfecte novit sapientiam ; et quicumque Christo minor et infirmior est, hic nunquam plene eam investigabit. Unde Græca pro *is*, id est *qui*, legendo jam *ob*, id est *non*, sic habent, *neque primus perfecte novit eam, neque similiter ultimus perestigabit, q. d.* Nec primus hominum qui studuit sapientiæ, nec ultimus qui eidem studuit vel studebit, eandem plene penetravit aut penetrabit. Unde Tigurina, *primus eam non pernovit exacte, nec item perestigabit ultimus* ; clare Syrus, *non absolverunt antiquiores sapientiam, nec posteriores comprehendunt eam*. Hoc est quod ait Baruch cap. III, 31 : « Non est qui possit scire vias ejus (sapientiæ), neque qui exquirat semitas ejus ; sed qui scit universa, novit eam, etc. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, » homo factus, ut homines doceret sapientiam.

Audi Rabanum. « Vere enim Dominus noster Jesus auctor est scientiæ spiritualis, et salubris doctrinæ : quia ipse per Moysen primum condidit legem, ipse inspiravit Prophetas, ipse docuit Apostolos, ipse ordinavit Evangelistas et prædicatores novi Testamenti : nec alius est plenus et perfectus investigator et agnitor sapientiæ Dei, nisi is qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus, de quo scriptum est : Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Quod autem dicitur : A mari abundavit cogitatio illius, et consilium ipsius ab abysson magna, ostendit profunditatem sapientiæ divinæ inæstimabilem et incomprehensibilem esse : quia nemo secreta illius per omnia penetrare potest, nisi ipse unus et solus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui semetipsum per omnia novit, et consilii sui verus agnitor est. Dat creaturæ suæ tantum de se nosse, quantum novit illi expedire ; et doctrinæ suæ fidelibus suis secundum modum dispensationis suæ tribuit intellectum. »

Vers. 39. 39. A MARI ENIM ABUNDAVIT COGITATIO EJUS, ET CONSILIUM ILLIUS AB (ita legendum cum Romanis et Græcis, non *in*) ABYSSO MAGNA. — Dat causam cur nemo, nisi Christus, plene possit pernoscere sapientiam : quia scilicet « a mari, » id est, præ mari, plusquam mare abundat et profunda est « cogitatio » sapientiæ, et « consilium » ejus præ « abysson, » id est aquarum voragine et copia, quæ fundo caret, id est, carere hominibus videtur, profundum est et inscrutabile, juxta illud *Roman. XI* : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! » Est hebraismus : Hebræum enim *מין*, id est, *a, ex, de*, sæpe significat præ, plusquam. Hoc imitatur subinde Latinus interpres, unde a vel *e* sumit pro præ. Exempla sunt *Ezech.*

cap. XVI, vers. 3 ; *Reg. cap. XIV*, vers. 21, et alibi.

Quocirca Tigurina vertit, *nam abundantior mari est intellectus ejus, et consilium ejus profundo immensius* ; Syrus, *quia præ mari magno multiplicata est sapientia, et cogitatio præ abysson magna* ; alii, *supra mare multa est cogitatio ejus, et consilium ejus supra abyssum ingentem*. Aliter Palacius : *A mari divinitatis, inquit, ortum habet sapientia Evangelica, et ideo ejus consilium est in (sic enim ipse legit pro ab) eadem divinitatis abysson. Quis igitur nisi Deus eam cognosceret ?*

40. EGO SAPIENTIA EFFUDI FLUMINA. — Tigurina, **Vers. 40.**

ego sapientia tota effundo super flumina. Ne quis enim miretur dicatque : Cur te, o Sapientia, comparasti cum Euphrate, Tigri, Jordane, etc., quid tibi, quæ lux es spiritualis, cognationis aut rei est cum fluminibus ? Respondet magnam sibi cum eis cognationem esse ; se enim esse matrem fluminum, se e suis visceribus quasi effudisse flumina. Adde, magnam esse analogiam fluminis et aquæ cum sapientia : utraque enim refrigerat, rigat, fecundat, sitim sedat ; denique qualis est fluxus fluminis e fonte, talis est fluxus luminis a sole, puta sapientiæ a Deo : imo hic illo longe est celerior, sublimior, divinator. Vide Hydragiologiam M. Antonii Marsilii Columnæ Archiepiscopi Salernit. in qua ostendit aquæ et fluminum præstantiam, ideoque crebrum aquæ usum esse in Sacramentis et rebus sacris. Unde Thales et philosophi, « aquam principem rebus creandis » dixere, inquit Ausonius in *Ludo sapient.*

Analogia a iura et sapientia.

Dicit ergo : Ego Sapientia meisam in Christo (qui est Sapientia æterna Patris) comparavi fluminibus : quia ego quasi fons effudi flumina tum corporalia et proprie dicta (Deus enim per me quasi ideam et sapientiam ordinate et sapienter creavit omnia, ac proinde tam flumina quam celum et terram, juxta illud *Proverb. cap. VIII*, vers. 27 : « Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssonos, etc. cum eo eram cuncta componens ») ; tum potius spiritalia et metaphorica : ego enim effudi flumina, id est, abundantiam sapientiæ et gratiarum in fideles et Ecclesiam quovis mundi ævo. Unde de iis subjungit : « Rigabo hortum meum, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino. » Ita Rabanus : « Christus, inquit, est sapientia, et effudit in mundum flumina doctrinæ Evangelicæ, quæ abundantissime reficiunt et satiant avidas mentes electorum. » Porro, hæc sententia jam deest in Græco et Syro.

41. EGO QUASI TRAMES AQVE IMMENSE DE FLUVIO: **Vers. 41.**

EGO QUASI FLUVII DIORYX, ET SICUT AQUEDUCTUS EXIVI DE PARADISO. — Dat causam ejus quod dixit : « Ego effudi flumina, » quia scilicet ego ipsa sum flumen primigenium, et trames aquæ immensæ de fluvio ; per me ergo cætera omnia tam flumina, quam creata quælibet a Deo creatore profluxerunt.

Nota : Pro « ego quasi fluvii dioryx, » quæ est

vera lectio, quam habent Romana et Græca, scriptores non intelligentes τὸ *dioryx*, perperam varia substituerunt, quisque quod sibi affine et commodum videbatur. Unde alii legunt, *ego quasi fluvius vorax*; alii, *ego quasi fluvius Dorix*; alii, *dorax*. Vide Franciscum Lucam hic annot. 272; alii, *ego quasi fluvius Dioryx*, putantes Dioryx esse nomen proprium fluvii, puta esse Araxim, qui Armeniam intravit, de quo proinde hunc versum sic tam ad litteram, quam mystice explicat Rabanus: « Hunc fluvium, inquit, quidam historialiter Araxim amnem Armeniæ esse putant, qui ab uno monte cum Euphrate diversa specie oritur. Dictus autem, quod rapacitate cuncta prosternat: unde et cum Alexander eum transgredi vellet ponte fabricato, tanta vi inundavit, ut pontem dirueret: hic brevis intervallis ab Euphratis ortu caput tollit, ac deinde Caspium fertur in mare. Doricum autem a Græcis hunc æstimant nuncupatum. Est autem pars Græciæ gentis Doris nuncupata, ex qua tertia lingua Græcorum Dorica appellata est. Mystice autem Sapientia comparat se fluvio rapidissimo, et aquæ egredienti de paradiso: quia doctrina Salvatoris de celesti prodiens thesauro, omnia obstacula errorum atque persecutionum sua velocitate atque fortitudine disrumpit ac frangit: ita ut per ora prædicatorum in totum orbem longissima atque latissima diffluat; unde scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, » *Psal. xviii*.

Verum vera lectio, ut dixi, est: « Ego quasi fluvii dioryx. *Dioryx* enim græca vox est, significans alveum, rivum, fossam in quam fluvius derivatur, ab *διόρυξ*, id est *fodio*. Est ergo nomen appellativum, non proprium.

Porro, τὸ *ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio*, idem est cum eo quod sequitur: « Ego quasi fluvii dioryx. » Prius enim explicat posterius. Unde Græca posterius tantum habent; sic enim legunt: *ἐγὼ ἡ σοφία ὡς διόρυξ ἀπὸ παραμοῦ, καὶ ὡς ἰδιόρυξ ἐξ ἑδῶν εἰς παράδυσον*, id est, *ego sapientia quasi dioryx de fluvio, et quasi aquæductus exivi in paradiso*. Quare Franciscus Lucas et Jansenius censent, in Latina Vulgata junctas esse duas ejusdem græcæ sententiæ translationes, quas non est verisimile ab eodem nostro Interprete simul proferas; sed alteram ex alterius versione additam. Nostrum itaque vertisse, *ego quasi trames aquæ immensæ*: sic enim vertit *διόρυξ*, vers. 43. Alterum addidisse: « Ego quasi fluvii dioryx. » Quare hæc tria, *trames, dioryx, aquæductus*, unum et idem, aut pene idem sunt. Trames enim aquæ non est aliud quam *διόρυξ*, id est fossa e fluvio deducta ad transferendam aquam. Unde Tigurina vertit, *ego quasi fossa e fluvio ducta, atque ut aquæductus in Paradiso pertineo*; Syrus, *ego sicut fluvius qui irrigat, et sicut dioryx aquarum quæ descendit in hortos*. Sensus est, *q. d.* Ego sapientia flumina doctrinæ salutiferæ effudi in terras: quia *ego sum quasi trames aquæ immensæ de fluvio,*

id est quasi fossilis aliquis fluvius, aut fossa aliqua in quam derivantur aquæ immensi fluvii, puta immensa sapientia Dei, *q. d.* Non a me hæc habeo, sed a Deo: quare sum quasi fluvii dioryx, id est, quasi fossa a fluvio illo magno divino deducta, et sicut aquæductus exivi de Paradiso celesti et divino, ex quo omnia flumina oriuntur (a Deo enim cæli domino oriuntur omnia) sicut e Paradiso terrestri oriebantur quatuor illa celeberrima flumina jam dicta, nimirum Phison, Gehon, Tigris et Euphrates. Græca pro *e paradiso* habent *in paradiso*, eo sensu qui explicabitur versu sequenti, ubi dicitur: « Rigabo hortum meum: » hic enim hortus est Paradisus, ubi fons est sapientiæ et voluptatis.

Porro, hæc sententia accipi potest *primo*, de sapientia increata essentiali, quæ communis est Patri, Filio et Spiritui Sancto. Hæc enim, licet sit idem cum Deo, tamen nostro modo concipiendi manat a Deo, id est Dei essentia, sicut ab essentia creata manant ejus accidentia, qualia sunt sapientia, bonitas, perspicacitas, etc., perinde ac a fonte oritur rivus et aquæductus.

Secundo, hæc sententia accipi potest de Sapientia increata notionali, quæ propria est Filio: Filius enim a Patre procedit quasi verbum ab ore, uti dixit vers. 6, quasi lumen de luce, quasi fluvius a fonte, qui totam fontis aquam in se recipit et capit, ideoque ei adæquatur. Sic enim Filius recipit a Patre totam ejus essentiam et sapientiam, eique per omnia est par et æqualis. Ita Rabanus: « Ipse, inquit, est trames aquæ immensæ de fluvio: quia sicut Deus de Deo, lumen de lumine, ita ipse aqua immensa de fonte Patre, sive fluvio, tropice dici potest; quoniam Pater origo est divinitatis, quando sicut de Patre genitus est Filius, ita et Spiritus Sanctus procedit a Patre; quem in Evangelio aquæ nomine Dominus nuncupavit, dicens: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, » *Joan. iv*. « Item: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » *Joan. vii*. « Et rursum: Aqua sapientiæ salutaris potabit eum, » *Ecl. xv*.

Sic et Palacius: « Pater, inquit, hoc loco vocatur fluvius, unde omne esse in universo fluit: ex hoc fluvio primus trames fluens est Filius, in quem ex Patre universa divinitas derivatur: unde ipse est trames aquæ immensæ et non mensuratae nec mensurabilis. » Rursum: « Pater est Paradisus: aquæductus, id est, fluvius inde egrediens, est Filius, seu Sapientia; egreditur vero non velut primarius fluvius, is enim est Pater, sed velut aquæductus, seu trames, seu fossa, juxta illud: Verbum erat apud Deum, id est Sapientia apud Patrem; non Pater, sed ex Patre; et juxta illud: Ego ex ore Altissimi prodivi. »

Denique noster Gregorius de Valentia, I part. disp. 7, Quæst. VI *De Paradiso*, punct. 1, sic explicat: « Ego quasi aquæductus exivi de Para-

diso, » id est, ego Filius qui sum Sapiaentia genita, processi de substantia Patris, in qua est tanquam uberrimus torrens voluptatis. *Paradisus* enim metaphoricè significat omnem rem vel locum amœnum instar horti. Multis exemplis idipsum ibidem demonstrat Valentia. Deus enim est Paradisus, imo oceanus deliciarum et bonorum omnium.

Tertio, accipi potest de Sapiaentia incarnata, puta de Christo homine : hic enim fuit quasi dioryx et aquæductus divinitatis : ab ea enim hausit omnem suam sapientiam, gratiam et virtutem, ut eam quasi aquæductus in homines et Ecclesiam transfunderet.

Quarto, valde apposite accipi potest de sapientia creata et communicata creaturis, præsertim fidelibus. Hæc enim est dioryx et aquæductus Sapiaentiæ increate, exitque de Paradiso cœlesti in terras, ut eas irriget, sicut quatuor flumina exibat e Paradiso, ut orbem irrigarent, *q. d.* ait Jansenius : Ego Sapiaentia effudi in mundo per legem et sapientum doctrinam, ac per internam inspirationem, flumina, hoc est copiosam mundo exhibui doctrinam, quam tamen non ex me ipsa accepi, sed sum quasi effossa aliqua via immensæ aquæ, de fluvio aliquo magno deducta, hoc est, sum quasi fluvius fossilis, et sicut aquæductus exivi in mundum ad homines de Paradiso cœlesti, ubi fons est omnis sapientiæ, et verus locus voluptatis. Significat ergo legis doctrinam, per quam sapientia hominibus est communicata, originem suam habere a Deo : nec tamen omnem Dei sapientiam ad nos plene derivatam, sed partem tantum, quæ nobis et conveniebat et necessaria fuit.

Porro, sicut dioryx est multiplex, sic et sapientia. Richardus de S. Victore decem modos recenset, quibus aqua ad homines transfunditur, scilicet efficiendo puteum, fontem, torrentem, rivum, cisternam, fluvium, stagnum, lacum, abyssum, diluvium. Totidem et pluribus modis ad homines dimanat sapientia. Hæc autem ortum suum in mundo habuit ex plenitudine cœlestis sapientiæ, quæ in Deo a Beatis plenius hauritur et percipitur.

Mysticè, frames, dioryx et aquæductus fluvii divini est B. Virgo et Sancti. B. Virgo enim quasi aquæductus excepit sapientiam divinam, ipsamque personam Verbi, ut eam pareret, et in homines transfunderet. Audi in primis nostrum Salazar in *Proc.* cap. xxxi, num. 135. Mariæ, inquit, virginis exitus primus, et prima in lucem editio celebratur his verbis, et jam tunc in immensum effusam gratiarum suarum affluentiam aperiens : « Ego, inquit, quasi frames aquæ immensæ de fluvio. » Et subdit : « Ego quasi fluvius dioryx. » Ex vetustis exemplaribus aliqua sic habent : « Ego quasi fluvius vorax ; » et in Virginem aptissime quadrat, quæ gratiarum omnium fluentia, ut ita dicam, hausit ac perhibet. Accipe Bonaventuram in *Speculo*, cap. iii : « Omnia, inquit, charismata

intraut in Mariam ; flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Patriarcharum et Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Martyrum, Confessorum, Virginum, Doctorum intrat in Mariam ; omnia denique flumina intraut in Mariam. Sed quid mirum si omnis gratia in Mariam confluit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit ? » Est ergo Maria flumen immensum omnium fluminum vorax. Quin et Mahomet in Alcorano, de familia Adamar hæc elogia dat B. Virgini : « Dixit, inquit, angelus Gabriel ad Mariam : O Maria, Deus te elegit, et docuit gratiam, et prælegit super omnes mulieres omnium sæculorum, et posuit te quasi novum medium, dividens inter homines terrenos et angelos Dei in paradiso deliciarum. » Nec multum ab illud nomen *dioryx*, aut *duoryx*, cujus hic meminit Ecclesiasticus, a nomine Durii nostri. Rabanus existimat nomine Dioryx Araxem, totius Persiæ maximum fluvium, notari, qui tanto volvitur impetu per declivia, ut præceps ejus lapsus omnia secum auferat, pontes, impedimenta, etc. Iluc spectat illud Poetarum principis :

Pontem indignatus Araxes.

Ergo ad rem nostram, Maria cum fluvio Araxe aptissime comparatur, quia collectis undique gratiarum omnium rivis, in quamdam immensam evasit gratiarum vim : ex hac vero tanta in pietatem et honestatem propensio nata est, tamque rapidus præcepsque in bonum omne cursus, ut omnes peccatorum illecebras, occasiones, tentamenta, et motus pravos alvei istius vis magna devolveret ac demergeret. Hæc Salazar.

Audi et S. Bernardum, serm. in *Nativit. B. Mariæ*, quem inscribit *De Aquæductu*, explicantem quomodo dioryx et aquæductus gratiarum nobis facta sit B. Virgo : « Altius intuemini quanto devotionis affectu a nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria : ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus, redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perlaverit superveniens auster ille Dominus, ut undique fluant et effluent aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies ? Tolle Mariam hanc maris stellam, ubi dies ? Tolle magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur ? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur : quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. » Et paulo superius : « Plenus equidem, inquit, aquæductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Nostis enim cui dictum est : « Ave, gratia plena. » Et inferius : « Ascendit plane supra omne huma-

Nativitas eologia de B. Virg. uo.

Mysticè
dioryx
est B.
Virgo.

num genus, ascendit usque ad angelos; sed et ipsos quoque transcendit, et cœlestem omnem supergreditur creaturam. Nimirum super angelos hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam. » Unde concludens ait : « Cœterum, quidquid illud est quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus et sine hoc aqueductu infundere gratiam prout vellet; sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti : ideoque modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis, et omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariæ manus invenerit. » Maria ergo est trames, id est, via in invio peccatorum, ipsa via in bivio deviantium, ipsa via in trivio dubitantium, et secure ad patriam in cœlum redeuntium : manat ex fluvio, id est ex Spiritu Sancto, vel ex Christo, cujus aqua immensa est, immensa ejus redemptio, et gratiarum copia ex ea profluens.

Vers. 42. 42. DIXI : RIGABO HORTUM MEUM PLANTATIONUM, ET INEBRIABO PRATI MEI FRUCTUM. — Ita legendum *prati* scilicet, non *partus* vel *pratus* : sic enim legunt Romana, et Græcum *πρασιών* significat areolam horti in qua seruntur olera, sive viridaria. Unde Columella : « Fiunt, inquit, ad olerum consilionem quadratæ dispositiones, quæ *πρασιών* dicuntur in laterculi formam. » Hinc et *πρασιός* vocatur color viridis, qui conflatur ex fulvo et nigro, teste Platone in *Timæo*. Sic ergo habent Græca : *μεθίστω μου τὴν πρασιὸν τὴν ἀκαίαν*, id est *irrigabo areolam meam justam, q. d.* Ego Sapiencia rigabo mea lege et doctrina Ecclesiam, sive cœtum fidelium, quem quasi areolam et hortum populi justî et sancti, mihi e toto mundo colendum delegi et suscepi, ut in ea plantem omnia virtutum genera, omnesque justorum status et gradus, qui varios sapientiæ et sanctitatis fructus proferant. Quod ut faciant, indigent assidua irrigatione sapientiæ, id est, illuminationis, impulsus et gratiæ Dei : sine hac enim exsuccî, aridi et steriles ex seipsis remanerent ; ut vero id abunde et copiose faciant, ego non tantum irrigabo, sed et inebriabo eos mea sapientia et gratia.

Pro *plantationum* Complutenses habent *ἀρεῶν*, id est *optimum*; alii, *egregium*. Unde sic habent, *potum dabo hortu meo optimo, et inebriabo meam viriditatem justam*, id est *juste et adæquate dimensionem et circumscriptam, uti in hortis areolæ florum solent late in circulos, vel quadrato efformari, et laterculis circumscribi, ut justa omnium sit proportio et adæquatio. Talis enim areola, per omnia juste adæquata, et conformata est Eccle-*

sia, quoad omnes sui partes, puta quoad Ecclesiam quaslibet particulares, quoad varios fidelium status et gradus, ac præsertim quoad Clerum bene ordinatum et sibi invicem subordinatum. Unde *Tigurina* vertit, *horto meo eximio potum dabo, justanque meam areolam irrigabo*; Syrus, *dixi : Rigabo hortum meum, et inebriabo cubilia mea*, puta areolas meas : has enim hortulani vocant lectulos, sive cubilia florum et aromatum. Ita Rabanus et Palacius, quem audi : Quia, inquit, sapientia dixit se esse tramitem aquæ immensæ, manifestat nobis decretum suum esse, ut, sicut divinitas ex Patre fluxit in Filium, ita ex Filio fluat suo modo in Ecclesiam. Hoc ait : Rigabo hortum, scilicet Ecclesiam; hæc vocatur hortus plantationum : quia in eo plantantur fideles, qui sunt velut plantæ, de quibus habes in *Canticis*, habes et in *Psa'm.* cum dicitur : « Plantati in domo Domini, in atris domus Dei nostri floreunt. » Et rursus : « Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. » Quod *secundo* dicit, « Inebriabo, » notat primum, aquam Spiritus Sancti et gratiæ, qua sapientia rigat Ecclesiam (quæ pratum est), aquam esse ad rigandum, et vinum ad inebriandum. Quod autem dicit, « Inebriabo fructum, » notat plantas Ecclesiæ non esse ficus, sola folia habentes, ut erant olim Pharisæi; sed esse fructiferas, fructus spiritus ferentes, quos Paulus enumerat. Notat *tertio*, tunc maxime pios a musto Spiritus inebriari, cum fructus ferunt; ideo, inquit, « Inebriabo fructum. » Si vis videre ebrietatem hanc, martyrum fervorem considera.

Mystice, hæc adaptes B. Virgini; unde Rupertus Abbas, lib. IV in *Cantica* : « Hortus conclusus, inquit, soror mea, sponsa, Dei genitrix. Ecce novus Paradisus, novæ plantationes, quas plantavit unus idemque antiqui Paradisi plantator, Dominus Deus. Ille est Paradisus antiquus, Paradisus terrenus : iste est Paradisus novus, paradisi cœlestis : utriusque plantator est unus, idemque Dominus Deus : in illo posuit hominem quem formaverat, in isto formavit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De illa humo produxit omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio Paradisi : istam humum, istam terram suam benedixit, et ex ea cunctarum germina gratiarum, et cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ Christum Deum et hominem, Dominum Paradisi cœlestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluvius ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita : de isto Paradiso ille fluvius, sive istud flumen egressum est, de quo Psalmista dicit : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, qui inde dividitur in quatuor Evangelia. » Merito ergo B. Virgo, a S. Hieronymo, Petro Damiano et aliis, imo ab Ecclesia, vocatur et invocatur « Paradisus voluptatis, quem Deus omnibus gratiæ divitiis cumulavit, ac hor-

Psal.
xcv, 13.

Psal.
1, 3.

Galat. v.

tus deliciarum, in quo condita sunt omnia florum genera, et omnia ornamenta virtutum. » Atque a S. Ignatio, epist. I ad S. Joannem, vocatur « cœleste prodigium, et sacratissimum spectaculum, in quo humanæ naturæ natura sanctitatis angelicæ sociatur. »

Vers. 43. 43. ET ECCE FACTUS EST MIHI TRAMES ABUNDANS, ET FLUVIUS MEUS APPROPINQUAVIT AD MARE. — Pro trames Græce est *ὄρεος*, q. d. Fossa illa, vel aquæductus, de quo dixi vers. 39, cum initio esset arctus et exiguus, sensim ita crevit, ut fossa facta sit flumen abundans, imo videatur esse mare. Hoc maxime factum est, cum Dei sapientia, id est lex, fides et religio, quæ initio sola Judæa concluderetur, tempore Christi per Apostolorum prædicationem effudit se in omnes gentes, easque fecit christianas. Unde Tigurina, *aquæductus ecce meus evasit flumen, et flumen meus in mare excrevit*; Syrus, *et ecce etiam fuit mihi torrens, et fluxus meus pertingit usque ad mare*; Arabicus, *et habebam vadum, et pervenit ad mare; fluxum n. eum in mare inundare facio mare, faciamque illum etiam in generationes plurimas*; alii, *et ecce fossa illa factus est fluvius, et fluvius meus evasit in mare. O rem ineffabilem!* exclamat Palacius, fluebat doctrina Evangelica, et in ea quodammodo Spiritus et Christus: obstabant huic fluxui omnes dæmonum, imperatorum, militum et totius orbis vires extente; at, his omnibus invitis, ut mare totam vallat et circumdat terram: ita vita christiana et ipse Christus totum circumdedit orbem; siquidem « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, » *Psalm. XVIII.*

Mystice, gratia, quam B. Virgo in primo instanti conceptionis accepit, per 72 annos, quibus per continuos et gratiæ adæquatos actus jugiter eam auxit, et assidue conduplicavit, excrevit quasi in immensum, ut vere Maria dici posset essetque mare gratiarum: unde a Damasceno, orat. 2 De Assumptione, vocatur *gratiæ abyssus*. Et S. Epiphanius, orat. De Laud. Virg.: « Gratia, inquit, S. Virginis est immensa. » Et inferius eam vocat, « mare spirituale, cui prædicando, neque hominum, neque angelorum lingua sufficit. » S. Ildelfonsus, serm. De Assumptione: « Sicut, inquit, est incomparabile quod gessit, et ineffabile quod percepit; ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit. » S. Anselmus, De Excellentia Virg. cap. viii: « Quid amplius, ait, dicere possum, Domina? Immensitatem quippe gratiæ et gloriæ, et felicitatis tuæ considerare incipienti, et sensus deficit, et lingua fatiscit. » Atque ut alios omnes præteream, Andreas Cretensis, serm. De Dormit. Deiparæ, sic eam compellat: « O sancta, et sanctis sanctior, et omnis sanctitatis sanctissime thesaure. » Eodem modo crevit et crescit in dies sanctitas Apostolorum, Martyrum, Virginum, Confessorum Sanctorumque omnium, quam eis, utpote sibi devotis, suisque clientibus aspirat B. Virgo.

Maria
gratiæ-
fons
mare.

44. QUONIAM DOCTRINAM QUASI ANTELUCCANUM ILLUMINO OMNIBUS, ET ENARRABO ILLAM USQUE AD LONGINQUUM. — Pro antelucanum Græce est *ὄρεος*, id est diluculum, q. d. Sicut lux diluculi, sive auroræ, post noctis tenebras initio modica est, sed sensim crescit usque ad meridiem et lucem clarissimam; ita et ego sapientia sensim omnibus « illumino, » id est, lucem meam profero, meque diffundo magis et magis, donec etiam in longinquum, id est remotissimas gentes, me effundam, easque illuminem; uti hoc sæculo factum videmus, ac quotidie fieri in Sina, Japone totaque India Orientali et Occidentali. Unde Græca habent, *nam disciplinam ut diluculum illustro, et ostendo eam usque in longinquum*; Tigurina, *quoniam disciplinam illumino ut diluculum, et in multum tempus illustro eam*; Syrus, *rursum doctrinam meam mare dico, et relinquam eam in generationes multas, vel potabo ea generationes multas*. Notat Palacius doctrinam Evangelicam vocari auroram, non meridiem, tum quia obscura est; fide enim creditur, non videtur oculis; tum quia admiscetur tenebris persecutionum et tribulationum; tum quia sensim crescit ut aurora.

45. PENETRABO OMNES INFERIORES PARTES TERRÆ, ET INSPICIAM OMNES DORMIENTES, ET ILLUMINABO OMNES SPERANTES IN DOMINO. — Tigurina, *imas omnes terræ partes penetro, dormientes video quoscumque, et spem in Domino ponentes omnes illumino*. Hic versus jam deest in Græco et Syro. Sunt verba Sapientiæ, q. d. Adeo dioryx et aquæductus meus crevit in flumen, imo in mare; adeo lux auroræ meæ crevit in meridiem, ut non tantum illuminem omnes gentes in superficie terræ degentes, sed et penetrem imas terræ partes; ibique inspiciam et visitem omnes dormientes, id est defunctos; ac damnatos quidem inspiciam terribili vultu, metuque percellam, et damnationem eorum confirmabo; pios vero sperantes in Domino illuminabo, id est, luce meæ cognitionis, puta revelatione Christi nati, passi et resurgentis, indeque consolatione redemptionis et salutis per eum factæ perfundam. Consolabor ergo et beabo omnes Patres in limbo degentes, sperantes in Domino, et avidissime Christum redemptorem expectantes. Itaque sæpius quidem per angelos Deus illuminavit patres in limbo; sed perfectissime hæc sententia impleta est, cum Christus, qui est Sapientia Patris incarnata, in cruce moriens, descendit ad limbum, ac patres sui cognitione, imo conspectu tam humanitatis, quam divinitatis suæ donavit; itaque eos consolatus est, imo beatos reddidit, secumque tertio die in terram, ac quadragesimo die, ascendens in cœlum, in triumphum duxit. Ita hunc locum de descensu Christi ad inferos interpretatur S. Isidorus, lib. De Resurrect. Domini, cap. li, et alii passim, ac noster Salazar in cap. XXXIX Proverb. num. 59, ubi *illumino, exponit, visitabo et perscrutabor*.

Idem implebitur in resurrectione; tunc enim Deus inspiciet et visitabit corpora Sanctorum la-

tentia in sepulcro, eaque animabus uniet, vivificabit et glorificabit.

Porro ex eo quod ait : « Penetrabo omnes inferiores partes terræ, » Bellarminus, lib. IV *De Anima Christi*, cap. XVI, et alii opinantur Christum post mortem descendisse ad omnia loca inferni, adeoque ad ipsum infernum damnatorum, tanquam omnium dominatorem. Ita videtur sentire Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* XIV; Athanasius, *serm. 4 Contra Arianos*; S. Augustinus, *epist.* 99; Fulgentius, lib. III *Ad Trasimund.* cap. XXX; Nysenus, *orat. 1 De Resurr.*, Damascenus, lib. III, cap. CXXIX. Sed probabilius est Christum substantialiter tantum descendisse ad limbum : « Ut quos ipse per gratiam visitabat interius secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret et loco, » ait S. Thomas, III p., *Quæst.* LIII, art. 2; virtualiter vero et effective, sive quoad efficaciam, descendisse ad locum puerorum et damnatorum, confutando scilicet et damnando illorum peccatum, sive originale solum, sive etiam actuale in adultis. « Penetrabo ergo omnes inferiores partes terræ, » quia scilicet unam substantialiter, cæteras virtualiter penetrabo. Ita Valentia in locum D. Thomæ jam citatum, nec aliud volunt Patres pro priori sententia citati. Ita et Bonaventura, Richardus, Gabriel, Palud. Marsil. et alii in III, dist. 22, ac Franciscus Suarez III p., *Quæst.* LII, art. 8 : Penetrabo, ait, primo, quoad divinitatem; secundo, quoad humanitatem, ad omnes partes terræ; quia non solum ad superficiem terræ descendit, sed etiam usque ad infimum terræ locum penetravit, etiamsi non ad omnes ejus sinus.

Rursum, ex eo quod ait : « Illuminabo omnes sperantes in Domino, » multi probabiliter censent Christum omnibus animabus in Purgatorio existentibus suo ad eos descensu dedisse primum plenumque jubileum, omnesque a pœnis liberasse, et secum ad cælum in triumphum duxisse. Ita S. Bonaventura in dist. 22, *Quæst.* V; Thomas Argentin. ead. dist. *Quæst.* unica, art. 4, Gabriel eadem dist. *Quæst.* unica, art. 3, dub. 3; Sotus in IV, dist. 45, *Quæst.* 1, art. 3, in fine. Illud certum est Christum tum animas patrum plene expiatis illuminasse lumine gloriæ, eisque suam divinitatem conspiciendam obtulisse, itaque eas beasse, ac æterna felicitate donasse.

Tropologice Rabanus : Sapientia, puta Christus, « inspicit inferiores partes terræ, inquit, quoniam carnalium œcra et cogitationes scrutatur; inspicit omnes dormientes, qui vel ignorantie somno, vel torpore negligentie dormitant; et illuminat recta fide et agnitione sperantes in Deo; quoniam qui sperat in Deo, beatus est. Beneplacitum enim est Domino super timentes eum, et in eos qui sperant in misericordia ejus, » *Psal.* CXLVI.

VERS. 46. ADHUC DOCTRINAM QUASI PROPHETIAM EFFUNDAM, ET RELINQUAM ILLAM QUÆRENTIBUS SAPIENTIAM; ET NON DESINAM IN PROGENIES ILLORUM USQUE IN ÆVUM SANCTUM. — Hic versus potest accipi tam ut dictus

a Sapientia, quam a Siracide. A Sapientia, quasi illa pergat hic loqui, explicetque illud vers. 44 : « Enarrabo illam in longinquum; » cui immediate Græca hunc versum subjungunt. Favent Complutenses quæ pro *ἐν*, id est *adhuc*, legunt *ἐν*, id est *quoniam*, q. d. Enarrabo sapientiam in longinquum, quoniam doctrinam effundam usque in ævum sanctum. Et Syrus, qui cum pro vers. 44 vertisset, *rursus doctrinam meam mane dico, et relinquam eam in generationes multas*; quæ constr. esse verba Sapientie, quasi ea explicans, hunc versum subdit, *rursus doctrinam meam in prophetia dico, et extremitas ejus usque in longinquum*. Cum ergo prior versus sit Sapientie, ejusdem quoque videtur esse posterior, utpote illi respondens, illumque explicans. Unde Rabanus sic explicat : « Non cessat, inquit, S. Scriptura ab ævo usque in ævum docere genus humanum, quatenus intelligat ex præceptis Dei quid vitare debeat, quidve agere; ut nemo sit qui rite se possit excusare, quasi nesciens quid præceptum sit in lege divina, cum sapientia viam veritatis, et normam justitiæ palam omnibus demonstret. » Et Palacius : « Videor, inquit, mihi audire Christum dicentem : Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Non igitur cessabit unquam prædicatio Evangelii exterius, et prædicatio Christi interius, usque ad ævum sanctum, id est æternitatem. Nota doctrinam Evangelicam pariter esse auctoritatis cum prophetia; ideo ait doctrinam quasi propheticam; utramque enim a Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, » II *Petri* 1, 21.

Rursum hæc verba accipi possunt quasi dicta a Siracide. Ipse enim, post interlocutionem Sapientie hucusque a se inductam, videtur resumere sermonem, ac sternere viam ad nova sapientie dogmata, quæ tradet cap. proximo et seqq. Nam vers. seq. usurpat Siracides quasi suum cap. XXXIII, 18. Unde Græca de more breviter sic habent, *adhuc doctrinam ut prophetiam effundam, et relinquam ipsam in generationes sæculorum*; et Tigurina, *etiamnum effundo doctrinam ut oraculum, perque sæculorum ætates emitto eam quærentibus*. Quare Lyranus hæc ita cum vers. præcedenti connectit : « Quia, inquit, scriptor hujus libri immediate locutus est de judicio finali, posset quis dubitans quærere : Intendis tu hic librum tuum finire? Ad quod respondet, dicens : Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam. » Sic et Jansenius, qui sigillatim singula de Siracide sic explicat : « Dum dicit, inquit, se prolaturum doctrinam sicut prophetiam, significat se divinam doctrinam traditurum, quæ certa sit et solida, quæque non humano ingenio sit excogitata; sed divinitus revelata; sicut Prophetæ Spiritu Sancto inspirati locuti sunt. Dum se dicit eam relicturum in generationes sæculorum, significat se eam scripto relicturum posteris, ut in perpetuum ab eis legi et audiri possit, qui studiosi sunt sapientie. Et non

Christus personaliter non descendit ad infernum damnatorum,

dedit in Purgatorio jubileum.

desinam, inquit, hoc est, perseverabo semper per scriptam a me doctrinam, in progenies illorum qui quaerunt sapientiam, usque in ævum sanctum, hoc est, usque in sæculum futurum, ubi humana amplius doctrina opus non erit; sed implebitur illud, quod per Jeremiam dictum est: Non docebit ultra vir proximum suum. Omnes enim cognoscent me a majore usque ad minimum eorum, » *Jerem. xxxi.*

Nota, *ævum sanctum* vocari sæculum futurum: præsens enim non est sanctum, quia « totus mundus in maligno positus est, » I *Joan. v.* At æternitas beata, in quam nihil coinquinatum ingreditur, ævum sanctum est. Meminerint ergo doctores et scriptores se docere et scribere non tempori, sed æternitati; seque in suis laboribus solentur, quod illis non sibi tantum, sed et discipulis et lectoribus, eorum scripta usque ad finem mundi lecturis, accersant ævum sanctum, scilicet beatam æternitatem: ad hanc enim se suosque lectores informant et dirigunt. Unde subdit et concludit:

Vers. 47. **47. VIDETE QUONIAM NON SOLI MIHI LABORAVI, SED OMNIBUS EXQUIRENTIBUS VERITATEM, — q. d. Videte ex his quæ hactenus tam prolixè dixi et scripsi, ac deinceps dicturus et scripturus sum, me non mihi soli studuisse et vacasse, sed et aliis laborasse et consuluisse, ut meo exemplo idem faciant alii sapientes, nec satis putent si ipsi sapiant, sed et sapientiam suam aliis docendo et scribendo**

communicent. Unde Rabanus: « Doctor ecclesiasticus, inquit, verba Dei scribendo et docendo non solum sibi laborat, sed et aliis; quia sibi laborat pro æterna mercede et quiete; aliis autem pro vera salute ac perpetua requie; unde in *Daniel. cap. xii.* scriptum est: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hinc et Jacobus ait: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. De quo et Paulus ad Timotheum scribens ait: Attende tibi, et doctrinæ sanæ, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. Hinc et ipsa Veritas in Evangelio ait: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. » Et item: « Vos, inquit, estis lux mundi; sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. »

Porro Palacius, hæc accipiens ut dicta a sapientia, puta Christo, sic explicat: « Nullum grandius, inquit, epiphonema fere potuit a sapientia dici: O mortales, veni in mundum; o quam in eo laboravi! laboravi porro in gloriam Patris, et in commodum vestrum, si veritatem inquiretis; ne committatis ergo, ut ego frustrer proposito meo, et vos tanto commodo vestro. »

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post encomium sapientiæ, pergit alia ejus trudere dogmata. Unde, vers. 1, recenset tria quæ placent sapientiæ, et vers. 3, totidem quæ ei displicent. Inde, vers. 9 usque ad 17, enarrat decem beatitudines, puta res decem quæ hominem faciunt beatum. Denique, a vers. 17 usque ad finem capituli, agit de nequitia mulierum, eamque multis exaggerat.

1. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus:
2. Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.
3. Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum: 4. pauperem superbum: divitem mendacem: senem fatuum et insensatum. 5. Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies? 6. Quam speciosum canitie iudicium, et presbyteris cognoscere consilium! 7. Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus, et consilium! 8. Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei. 9. Nævem insuspiciabilia cordis magnificavi, et decimum dicam in lingua hominibus; 10. homo, qui jucundatur in filiis, vivens et videns subversionem inimicorum suorum. 11. Beatus qui habitat cum muliere sensata, et qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se. 12. Beatus qui invenit amicum verum, et qui enarrat iustitiam auri audienti. 13. Quam magnus, qui invenit sapientiam et scientiam! sed non est super timen-

tem Dominum; 14. timor Dei super omnia se superposuit: 15. beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur? 16. Timor Dei initium dilectionis ejus: fidei autem initium agglutinandum est ei. 17. Omnis plaga, tristitia cordis est: et omnis malitia, nequitia mulieris. 18. Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis: 19. et omnem nequitiam, et non nequitiam mulieris: 20. et omnem obductum, et non obductum odientium: 21. et omnem vindictam, et non vindictam inimicorum. 22. Non est caput nequius super caput colubri: 23. et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. 24. Nequitia mulieris immutat faciem ejus: et obcæcat vultum suum tanquam ursus, et quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus 25. ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. 26. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. 27. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. 28. Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie. 29. Mulieris ira, et irreverentia et confusio magna. 30. Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo. 31. Cor humile, et facies tristis, et plaga cordis, mulier nequam. 32. Manus debiles, et genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum. 33. A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. 34. Non des aquæ tuæ exitum: nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi. 35. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum. 36. A carnibus tuis absconde illam, ne semper te abutatur.

PRIMA PARS CAPITIS.

Vers. 1
et 2. **I ET 2. IN TRIBUS PLACITUM EST SPIRITUI MEO, QUÆ SUNT PROBATA CORAM DEO ET HOMINIBUS: CONCORDIA FRATRUM, ET AMOR PROXIMORUM, ET VIR ET MULIER SIBI BENE CONSENTIENTES.** — Loquitur ipsa Sapientia, vel certe Siracides sapiens, ex persona et mente sapientiæ: quod in idem redit. Sapientiam enim hic loqui docet Rabanus, et evincunt Græca, quæ sic habent: *ἐν τριῶν ὁρατοῦν, καὶ ἀνδρῶν ὁρᾶτα ἕναυτι Κυρίου καὶ ἀνθρώπων*, id est, *in tribus pulchra facta sum, et surrexi decora coram Deo et hominibus.* Noster pro ἀνδρῶν legit ἐν τριῶν ὁρᾶτα, id est, *sunt speciosa, grata, probata.*

Nota: Siracides hic ternarios virtutum et vitiorum subjicit, more veterum qui sua præcepta ad numeros redigebant, ut facilius capi et memoria retineri possent. Qua in re imitatur Salomonem, qui idem facit *Proverb.* cap. xxx, vers. 18 et sequent.

Primum ergo sapientiæ hoc est præceptum, de concordia et charitate: hæc enim prima et princeps est virtus, quæ Dei et hominum gratiam conciliat. Ea autem maxime in triplici hominum genere requiritur. *Primo*, inter fratres, vel germanos, vel consobrinos, vel quomodolibet cognatos et consanguineos; hi enim omnes ab Hebræis vocantur fratres. Alludit ad *Psal.* cxxxii, vers. 1: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! *Secundo*, inter proxi-

mos, id est, eos qui in eadem domo, collegio, vicinia, officio, arte, negotio, aliove modo invicem devincti et quasi colligati sunt: horum enim omnium vinculum est amor et concordia. *Tertio*, inter virum et mulierem: hi enim ita conjuncti sunt habitatione, toro, mensa rebusque omnibus, ut una caro, id est unus homo civilis, et una persona politica censeantur; unde et conjuges vocantur. Quare si inter se concordēs vivant, vitam agent jucundissimam et sanctissimam; si discordēs sint, molestissimam et diabolicam. Quocirca pro *sibi bene consentientes*, Græce est, *ἕναυτι συμπεριεργόμενοι*, id est *mutuo una circumferentes, vel mutuo una circumlati*; hæc enim vox Græca magnam habet emphasisin, significatque summum inter conjuges consensum, quando alter alterius mores, infirmitates et vitia tolerat, eique in omnibus se accommodat, perinde ac fit in rota: dum enim ejus pars una volvitur et gyratur, pars altera ei connexa eodem volvatur et gyretur oportet: talis enim rota est conjugium. Aut, sicut duo boves vel equi, æque idem jugum subeunt, trahuntque: inde enim dictum est conjugium. Sensus ergo est, *q. d.* Vir et uxor ita consentire debent, ut quocumque fertur unus, vel voluntate propria, vel infirmitate, vel necessitate ingruente, eodem sponte inclinēt ac feratur et alter: vult maritus hanc artem exercere, eam-

Primum
sapien-
tiæ præ-
ceptum,
de con-
cordia.

dem exerceat, vel excreanti obsecundet uxor : maritum excipit morbus, paupertas, jactura, persecutio, carcer; maritum eodem sequatur, imo ultro comitetur uxor, ut eum soleatur, patienti compatiatur et serviat, eumque omnibus officiis modisque adjuvet. Denique quicumque fortunæ flatus virum impulerit, eodem impelli se sinat uxor : ac vice versa, quocumque impulsa fuerit uxor, eodem sequatur et maritus.

Causa concordie est amor mutuus.

Porro, hujus consensionis radix et causa est amor reciprocus. Unde S. Augustinus in *Sententis*, num. 163 : « Pax domestica, inquit, est ordinata colibitantium imperandi obediendique concordia. Imperant enim qui consulunt, sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in Domino juste viventes ex fide, et ab illa adhuc civitate peregrinantes, etiam qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare : quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed providendi beneficio. »

Nota secundo : Pro *beneplacitum est spiritui meo*, Græce est, *ἀρεσκόν*, id est *decora vel pulchra facta sum, q. d.* Hæc tria ita mihi placent, ut iis pulchrescam, ut iis mihi pulchra et speciosa esse videar, ut iis me decorari sentiam, aveam et gaudeam. Unde Tigurina vertit, *tria me exhilarant, et coram Domino simul et hominibus condecorant*; alii, *tribus sum exornata, et surgo speciosa coram Deo et hominibus*; Syrus, *tria desideravit anima mea, et ea decenter coram Deo et hominibus, fraternitas fratrum, amicitia amicorum, et vir et uxor ejus, quando sunt concordēs*. Simili phrasi ait Apostolus *Hebr.* cap. xiii, 16 : « Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus; Græce, *ἀγαπήματα*, id est, *conciliatur, placatur, sibi complacet*; Syrus, *pulchrescit*, hilarescit et gloriatur. Itidem facit de concordia nostra : quia in hac sita est salus domorum, urbium et regnorum.

Moraliter, de pace.

Audi hanc sententiam explicantem bonaque pacis et concordie enarrantem S. Augustinum, *serm.* 169 *De Tempore* : « Pax, inquit, concordia fratrum, sicut scriptum est : In tribus placuit spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier consentientes sibi. Concordia ergo fratrum voluntas Dei est, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax, suffragio precum et supplicationum, facilis atque impetrabilis; quia desideriorum omnium competens est plenitudo, sicut scriptum est in Apostolo. Pax conventionis amabilem Deo facit in fratribus, quæ charitatis indicat testimonium. Pax ergo dilectionis mater est, concordie vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum; quia sibi exigit de Deo quod velit, quidquid voluerit petit, et quidquid volue-

rit sumit. Pax præceptis regalibus conservanda est, Domino Christo dicente : Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. In pace vos dimitto, in pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Proficiscens voluit dare quod desiderabat rediens in omnibus invenire, » quodque a singulis severe exigit et repetet in die judicii.

Joan. xiv.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus, orat 12 *De Pace*, docet universi statum decusque consistere in concordia elementorum, licet discordium et contrariis qualitatibus inter se pugnantium; cælorum, et mixtorum omnium : « Mundus, inquit, celebre Dei elementum, quamdiu secum pacatus et tranquillus est, seque naturæ suæ finibus coeret, nec quidquam adversus alterum insurgit, neque ex iis benevolentie vinculis, quibus ab artifice verbo rerum universitas constricta est, excedit; mundus vere est, ut appellatur (mundus enim Græce dicitur *κόσμος*, id est *ornatus*) et incomparabilis pulchritudo. At simul atque pacatus et quietus esse desiit, mundus quoque esse desinit. » Idem plane dicas de microcosmo, sive parvo mundo, qui est homo, ejusque conjugio et familia, scilicet, omne ejus decus et bonum consistere in pace et concordia; ac vice versa, omne ejus dedecus et malum stare in discordia. Porro, recte eadem oratione addit Nazianzenus : « Melior est contentio pietatis causa suscepta, quam vitiosa concordia. »

Universi status consistit in concordia : cur ?

Ratio a priori est, quod Deus sit ipsa prima, increata, summa et perfectissima concordia : quare summe amat concordēs, utpote sibi simillimos, imo ut opus suum proprium et perfectum. Nam et SS. Trinitas, puta Pater, Filius et Spiritus Sanctus summe sunt concordēs, non accidentaliter, sed essentialiter; quia unam eandemque numero ac individuum habent essentiam, consequenter et mentem ac voluntatem concordiamque : quare quod unus, verbi gratia, Pater vult, hoc essentialiter volunt cæteri duo, puta Filius et Spiritus Sanctus; quocirca ipsa SS. Trinitas hanc sui concordiam cælis, elementis, rebusque omnibus communicavit et impressit. Atque hic est cælorum concentus in dissonanti tot orbium, motuum, stellarum, etc., consonantia, et discordi concordia, quam admirans Baldad apud *Job* cap. xxv, 2 : « Qui facit, inquit, concordiam in sublimibus suis. » Et ipse *Job* cap. xxxviii, 37 : « Quis enarrabit, inquit, cælorum rationem, et concentum cæli quis dormire faciet? » Hinc Deus suam Triadem cum unitate singulis rebus a se conditis participative indidit. Nam omnia « in mensura, numero et pondere » disposuit, *Sapient.* xi, 21. Eandem suo modo impertivit matrimonio, domui et familiæ cuilibet, in qua pater quasi representat Deum Patrem, filius Deum Filium, uxor Spiritum Sanctum. Id maxime verum fuit in cælesti et divina familia Verbi incarnati, quæ tribus constabat personis sanctissimis, puta Josepho patre, B. Virgine matre, et filio Jesu : in qua proinde summa

Concordie fons SS. Trinitas.

fuit concordia, summus amor, summa erga se mutuo reverentia, summa sanctitas : quam sane omnes conjuges et familias assidue inspicere et imitari operæ prælium est. Hoc est quod ait Psaltes *Psalm. LXVII, 7* : « Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. » Quin et Christus *Math. x, 1, 19* : « Si duo ex vobis, inquit, consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. » Ubi ergo concordia est, ibi Christus est, ibi Deus est, ibi tota SS. Trinitas est, faciens triadem et monadem, puta, unionem sanctamque concordiam mentium, animorum et actionum. Quid mirabilius in cœlo, quid divinius, quam quod tria sint unum, et unum sint tria, puta tres personæ sint unus Deus, et unus Deus sit tres personæ? hoc tamen efficit summa trium concordia et unio. Quid mirabilius in terra, quam in una domo, familia, collegio, civitate, regno, esse decem, centum, mille, imo milliones hominum; hos tamen omnes conspirare in unam rempublicam, in unam Ecclesiam, in unum commune bonum? hoc tamen facit amor et concordia, quæ facit ut eis sit cor unum et anima una. Concordia enim a congruente corde dicitur. Illa ergo res cœlestis et divina sit oportet, utpote a Deo intime manans. Ex adverso, discordia, quæ etiam paucos dissociat, divellit, dissipat, ut inter se dimicent et confligant usque ad necem, infernalis est et diabolica, utpote manans a Lucifero, qui primus discordiam inter angelos fecit in cœlo, ideoque instar fulguris præcipitatus est in tartara. Discordia ergo fecit infernum, concordia cœlum et paradysum : discordia fecit demones, concordia angelos : discordia fecit homines reprobos, concordia sanctos et electos. Denique, tritum est illud Sallustii in *Catilina* : « Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. »

Discor-
diæ fa-
ctor la-
citer,

ae mem-
et l. un-

Porro, discordiæ fons et origo est cupiditas et avaritia, puta hæc duo pronomina, *meum* et *tuum* : quæ, ut ait S. Chrysostomus totum mundum scindunt et turbant; concordia vero mater est charitas, comitas et liberalitas. Unde S. Ambrosius, *Hexam. cap. XIV*, docet aves rapaces non convenire, sed mansuetas : « Est etiam, inquit, diversitas copularum; quarum gratia carent, quæ intendunt rapinis. Nam propter aviditatem prædandi, vel propter insidias explorandi, nec ipsi inter se convenit, et ideo declinant sui copulam. Refugit enim avaritia consortium plurimorum. Deinde conjuncti facile ipsa se proderet. His ergo avibus nihil est copulatorium præter jugale consortium. Ergo aquilis accipitribusque hic usus est vitæ. Contra vero palumbes, grues, sturni, corvi atque cornices, etiam turdi gaudent connexionem. »

Grues vi-
vunt
concordi-
des,

Jam vero quanta sit concordia vis et robur docent grues, quæ, ut ait S. Basilius homil. 8 *Hexam.* gregatim pascuntur et volant, ut ab aquilis et venatoribus se tueantur, ideoque vicissim per

noctem excubias agunt. Pluribus id ostendit Plinius lib. X, cap. XXIII, qui et lib. XXX, in fine, rem miram affert, scilicet : « Non lassescere in ullo labore, qui nervos ex alis et cruribus gruum habeant. » Fides sit penes auctorem. Adde : grues simul volant forma trianguli, non rectilinei, sed acuti, ut facilius aerem findant. Invadente autem eas aquila, omnes in orbem consistunt, et acie velut ordinata speciem prælii exhibent, quam extimescens aquila retrocedit. Rursum S. Basilius, et locus loco citato, vim concordia ostendit in locustis, quæ, cum sint vilia et infirma animalcula, tamen conglobata agros et provincias vastant, uti vastarunt Ægyptum, *Exodi x, 15*; adeo ut nulla vis eis resistere queat : « Quoniam pacto, ait S. Basilius, tibi militias exercitusque locustæ terribiles enaravero, quæ, velut agmine facto, sub una tessera in sublime universa simul elata, castris toto late positis agro, non antea sane fructus depascitur, quam ipsi sit a Deo concessum atque mandatum? » His adde boves, qui, cum lupum vident, in orbem coeunt, junctisque simul viribus, cornibus hostem exspectant et fugant. Equi quoque in circum coguntur, cum hostem timent, istiusque circuli centrum capitibus quisque suis efficit, atque sic singuli calces et soles ferreas, arma scilicet sua, adveniendi hosti obijciunt atque ostentant. Quin et porci alias stupidi, et de glandibus inter se morsu certantes, ubi tamen lupum vel hostem vident, illico in triangulum se disponunt, ac rebuscioribus in prima acie collocatis, cuius invadenti sunt formidabiles.

et locus
equi et
porci.

Denique R. Simcon in *Pirke Avoth*, id est in *Capitulis sive Proverbiis Patrum Hebr.* cap. I « Tribus, inquit, rebus mundus hic subsistit, ratione, veritate et pace. Hunc enim ordinem statuit S. Scriptura dicens : Veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris. » Ibidem R. Hillel, socius R. Samaï : « Exhibete, inquit, vos tanquam filios Aaron, qui pacem omni cura studiose quærebat, ac hominum amator, omnes ad legis observantiam adducere satagebat. » Addebat illud : « Qui honorem avidius quærit, honoris jacturam facit. » Ambitio enim honoris et præcellentiæ turbat pacem et concordiam.

Mystice Rabanus, et ex eo Glossa : « Mulier et maritus, inquit, sibi bene consentientes sunt ratio inferior et superior, sive anima et spiritus, appetitus et mens, » concupiscentia et ratio : cum enim hæc rationi consentit, tunc mire placet Deo totus homo ; sic concordia fratrum est concordia rationis et voluntatis : voluntas enim, quasi frater junior, consentire debet rationi quasi fratri seniori, ut placeat Patri cœlesti. Sic amor proximorum est, cum quisque consentit, potentia et appetitus, non privatum suum bonum, quod concupiscit, sed commune cæterorum totiusque hominis, puta sapientiam et virtutem, appetit et prosequitur, atque in hac harmonia et concordia membrorum viriumque hominis mire sibi complacet Deus.

Vers. 3. **3. TRES SPECIES ODIVIT ANIMA MEA, ET AGGRAVOR VALDE ANIMÆ ILLORUM.** — *Animæ*, id est animali cupiditati, indoli et vitæ, hoc est moribus modoque vivendi illorum, *q. d.* Aggravor, id est graviter fero illorum indolem et mores. Unde Græca habent: *προσάχθισα σφοδρὰ τῆ ζωῆ αὐτῶν*, id est, *offendor, stomachor, indignor vitæ ipsorum*; Tigurina, *eorumque vitam perquam inique fero*. Quia sicut monstra naturæ communiter brevis sunt vitæ, ita hæc monstra, in genere moris, brevis ævi esse deberent, ait Palacius. Syrus, *affligor valde super vitâ illorum*; *super vitâ*, id est super modo vivendi et inconcinnis moribus eorum. Recensuit tria hominum genera quæ sibi placere dixit, eo quod vivant decenter et congrue suo statui, nimirum quod sint concordēs in eadem familia, congregatione vel connubio. Congregationi enim nihil ita congruit ac concordia; hanc enim sibi deposcit ipsa congregationis natura, quæ in unione et concordia consistit; atque hæc est ratio a priori, cur concordia adeo Deo et hominibus sit grata, tamque arcte et graviter ab eo sancita. Nunc totidem genera hominum recenset, quæ sibi, puta sapientiæ et sapienti Siracidi mire displicent, eo quod vivant incongrue et difformiter suo gradui et statui, adeoque pugnent cum natura sua conditionis et vocationis. Tria hæc nominat subdens:

Vers. 4. **4. PAUPEREM SUPERBUM: DIVITEM MENDACEM: SENEM FATUUM ET INSENSATUM.** — Status enim et conditio pauperis, utpote abjecta, quasi naturaliter poscit animi demissionem et humilitatem: non enim habet pauper opes quibus superbiat; si ergo superbit, reipsa quasi pugnat cum humili paupertatis suæ statu. Sic et conditio divitis pugnat cum mendacio, tum quia dives non habet necessitatem mentiendi, quam habent pauperes, ut suæ inopiæ succurrant; tum quia divites in republica sunt honorati et senatores, quos plane dedecet mendacium, eo quod in iis valde noxium sit reipublicæ. Denique conditio senectutis repugnat fatuitati; senectus enim, tum ob sedatas passiones, tum ob experientiam, affert sapientiam; quare res probrosa et monstruosa est senex insipiens et fatuus, juxta illud *Isaiæ LXV, 20*: « Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. » Per puerum enim insipientem et fatuum intelligitur peccator; hic enim licet ætate sit senex, moribus tamen et vitis est puer insipiens. Unde Græca pro *senem fatuum et insensatum*, habent, *senem adulterum et deficientem intelligentia*, id est, *prudentiâ*; Tigurina, *senem adulterum, utpote mentis impotem*. In juvenibus enim, ob exuberantiam caloris et sanguinis, aliquatenus tolerari et excusari potest libido; al non in senibus, in quibus friget sanguis et concupiscentia, vigetque mens et ratio. Unde illud Ovidii:

Turpe senex mites, turpe senilis amor.

Noster pro *μοιχοσ*, id est mœchum, sive adulterum, legit *μωροσ*, id est fatuum, vel stultum; ita legit

quoque Syrus, unde vertit, *pauper superbus, et dives mendax, et senex fatuus et amens*.

Mystice primo, Rabanus, et ex eo Glossa explicat, *q. d.* Odi diabolium ob tria, scilicet: primo, quod ipse, cum gratia sit pauperrimus, sit tamen superbissimus; secundo, quod cum in donis naturæ sit ditissimus, simul tamen sit mendacissimus, adeoque pater mendacii, ut ait Christus *Joan. VIII*. Rursum, ipse est dives in promissione, sed mendax in solutione, ait Hugo; tertio, quod cum sit senex, adeoque coævus mundo, sit tamen stultissimus et imprudentissimus, quia omnis honestatis et virtutis est hostis.

Secundo, aptius idem Rabanus et Jansenius: Secundo. « Pauper superbus, inquit, aut est, qui, cum virtutis et sapientiæ sit inops, de virtutibus tamen et scientia gloriatur. Dives mendax est, qui, cum in S. Scriptura multum sit versatus, errorum tamen magister efficitur. Senex fatuus est, qui, cum longo prius tempore probe vixerit, in senectute tamen vanitates carnis et mundi seclatur, uti fecit Salomon. »

Tertio, valde ingeniose et apposite vir eruditus hæc explicat de tribus sapientiæ et sapientum, id est sanctorum hostibus, qui sunt diemon, caro et mundus, quos odisse, quibusque tentantibus jugiter resistere jubemur. Pauper superbus ergo est diabolus; hic enim est pauper, quia miser et imbecillis, utpote privatus omnibus gratiæ donis, ac sua potentia et viribus spoliatus a Christo; idem tamen superbissimus est. Dives mendax est caro, quia hæc mentitur se non posse subire labores virtutis, cum eos, si velit, capessere possit; v. g. cum dicit se non posse jejunare ob defectum virium, mentitur; nam habet vires ad fornicandum: cur ergo non habeat vires ad jejunandum? habet vires ut serviat mundo, multosque et magnos pro eo labores toleret; cur non habeat vires, ut serviat Deo? Senex fatuus mundus. Hic enim est senex, quia stetit pene sex milibus annorum; sed fatuus, quia contraria dictat Deo, qui est prima veritas et sapientia. Dictat enim v. g. ulciscendam esse injuriam, odio habendos esse inimicos, beatos esse divites, miseros esse pauperes, ostentandas esse vires, nemini esse cedendum, suppressendos esse æquales, etc., quæ omnia in schola Christi falsa et fatua sunt. Sic in Religione senes fatui sunt, qui ob senium laxant disciplinam religiosam, nolunt obedire, nolunt servare regulas, quærunt ubique exemptiones, adeoque vivunt ut sæculares et libertini. Quæ sane magna est insipientia, eoque major, quo junioribus magno sunt scandalo, eosque ad similia verbo et exemplo invitant. Aliter Hugo: « Pauper superbus, inquit, est caro lasciviens, indigens alimentis, indumentis, elementis; dives mendax est mundus; senex fatuus est diabolus. »

Quarto, hæc tria adaptes triplici concupiscentiæ, quam explicat S. Joannes *epist. 1, cap. II, 15*: « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in

mundo sunt, etc. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » Nam superbia vitæ congruit cum paupere superbo; superbus enim superbit, cum sit pauper; superbire enim est *super se ire*, puta, ambire plus quam vires et opes ferant. Concupiscentia oculorum, puta avaritia, congruit cum divite mendace; avarus enim est dives, sed mendax: cum enim divitiis uti non audeat, vere non est dives, sed mendaciter se divitem aestimat, cum reipsa sit pauper; nec enim divitiis magis gaudet quam pauper, qui iis caret: unde perinde illi sunt opes, ac si eas non haberet. Quare ei congruit illud *Apocal. III, 17*: « Dicis quod dives sum et locupletatus, et nullius ego; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus. » Concupiscentia carnis, puta gula et libido, congruit cum sene fatuo; libido enim senex est, quia ab Adamo peccante concepta est, singulisque posteris ingenta: eadem fatua est, et, ut Græca habent, adultera, tum quia carnem ipsam necat et corrumpit; tum quia modicam turpemque voluptatem anteponit cælesti et æternæ, adeoque meretricem præfert ipsi Deo et Christo, qui est verus animæ sponsus. Quod sane spiritale, sed enorme est adulterium.

Denique Hugo hæc tria adaptat hypoerisi et hypocritæ. Hic enim est pauper in veritate, dives in ostensione, senex in exteriori conversatione; superbus mente: mendax ficta simulatione; fatuus et insensatus sui et aliorum deceptione.

Vers. 5. 5. QUÆ IN JUVENTUTE TUA NON CONGREGASTI, QUOMODO IN SENECTUTE TUA INVENIES? — Ex tribus, quæ se odisse dixit, tertium prosequitur, scilicet senem fatuum; unde hic indicat causam fatuitatis in senibus, *nimirum quod in juventute non studuerint, nec congregarint sapientiam*; quæ enim juvenis non didicisti, quomodo senex addisces, imo invenies? Ad sapientiam enim proprie pertinet hæc sententia, licet et ad alia quælibet, etiam opes temporales, extendi possit. Unde in sequentibus docet quam senes deceat sapientia, ut hæc ratione juvenes excitet ad eam comparandam; utpote qua in senio fruituri sunt, æque ac decorandi. Græca, omisso *quæ*, sic naturaliter et pathetice sententiam efferunt: *In juventute tua non congregasti, et quomodo in senectute tua poteris invenire?* Tigurina, *si nihil in juventute congegisti, quomodo rem facias in senectute?* Syrus clare, *in adolescentia tua non congregasti sapientiam, et quomodo reperies eam in senectute?* Sicut ergo formicæ congregant grana in æstate, quæ comedant in hieme; sic tu, o juvenis, congrega sapientiam, merita et virtutes in ætate florida, quibus fruaris, honoreris et exultes in senio.

Juventus suos mores transmittit. Juventus enim suos mores sive probos, sive improbos, transmittit et transcribit in senium. Hinc illa justa in senem improbum exprobratio

apud Græchum, quam recitat S. Isidorus, lib. II *Origin.* cap. XXI: « Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit, adolescentiæ senectutis decoramentum, senectus reipublicæ flagitium. » Præclare Cassianus, *Collat. II, cap. XIII*: « Divitiæ senum, ait, non sunt canities capitis, sed industria juventutis, ac præteritorum laborum stipendiis metiendæ. Quæ enim non congregasti in juventute, quomodo invenies in senectute? » Tacite ergo hic reprehenditur multorum juvenum error et sensus, qui dicunt: Juventutem dabo voluptati, senectam pœnitentiæ; juventutem otio et vitio, senectam labori et virtuti; juventutem diabolo, senectam Deo. Quid turpius, quam florem ætatis dare diabolo, fœces Deo? quid stultius, quam juventam aptam labori dare otio, et senectam natam ad quietem cogere ad laborem insuetum? quid periculosius, quam se dare vitiiis sub inani et incerta spe longævæ vitæ et seræ pœnitentiæ? Sed de hoc plura inferius. Denique sapienter S. Augustinus in *Psalm. CXII*: « Virtus, inquit, exigit ut sit senectus nostra puerilis, et sit pueritia senilis. »

Antistrophæ Siracidi sunt hæ philosophorum gnômæ Ennii:

Sicut fortis equus, spatio qui forte supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Senecæ:

Juveni parandum, seni utendum.

Portii Latronis, insignis oratoris: « Quære, adolescens, utere, senex. » Exstat hac de re emblema, in quo hinc pingitur adolescens expeditis lacertis, nudo capite, ligone terram proseedens, illinc senex toga pellita suffultus, in solio accumbens ad genialem mensam epulis scyphisque instructam.

Vers. 6. 6. QUAM SPECIOSUM CANITIEI JUDICIUM, ET PRESBYTERIS COGNOSCERE CONSILIUM! — Duo dicit, ait Jansenius, speciosa esse et decora canis et presbyteris, hoc est senibus, nempe et bene posse judicare, et sanum posse suggerere consilium; quorum utrumque et prudentiam et auctoritatem requirit. Quæ senibus maxime propria sunt, quibus experientia et anni prudentiam adferunt, canities auctoritatem. Vires enim sunt juvenilis ætatis; at prudentia, consilium, sententia et auctoritas senectutis. Itaque apud Lacedæmonios summum consilium, *γερονεια*, *conventus ætatisque senum* dicebatur; quemadmodum Romæ Senatus est appellatus, quod ex senibus constaret.

Per *judicium* ergo hic tam privatum et domesticum, quam publicum et civile accipe; iudices enim solent deligi grandævî et senes, tum ob auctoritatem, tum ob prudentiam, tum ob sedatas animi passiones. Unde Tigurina vertit, *quanto est ornamento canities jurisdictio, et cognitio consilii senibus!* Syrus, *quam decet senes judicium, et pro-*

tit
in se-
nium.

Opera sunt juvenum, bella virorum, consilia senum. Vers. 7.

vectos aetate intelligentia! Huc facit celebris illa sapiensque Graecorum gnome: ἔργα νέων, πόλις αἰσθητῶν, βούλαι δὲ γερόντων, id est, opera sunt juvenum, bella virorum, at consilia sunt senum.

7. QUAM SPECIOSA VETERANIS SAPIENTIA, ET GLORIOSIS INTELLECTUS ET CONSILIUM! — «Veteranis,» Graece γερόντων, id est senibus; «gloriosis,» Graece δέδοξασμένους, id est honoratis. Item pene dicit, quod dixit vers. praeced. ut inculcet et urgeat juvenes ad comparandam, senes ad conservandam et promendam sapientiam. Illam enim nunc vocat intellectum, nunc consilium, nunc iudicium, quia sapientia optime res intelligit, optimum in dubiis dat consilium, optime in re ancipiti iudicat. Unde Syrus vertit, quam decet magnates sapientia, et graves sensus et consilium! Tigurina, quam decora senibus est sapientia, et intelligentia consiliumque honoratis! Pro intellectus Graece est διανοηματα, quod alii vertunt cogitatio. Honoratorum enim et magnatum est multa cogitare, pauca loqui; haec enim cogitatio matura et praevia, mater est parensque consilii et iudicii. Unde homines cogitabundi et taciturni solent esse prudentes et sapientes.

Præclare S. Hieronymus, epist. 2 Ad Nepotianum: «Senectus, inquit, eorum qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt die ac nocte, aetate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Unde et sapiens ille vir Graeciae Themistocles, cum expletis centum et septem annis se mori cerneret, dixisse fertur se dolere quod tunc egredieretur e vita, quando sapere coepisset. Plato, octogesimo primo anno scribens, mortuus est: Isocrates nonaginta novem annos in docendi scribendique labore complevit.» Cicero, lib. De Senect., celebrat Solonem, qui solus restitit Pisistrato rempublicam per tyrannidem invadenti, cumque ille rogaret «qua re fretus hoc auderet,» respondit, «Senectute.» Alios senectus reddit formidolosiores, illi conciliavit audaciam, quod parum vitae superesset, etiamsi nullus occideret. Hinc illud Homeri Odyssea β de heroe quodam Aegypcio, «qui jam senecta incurvus erat, et multa rerum experientia sapiens.» Causam dat Aristoteles in Problem. sect. 30, num. 4: «Quia natura, inquit, duo instrumenta nobis inseruit, manum, inquam, corpori dedit, animo mentem. Uti ergo procedente aetate manus suum opus maxime efficere potest, ita etiam mens non protinus, sed in senectute maxime nobis contingit, atque tunc potissimum consummatur et absolvitur.» Consonat Plato in Timæo: Anima, inquit, ab initio amens fit; at, postquam nutritionis et augmenti rivus lenius minusque fluit, animæque circuitus tranquilliore motu iter suum peragunt, processuque temporis sedatioris fiunt, et in figuram naturæ suæ congruam restituuntur; tunc singulorum circulo rum directæ conversiones ejusdem et alterius naturæ probe discernunt, hominem-

Cur?

que sic institutum prudentem efficiunt. Hinc olim jussu Dei, septuaginta senes erant iudices Israelis, ut patet Num. 11, 16. Vide et Deut. xxi, 6, et Daniel. xiii, 5. Sic et apud Romanos non nisi senex fiebat senator: unde Senatus dictus, quasi concilium senum. Ita Cicero De Senect.; Livius, lib. VII; Justinus, lib. XLIII. Audi Ovidium, lib. V Pastorum:

Senatus a senibus dicitur.

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen et aetatis mite Senatus habet.
Jura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est aetas unde petatur honos.

Idem faciebant Spartani, teste Livio lib. IV Belli Macedon. et Persæ, teste Xenophonte in Cyri Pædia. In Traprobane insula non nisi senex tam annis quam moribus in regem eligebatur, teste Plinio, lib. VI, cap. xxii. Idem fiebat in Arabia, teste Diodoro, lib. II.

8. CORONA SENUM MULTA PERITIA, ET GLORIA ILLORUM Vers. 8. TIMOR DEI. — Est hendyadis, «corona et gloria,» id est corona gloriosa, vel gloria coronata, q. d. πολυπειρία, id est, multarum rerum experientia et peritia, ornat senes instar coronæ; at hæc corona gloriosa efficitur, et nova miraque gloria decoratur, si ad πολυπειρίαν «accedat timor Dei,» qua occasione in sequentibus de more effundit se Sira-cides in laudes et præconia timoris Dei, eumque cæteris rebus omnibus, quæ hominem beare et felicem efficere videntur, præfert et anteponit. Verum melius gloriam hic accipias pro gloriatione; hanc enim significat Græcum κτήριμα, q. d. Nulla est res de qua magis gloriari possint senes, quam timor Domini, si eo præditi sint. Unde Tigurina, multiplex peritia corona senum est, et gloriatio eorum religio Domini; Syrus, honor senum est multitudo consilii, et timor Dei laus eorum. Ubi enim consilio deest timor Dei, et adest impietas, ingens est malum et probrum: impietas enim, armata consilio, sæpe insuperabilis est. Tale fuit consilium impium, quod Achitophel dedit Absaloni rebellanti contra Davidem patrem, II Reg. xv. Tale quoque fuit consilium, quod Balaam debet Balac regi Moab ad perdendum Hebræos, Numer. xxiv.

Quocirca sapienter senes monet Nazianzenus in Tetrastichis:

Senes paronise ad exitum.

Semper saluti tu quidem stude tua,
Potissimum autem sub diem vitæ ultimum.
Venit senectus: exitum præco canit;
Paremur omnes: imminet iudex Deus.

Denique Synesius, tract. De Laude calvitii, caput calvum vocat «prudentiæ domicilium, divinitatis templum.» Alludit ad Proverb. xvi, 31: «Corona dignitatis senectus,» ubi senes septuplici corona donabo. Porro, cordate Seneca lib. I De Tranquill. vitæ, cap. iii: «Nihil turpius, inquit, est quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum quo se probet diu vixisse, præter aetatem;» cum alia multo clariora habere

debuisset, nempe experientiam et sapientiam, quæ seris ab annis colliguntur. Nam ut ait S. Hieronymus, epist. 2. *Ad Nepotianum*: « Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus; et crescente sola sapientia, decrescunt cæteræ virtutes. » Quo pertinet illud Socratis in *Symposio Platonis*: « Tunc, inquit, mentis oculus incipit cernere, cum primum corporis oculus deflorescit. » Quare Tullius in *Catone*: « Temeritas, inquit, est florescentis ætatis, prudentia senectutis. » Ob quam prudentiam Quintilianus, in quadam de-

clamatione: « Militem, inquit, eligimus juvenem; imperatorem facimus senem. » In hujus rei typum David, postquam senuit, uxorem duxit Abisag Sunamitidem, III *Reg.* 1, 3; quæ sapientiam senilis ætatis propriam repræsentat. Nam Abisag, interprete D. Hieronymo proxime citato, idem est quod *abundans*, et quod *rugitus*. « In senibus autem, inquit, abundantissimum et ultra humanam vocem divini sermonis tonitruum commoratur. » Plura hac de re dicam proxime *Proverb.* 22, 29, ad illud: « Dignitas senum canities. »

SECUNDA PARS CAPITIS

ENARRAT NOVEM BEATITUDINES, ET DECIMAM MAXIMAM, QUÆ EST TIMOR DEI.

Vers. 9. 9. NOVEM INSUSPICABILIA CORDIS MAGNIFICAVI, ET DECIMUM DICAM IN LINGUA HOMINIBUS.—Græca habent, *ἕνδεκα ὑπονοήματα ἠμαρτήρια ἐν καρδίᾳ μου, καὶ τὸ δέκατον ἐπεὶ ἐπὶ τῆ γλώσσης μου.* Quod Complutenses vertunt, *novem suspiciones beatas dixi in corde meo, et decimum dicam in lingua*; alii, *novem concepta corde prædico beata, et decimum dicam lingua.* Hoc novenario et denario beatitudinum Siracides imitatur ternarios et quaternarios Salomonis, *Proverb.* 10, 13 et seq.

Nota: ὑπονοήματα vocantur cogitata, suspicata et mente concepta: thema enim est ὑπόνοια, id est, cogito, mente concipio, suspicor. Unde primo videri posset pro *insuspicabilia*, in Latina Vulgata, legendum esse *suspiciabilia*; aut certe interpretem minus Latinum, *insuspicari* accepisse pro *suspiciari*, et *insuspicabilia* pro *suspiciabilia*, quasi *insuspicabile* idem sit quod *in suspicionem veniens*, id est *suspicabile*, sicut *investigabile* est idem quod *in vestigio perscrutabile*, hoc est *vestigabile*; et *insuicere* idem est quod *succo imbuiere*, hoc est *succare*; *insufflare* est *sufflare in aliquem*; *inebriare* est *ebrium efficere*. Verum secundo Jansenius opinatur, quod Interpres noster pro ὑπονοήματα, id est *suspiciabilia*, legerit ἠμαρτήρια, id est *insuspicabilia*: « *insuspicabilia* » ergo « *cordis* » vocari ea, de quibus nemo male in corde suo suspicatur aut cogitat. Ita Rabanus, Glossa, Jansenius, Dionysius, Palacius, et Hugo: « *Insuspicabilia*, inquit, sunt quæ ab omni suspicione falsitatis sunt aliena. » Tertio, valde appositè *insuspicabilia* explices ea, de quibus nemo facile suspicetur, illa esse tanta tamque magna, ut ea adeo magnificanda sint, in eisque beatitudo constituenda, uti constituit hic Siracides, q. d. Hæ novem beatitudines sunt *suspicientes* et *probabiles* animo meo, et aliis sunt *insuspicabiles* et *parum probabiles*: præsertim si novem hæc non sigillatim, sed collectim sumantur. Si quis enim roget, quæ sunt novem beatitudines? nemini in mente veniet id quod mihi; nemo hæc

novem beatitudines animo concipiet quas ego concipio; nemo eas præcise assignabit quas ego assigno. Eadem ergo sunt *suspicientes* et *insuspicabilia*. Siracidi enim erant *suspicientes*, cæteris *insuspicabilia*; sic enim suspiciones et opiniones probabiles videntur, propriæque sunt certis personis, cum in cæterorum mentem non cadant, eisque sæpe sint improbables; unde vocat eas *insuspicabilia cordis*, quæ scilicet non facile cor cujuspiam alterius suspicetur esse tanta, ut hominem beatum efficiant, atque ea opponit decimo, quod se ait dicturum in lingua hominibus, q. d. Novem res in corde meo suspicatus sum, et æstimavi esse adeo magnas, ut beatum, id est civiliter felicem efficiant eum qui illorum est compos. Dico: *Suspiciatus* sum ego, quia alii idem non facile suspicabuntur vel conjectabunt: ad decimum (puta timor Dei) tale est, ut nemo non sit cogitaturus et concessurus, quin illud hominem beet: quare illud « *dicam in lingua hominibus*, » id est illud contenta voce palam omnibus enuntiabo, ac quantum potero commendabo et celebrabo.

Huic interpretationi favet Tigurina, dum vertit, *novem conjecturas animo meo beatas judico, linguaque mea pronuntiabo decimam*; et alii qui vertunt, *novem concepta corde prædico beata, et decimum dicam lingua mea.* Porro Syrus *insuspicabilia* accipit ipsi etiam Siracidi: sic enim vertit, *novem quæ non ingrediuntur cor meum* (quæ scilicet non satis capio, non satis intelligo) *laudavi, et decimum quod non locutus sum.* Unde et Hugo: « *Insuspicabilia cordis*, inquit, vocat quæ cor non potest suspicari: » hoc enim, non aliud, proprie hæc voces Latine significant. Favet et Græca vox; nam ὑπονοήματα, vel ὑπόνοια significat propriam ejusque suspicionem et opinionem, quæ ab aliorum sententia sæpe dissidet et discrepat. Unde παρ' ὑπονοίας loqui quis dicitur, cum aliud loquitur, quam audiens expectabat; quod Noster hic recte vocat *insuspicabile*. Sic Demosthenes verbum acerbum, quod

recta ferebatur in Athenienses, ipse in adversarium detorsit: « Quis, inquit, non despuisset in caput tuum? Absit enim ut id in civitatem, vel in me, ominari mihi contingat. Hinc rursus ἰνὸς-νοια vocatur sensus reconditus, de quo nemo facile suspicatur, uti ex Platone et Plutarcho probat Budæus in *Comment. linguæ Græcæ*, p. 913. Hoc sensu solenter Latinus noster Interpres accepit τὸ ἰνὸς-νοια, ideoque vertit *insuspicabilia*, quia vidit addi τὸ cordis, q. d. Ego in corde meo suspicatus et opinatus sum hæc novem facere hominem beatum; at nolui hactenus illa lingua eloqui et asseverare, quia aliis forte aliter videbitur, qui suspicabuntur et opinabuntur alia novem, quæ hisce meis novem anteponent, quasi illa magis hominem beent.

Porro, novem hæc ἰνὸς-νοια sive insuspicabilia, quæ beant hominem, puta novem beatitudines recenset, subdens, *primum*: « Homo qui jucundatur in filiis; » *secundum*: « Vivens et videns subversionem inimicorum suorum; » *tertium*: « Beatus qui habitat cum muliere sensata; » *quartum*: « Qui lingua sua non est lapsus; » *quintum*: « Qui non servivit indignis se; » *sextum*: « Beatus qui invenit amicum verum; » *septimum*: « Qui enarrat justitiam auri audienti; » *octavum*: « Quam magnus est, qui invenit sapientiam! » *nonum*: « Et scientiam. » Verum pro scientiam Græca habent *επιστήμη*, id est *prudentiam*. Et pro eo quod Noster habet: *Beatus qui invenit amicum verum*, Græca habent, *beatus qui invenit prudentiam*. Pro et scientiam, Syrus vertit, *beatus vir, quem non fregit paupertas, et non fregit cum inopia*. Hæc enim est magna scientia et prudentia, patienter et fortiter ferre paupertatem, quæ sæpe viris sapientibus et sanctis obvenit; et qui illam æquanimiter tolerant, magni et beati sunt. Ita hæc novem computat Rabanus, Palacius et Hugo: Per sapientiam, inquit, accepit cognitionem et contemplationem divinorum; per scientiam vero, cognitionem recte operandi, puta, prudentiam recte conversandi in hoc mundo, scilicet in medio nationis pravæ. Octavum ergo et nonum sunt sapientia contemplationis et scientia operationis: hæc Hugo. *Decimum*: « Timor Dei super omnia se superposuit: beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. »

Mystice. Mystice Hugo: « Primum insuspicabile, inquit, est pietas, quæ facit lætanter operari bonum. » Opera enim bona sunt quasi proles pietatis et piæ voluntatis. Unde *Psalm. cxi*, dicitur: « Jucundus homo, qui miseretur et commodat. » *Secundum*, est zelus, quo fit victoria vitiorum. *Tertium*, est castigatio carnis, quæ pacem facit inter rationem et sensualitatem, quæ jugem habent discordiam. *Galat. v*: « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. » Sed debet caro castigari, ut subjiciatur spiritui, et fiat pax. Unde *Genes. iii*, dicit Dominus mulieri: « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. » *Quartum*, est modestia sermonis. *Quintum*, est magnanimi-

tas, qua quis magna facere vel pati audeat, ut non serviat diabolo vel peccato. *Sextum*, est fidelis amicitia, quæ in solo amore consistit. *Septimum*, est prudentia, sive discretio doctrinæ, qua quis considerat et attendit, quid, et cui loquatur. *Octavum*, est sapientia contemplandi. *Nonum*, est scientia operandi. Hæc sunt novem insuspicabilia, id est, ab omni mala suspicione aliena. *Decimum* autem quod in lingua dicitur, est timor Dei, qui decimum dicitur, id est, perfectio aliorum. Novenarius enim imperfectus numerus est, donec ad denarium venerit; unde, sicut unitas addita novenario, perficit ipsum, ut fiat denarius, sic timor additus prædictis novem insuspicabilibus, perficit ipsa, et custodit, et promovet. Nunc sigillatim explicemus singula.

10. HOMO, QUI JUCUNDATUR IN FILIIS, VIVENS ET VIDENS SUBVERSIONEM INIMICORUM SUORUM. — E novem beatitudinibus et beatis duos hic assignat. *Primum* ergo magnus, et, ut Græce est, *felix et beatus est homo, qui jucundatur in filiis*, qui scilicet habet filios egregios, eosque probos et morigeros: hi enim patri ingens decus æque ac gaudium afferunt; sicut ex adverso filii improbi et immorigeri patri dedecus et tristitiam, adeoque morbum et mortem subinde conciliant. Unde Tigurina vertit, *beatus homo cui vivo liberi jucunditatem afferunt*; alii, *homo voluptatem capiens ex filiis*. Filii enim sunt quasi pars et caro parentum: quare de eorum bono vel malo, quasi de suo, gaudent vel dolent parentes, præsertim quia eos post se superstites relinquunt. Unde post mortem in filiis vivo videntur, in eisque esse felices et honorati, vel infelices et infames; unde Syrus vertit, *homo qui lætatur in novissimo suo*. Idem censuit David *Psalm. cxxvii*, 3, ubi inter alia præmia timentis Deum, ideoque beati, hoc primum recenset: « Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum; etc. Et videns filios filiorum tuorum, pacem super Israel. » Et *Ps. cxxvi*, 4: « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum, » id est juvenum validorum et fortium. Unde Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt, *sicut filii juventutis*: juvenes enim Hebræicè vocantur excussi, quia expediti ab omni impedimento, et accincti ad prælium, ait S. Hieronymus, epist. *Ad Marcellam*; unde de filiis hisce excussis, id est juvenibus validis, subdit *Psalmes*: « Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis. »

Secundus magnus et beatus est, « vivens et videns subversionem inimicorum suorum; » Tigurina, *qui videt casum inimicorum suorum*. Innatus est homini appetitus vindictæ, ut doleat de prosperitate, et gaudeat de adversitate inimicorum. Unde Aristoteles, lib. IV *Ethic.* cap. v, Philosophi censuerunt ingens homini esse bonum et gau-

dium, si justam iram et vindictam suam explere possit. Verum hic sensus est naturæ peccato corruptæ et vitiatæ, non sanæ et integræ, quem proinde correxit Christus, dum jubet inimicos æque ac amicos diligere, ac proinde iis malefacere prohibet, benefacere vero mandat, *Matth. v, 41*. Caritas enim Dei et Christi amplo suæ benevolentiae sinu tam inimicos quam amicos complectitur. Judaicum ergo est et ethnicum, odisse inimicos, deque eorum clade gaudere. Judæis enim duris dictum erat: « Odio habebis inimicum tuum; » quod corrigi Christus, *Matth. v*. Quare hic locus et similes accipi debent de inimicis, qui sunt infideles vel impii, ideoque hostes Dei, Ecclesie et fidelium, quales Judæis, tempore Siracidis, erant omnes fere gentes. De horum enim ruina gaudere licet, tum ex zelo justitiæ et justæ vindictæ, ut infidelitas et impietas eorum justa pœna puniatur; tum ex zelo charitatis, ut scilicet ipsi Deo, Ecclesie et fidelibus injuriæ esse, eosque persequi et vexare desinant. Qua ratione nunc fideles gaudent, cum audiunt victorias principum catholicorum, quas referunt de hostibus Ecclesie, cum ingenti hæreticorum et Turcarum strage ac ruina. Ita gavisus sunt Prophetæ in strage Babyloniorum, Philistinorum, Moabitarum aliorumque Synagogæ hostium, ut *Isaias, cap. xiv, 4*; *Jeremias, li, 48*; *Ezechiel, cap. xxv, 17*. Unde illud Davidis insultantis Babylo ni exscindendæ: « Filia Babylonis misera: beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram, » *Psal. cxxxvi, 9*. Fidelis enim et justus neminem æstimat suum inimicum, nisi qui pariter inimicus sit Dei et Ecclesie: quicumque enim amicus est Dei et Ecclesie, hic pariter amicus est fidelis et justus, et ab eo ut amicus amatur. Posset tamen hæc beatitudo extendi ad privatam vindictam: fidelis enim et sanctus sancto gaudio gaudere potest de ruina hostium, qui eum a fide et sanctitate avertere, aut eam impedire et inturbare conantur, quatenus scilicet gaudet eos, ut sanctitatis suæ impedimenta, auferri et interire; non autem gaudet, eo quod eis ut hominibus privatis hostibusque suis hoc malum accidat. A quo tamen gaudio, ob periculum private vindictæ, in quam natura corrupta propendet, abstinendum est, nisi quis plane mortificatos habeat affectus, sitque sanctus, qualis fuit Jeremias, qui proinde secure orat *cap. xi, 20*: « Videam ultionem tuam ex eis, » scilicet inimicis.

Mystica.

Mystice Rabanus et Hugo: Beatus est, inquit, primo, « qui jucundatur in filiis, » id est, in bonis operibus: hæc enim, uti supra dictum, sunt quasi proles quas parit bona voluntas, quasi mater per gratiam Dei, quasi per semen cœlestis Patris æterni. Rursum, « in filiis, » id est in proximis, quos ad Deum convertimus: hi enim sunt filii spirituales, qui suos parentes lætificant. Secundo: « Qui videt subversionem inimicorum suorum, » puta dæmonum et vitiorum. Mire enim gaudet anima sancta, dum ruinam vitiorum in se æque ac in

aliis conspiciat. Tertio: « Qui habitat cum muliere sensata. » Hæc tertia beatitudo est castigatio carnis, quæ pacem efficit inter rationem et sensualitatem, inter quæ jugis est discordia, juxta illud *Galat. cap. v*: « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. » Debet ergo caro castigari, ut subjiciatur spiritui, ut hac ratione fiat sensata, ac pacem colat cum ratione, cui quasi marito subsit oportet, perinde ac Deus Evæ uxori Adæ dixit et sanxit, *Genes. iii*: « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. »

11. BEATUS QUI HABITAT CUM MULIERE SENSATA, ET Vera, 11.

QUI LINGUA SUA NON EST LAPSUS, ET QUI NON SERVIVIT INDIGNIS SE. — Hic versus tres continet beatitudines. Igitur tertius beatus est, « qui habitat cum muliere sensata; » Tigurina, *beatus qui habet uxorem cordatam*; alii, *beatus qui degit cum uxore intelligente*, id est prudente; hoc enim significat Græcum *σοφῆς*: uxor enim prudens mariti malis omnibus medetur, vel ea sua providentia præveniens discutit et avertit, bonaque omnia accersit: quare Salomon asserit peculiare Dei donum esse uxorem prudentem, *Proverb. xix, 14*, qualis Davidi fuit Abigail. Syrus, *beatus est vir uxoris bonæ, quia non arat in bove et in asino simul*, id est, non impar, sed æquale ducit jugum conjugii: vir enim bonus et uxor bona sunt quasi duo jugales pares, qui pari animo subeunt, facileque portant onus conjugii; cum vero vir bonus est, sed uxor mala, aut uxor bona, sed vir malus, tunc jugales sunt impares; unde impariter trahunt currum conjugii, ejusque onus totum fere illi, qui bonus est, incumbit, qui plus æquo gravatur, sicut cum aratrum trahunt bos et asinus, impares sunt jugales, et plus æquo gravatur asinus, utpote qui viribus impar est bovi. Rursum asinus, utpote salax et luxuriosus, symbolum est libidinis et adulterii, a cujus suspicione immunis et liber est vir uxoris bonæ et castæ. Alludit symbolice ad legem *Deut. xxv, 10*: « Non arabis in bove simul et asino. » Vide ibi dicta.

Quartus beatus est, « qui lingua sua non est lapsus » in peccatum, vel in aliquod periculum et damnum; Syrus, *beatus est, quem lingua sua non pervertit*. Facilis enim, multiplex et periculosus est lapsus linguæ, qui multos infelices et miseros efficit, quemque pauci, nec nisi per singularem Dei opem et gratiam, evadunt. Unde S. Jacobus *cap. iii, vers. 2*: « Si quis, inquit, in verbo non offendit, hic perfectus est vir, » etc. Vide ibi dicta.

Quintus beatus est, « qui non servivit indignis se; » Syrus, *qui non servit viliori se*. Magna enim indignitas, ideoque infelicitas est, cum quis honestus vel nobilis et princeps cogitur servire homini vili, v. g. suo subdito vel famulo, qui sæpe caret discretionem et judicio, agiturque passione et improbitate, quique per potestatem superbe insolens, imperiose, proterve et tyrannice dominatur suis heris, virisque ingenuis et honoratis;

juxta illud Salomonis *Proverb.* xxx, 21 : « Per tria movetur, » id est commovetur, conturbatur « terra, et quartum non potest sustinere : per servum, cum regnaverit : per stultum, cum saturatus fuerit cibo : per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta : et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. »

Quam servi exaltati regimen sit superbum et intolerabile, exemplo Eutropii ostendit Baronijs anno Christi 399, initio. Eutropius enim conditione servus, sexu eunuchus, fide ethnicus, moribus perditus, tutor Arcadii imperatoris tanto potentiae splendore eminebat, ut in eum potius quam in Arcadium conversi essent omnium simul cum oculis animi honorum cupidi. Idem potentiae miscens sævitiam, totum plane orientale pessum dedit imperium. Unde Claudianus, de eo jam creato consule Romano indignans, ita exclamat lib. I in *Eutropium* :

Omnia cesserunt eunuchis consule monstra.
Heu cæli terræque pudor! Trabeata per urbes
Ostentatur anus, titulumque effeminat anni :

annus enim Christi 399 inscriptus est titulo consulatus Eutropii eunuchi. Et inferius ostendens impotens et insolens ejus regimen :

Asperius nihil est humili cum surgit in altum ;
Cuncta ferit, dum cuncta timet : desævit in omnes,
Ut se posse putent, nec bellua tetrior ulla est.
Quam servi rabies in libera colla furentis.

Quocirca Eutropius a Gaina et populo furente postulatus ad necem, confugere coactus ad ecclesiam, quasi ad asylum (quod ipse paulo ante lege lata sustulera), ibi a furore populi defensus fuit aurea oratione S. Chrysostomi, cujus hoc est exordium æque ac titulus : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.*

Sic Maximianus imperator volens acriter punire SS. Sergium et Bacchum martyres primicerios suos, eos judicandos et puniendos misit ad Antiochum ducem Orientis, qui S. Sergii fuerat servus, ejusque intercessione hunc ducatum adeptus. Quæ sane ingens fuit ignominia, æque ac crudelitas. Antiochus enim homo crudelissimus et ingrattissimus, in eos, licet heros suos, immanissime desævit, uti habent eorum Acta apud Surium, die 7 octobris.

Hinc ad miserrimam servitutem damnatus censetur Cham, cum de illo dicitur a parente : « Servus servorum erit fratribus suis, *Genes.* ix, vers. 25. Ubi Rupertus, lib. IV in *Genes.* cap. xxxvii : « Non dixit, inquit, solum, *servus erit* (quo nomine interdum etiam bona vel voluntaria servitus solet significari), sed, *servus servorum* : quo additamento servitus extrema, imo servilis nequitiâ, solet exprimi, nisi cum per egregiam humilitatem se ipsum profitetur quis servum servorum Dei. » Idem contigit Joseph de quo dicitur : « In servum venundatus est Joseph, » *Psalm.* civ,

vers. 17. De qua re D. Ambrosius, serm. 12 in *Psalm.* cxviii : « Quæ potuit, inquit, nobilis prosapiæ puero gravior esse tentatio, quam ut tanto familiæ splendore dejectus serviret apud Ægyptios? Est consolabilis servitus servire vel justis : æquitate domini levatur injuria servitutis. »

Mystice, miserrimum est servire peccato et diabolo, quia hic vilissimus æque ac crudelissimus est subditorum sibi tyrannus et carnifex. Ita Rabanus et Palacius. Hinc pariter miserrimum et periculosissimum est servire indignis, id est improbis : hi enim sibi similia improba, hoc est plane indigna et impia imperant ; aguntur enim a diabolo quasi ejus filii, imo mancipia.

12. BEATUS QUI INVENIT AMICUM VERUM, — qui scilicet tam in adversis quam prosperis amico fideliter adsit et opituletur. Amicus enim fidelis est protectio fortis, ac medicamentum vitæ et immortalitatis, uti dixit cap. vi, 13 et seq. Vide ibi dicta. Hic sextus est beatus. Græca pro *amicum* habent φίλος, id est *prudentiam*. Unde Tigurina, *beatus qui prudentiam assecutus est* ; Syrus, *beatus qui invenit misericordiam*. Potest etiam legi *amicum*, utrumque enim vox Syra רחמא significat.

Si enim legas puncto *patach* רחמא *rachma*, significat misericordiam ; sin puncto *chateph-camets* רחמא *rochma*, significat amicum dilectum. Causa hujus beatitudinis est, quam dat Salomon *Proverb.* xviii, 24 : « Vir amabilis, inquit, ad societatem, magis amicus erit quam frater. » Pietas ergo et amicitia fraternizant, quia fraterna quasi cognatione connexæ sunt. Unde S. Hieronymus, scribens ad S. Augustinum, ait : « Cum amico, quasi cum altero se esse loquendum. » Et S. Thomas disputans de ordine charitatis, II II, *Quæst.* xxvii, asserit conjunctos sanguine in his duntaxat quæ ipsam concernunt, amicis anteponendos, in cæteris postponendos. Idem, opusc. *De Dilect. Dei et proximi*, simpliciter asseverat, amicitiam consanguinitati præponderare. Idem censuere philosophi, ut Solon, teste Plutarcho in ejus Vita ; Cicero, lib. *De Amicit.*, ubi et causam affert : « Quia, inquit, ex propinquitate benevolentia tolli potest (nam, ut ait Poeta, « fratrum quoque gratia rara est »), ex amicitia non potest ; sublata enim benevolentia, amicitia nomen tollitur, propinquitatis remanet. » Et Valerius Maximus, lib. IV, cap. vii : « Contemlemur, inquit, nunc amicitia vinculum potens et prævalidum, neque ulla ex parte sanguinis viribus inferius : hoc etiam certius et exploratius, quia illud nascendi sors fortuitum opus, hoc unius cujusque solido iudicio incoacta voluntas contrahit. Itaque celerius sine reprehensione propinquum aversere, quam amicum : quia altera diremptio iniquitatis, altera utique levitatis erimini subjecta est. Cum enim deserta sit futura vita hominis, nullius amicitia cincta præsidio, tam necessarium subsidium temere assumi non debet ; semel autem rectum apprehensum, sperni non convenit : sinceræ vero

Vera. 12.

Amicus
præstat
consan-
guineo.

fidei amici præcipue in adversis rebus cognoscuntur, in quibus quidquid præstatur, totum a constanti benevolentia proficiscitur. »

ET QUI ENARRAT JUSTITIAM AURI AUDIENTI, — id est docili, intelligenti et obedienti. Rabanus legit, « in aure audientis, » id est, inquit, « devote verbum Dei percipientis, recte intelligentis, et bene operantis. » Hic septimus est beatus, qui scilicet cum docet, dociles et obsequentes nanciscitur auditores et discipulos. Horum enim docilitas, obedientia, fructus et profectus magnam doctori affert voluptatem, consolationem et utilitatem: ex adverso valde affligitur magister, si docendi laborem subeat, eumque frustraneum, imo noxium sibi esse sentiat, eo quod discipuli eam negligant, spernant, obstrepant. Quocirca illustre fuit martyrium S. Cassiani, qui, ut habemus in Breviario Romano, die 13 augusti, vincis post terga manibus, puerorum perversorum, quos erudiebat, ferreis stylis confingendus excarnificandusque traditus, mundo probrosam et acerbam, sed Deo et Ecclesiæ gloriosam mortem oppetit.

Porro, S. Hieronymus in *Ecclesiastæ* cap. x, sic legit: « Beatus ille est qui in aurem loquitur sapientium. » Nam, ut ibidem ait: « Præcipitur vir sapiens quando in aurem loquitur imprudentis, et verba ejus in profundo (ut ita dicam) gurgite pereunt. » Idem in *Michææ* cap. vii: « Si, inquit, beatus est qui in aures loquitur audientis, et auris auditoris desiderium sapientis est, lætitiæ dicentis auditor intelligens: e contrario lactus doctoris est, malus discipulus: Jeremiæ quoque verbis huic querelæ congruentibus: Non profui, neque profuit mihi quisquam. Sunt qui ex persona Salvatoris hoc dici putent, causantis, quod in tanta credentium multitudine et in toto orbe generis humani, vix suo sanguine digna opera reperiat: qui et in 24 *Psalm.* ait: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? »

Vers. 13. 13. QUAM MAGNUS, QUI INVENIT SAPIENTIAM, ET SCIENTIAM! SED NON EST SUPER TIMENTEM DOMINUM. — Tres ultimi magni et beati hoc versu enarrantur. Octavus ergo magnus et beatus est, « qui invenit sapientiam; » nonus, « qui invenit scientiam; » decimus, omnes superans est, qui timet Dominum. Sapientiam enim hic a scientia distinguit; ac sapientiam vocat insignem Dei rerumque divinarum cognitionem; scientiam vero notitiam rerum naturalium, qualis est physica; aut potius moralium, qualis est ethica. Unde Græca pro scientiam, vers. 12, habent *ἡσθησις*, id est prudentiam. Ita Palacios. Paulo aliter Rabanus: Sapientia, ait, est bonum facere, scientiæ vero malum cavere, juxta illud: « Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia, » *Job. xxviii.* Simili modo Apostolus sapientiam a scientia distinguit, dicens: « Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, »

Sapientie et scientie varia discrimina.

I *Cor. xii, 8.* Ubi varii varie hæc distinguunt. Ambrosiaster: « Sapientia, ait, significat cor prudens, ut discernat quæ vitanda sunt; ac scientia divinarum tantum rerum cognitionem importat. » S. Hieronymus: « Sapientia loqui, discere ac docere potest; scientia legis mysteria explanat. » Anselmus: « Sapientia, inquit, ad vitam, scientia pertinet ad doctrinam. » D. Thomas, II II, *Quæst. CLXXVII*: « Sapientia docet et persuadet, scientia delectat et movet. » S. Augustinus, lib. XII *De Trinit.* cap. xiv: « Ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere » asserit: at lib. XIII *De Trinit.* cap. xix: « Sapientia, inquit, divinis, scientia humana attributa est. » Eadem repetit lib. XIV, cap. i.

Sensus est ergo, q. d. Magnus et suo modo beatus est, qui adeptus est sapientiam, qua Deum resque divinas ac S. Scripturam penetret et contempletur; ut et alios eadem docere, eosque sapientes efficere queat. Magnus item, qui habet scientiam, id est prudentiam agendorum, ut tam se quam alios prudenter in rebus omnibus dirigere, ac in rebus perplexis arduisque prudens consilium dare valeat: at neuter superat timentem Dominum. Hic enim omnibus major et beatior est, tum quia per gratiam est Dei amicus et filius, tum quia certo exspectat gloriam a Deo amicis et filiis promissam. Unde in sequentibus Siracides de more in laudes, et præconia timoris Dei excurrit. Quocirca Syrus vertit, beatus vir quem non fregit paupertas, et non fregit eum inopia (hic enim est sapiens et sciens, id est prudens): timor Dei super hæc omnia exaltatus est. Unde Rabanus: « Novem, inquit, speciebus virtutum superadditur timor Dei, quoniam sicut novenarius numerus imperfectus est, quousque denario suppleatur: ita omnis operatio virtutum mediocris est sine timoris Dei perfectione. Timor enim Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi, ipse est fidei fundamentum, ipse charitatis origo, per ipsum operamur bonum, per ipsum pervenitur ad præmium. » Timor Dei ergo est quasi aquila, cæteris donis quasi avibus altius volitans, ac vicinissime ad Deum accedens.

14. TIMOR DEI SUPER OMNIA SE SUPERPOUIT. — Ita Vers. 14. Romana, Latina et Græca: minus recte nonnulli delent *et se*; quod secutus Dionysius, Carthusianus sic exponit, q. d. Timor Dei super omnia superposuit hominem timentem Deum. Verum melius addas *et se*: comparat enim timorem Dei cum novem rebus, quæ hominem magnum et felicem efficiunt, asseritque eum hæc omnia transcendere. Unde S. Hieronymus in cap. I *Isaiæ* legit, « timor Dei omnia superat. » Porro, « timor Dei » intelligitur non servilis, sed filialis, qui includit Dei amorem et cultum. Unde Complutenses pro timor Dei legunt *ἀγάπη* ἢ *ἡρώτου*, id est, dilectio autem Domini super omnia supergressa est in claritatem, q. d. Dilectio Dei cæteris donis omnibus clarior et gloriosior est. Tigurina,

religio Domini claritate superat omnia; Syrus, timor Dei super omnia exaltatus est. Hinc et mox sequitur: « Timor Dei inquit dilectionis. »

Moraliter, « timor Dei » superponit se sapientiæ, scientiæ reliquisque novem beatitudinibus jam recensitis, adeoque omnibus virtutibus et donis Dei: quia illis insistens illa ipsa, quasi pondus quoddam grave deorsum cuncta premit, ne scilicet efferantur, intumescant et superbiant. Nihil enim est quod arrogantiam magis premat,

quam timor. Unde Clemens Alexandrinus lib. II Stromatum, pro eo quod Prov. III, 7, legimus *ἡ φόβος τοῦ θεοῦ*, id est *time Deum*, legit *ὑπερόψω*, id est *super time*, q. d. Super te timorem excipe, inquit noster Salazar ibidem: primo, tanquam equus sessorem. Unde S. Chrysostomus, hom. 5, De Verbis Isaïæ: « Talis, ait, est anima in superbiam elata: semel enim desperata salute, nequaquam desinit furere: verum habenas laxans, irrationabilibus cupiditatibus quovis rapitur, nec aliter quam equus ferociens, qui ubi frenum ore, sessorem tergo excussit, fertur quovis vento velocior, omnibus aliis intolerabilis, fugientibus cunctis, neque quoquam audente eum cohibere. Sic anima quæ Dei timorem ipsam refrenantem excussit, ad quævis malitiæ loca decurrit, donec ad exitiū barathrum delata, præcipitat suam ipsius salutem. » Quid illustrius? Secundo, tanquam navis nauclerum, qui puppi assidens eam gubernat, et in portum regit. Idem Chrysostomus, homil. De Fide Annæ, expendens feminae, vel potius heroinæ illius robur animique magnitudinem, quæ tanto tempore æmulæ proba conviciaque sustinuit, sic addit: « Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculis assidens persuasit eam tempestatem æquo animo esse ferendam, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum onere plenam, hoc est uterum pretioso thesauro onustum. » Tertio, sicut turris præalta excubitozem, vigilem atque custodem, qui prævidens mala antequam eveniant, omnes animi vires excitat ad repugnandum. Ita S. Augustinus, serm. 18 De Verbis Apostoli, timorem Dei animi excubiam, custodem et speculatorem appellat. Et quidem quemadmodum speculator eminens igne vel fumo significat hostes adesse, atque bellandi tempus instare: sic timor Dei, ignes seu ardores sempiternos, et caliginosos Averni fumos objiciens menti, animi vires omnes ad prælium comparat. Ergo *super time Deum*, perinde est atque timorem Dei super te excipe, nimirum tanquam equus sessorem, tanquam navis nauclerum, tanquam specula excubitozem. « Et recede a malo, » id est, timor hic te ab omni malo recedere faciet, nimirum, sicut sessor equum a præcipitio avertens, sicut nauclerus navim a syrtibus vel scopulo in diversum agens, sicut speculator urbem ab omni hostili eruptione defendens.

Id ipsum gentiles representarunt per Chironem

hippocentaurum, quem, teste Hyginio cæterisque mythologis, optimum filii, adeoque Achillis, pædagogum esse censuerunt. Hic autem pædagogus est timor Dei: Chironem enim pinxerunt terrificum et manu arcum tenentem, quia pueri timore, metu et minis a malo coercendi sunt. Rursum, Chironem dixere sibi commissos nutrire medullis leonum æque ac cervorum. Denique, Chironem dixere medicum, adeoque inventorem herbaricæ et medicinæ: item astrologum, musicum, immortalem, translatum in cælum, in zodiaco collocatum, dictumque Sagittarium. Ita Plinius, lib. XVII, cap. XVI; Hyginus, lib. De Stellis; Natalis Comes, lib. IV Mythologiæ, cap. XII. Porro Chironi dederunt figuram hippocentauri, ut scilicet inferne similis esset equo, superne homini: nam duplex forma equi et hominis, timoris illius qui superinducta charitate quæ biformis est, similitudinem refert: qua equus, timoris ignobilem affectum; qua homo, generosam charitatis formam adumbrat. Rursus timor, quasi pædagogus terrificus, medullis leonum nutrit, id est vim quamdem leonibus similem illis addit: et ut leonum illam ad audendum projectam confidentiam temperet, medullas quoque præbet cervorum, qui pavidi sunt atque pavoris symbolum: ut fortitudo adsit, metus non desit; ut audacia sit leonis, pavor cervi; hic erga Deum, illa vero ad evadenda omnia mala. Hæc noster Salazar, quæ valde hunc Siracidis locum elucidant.

Igitur timor Dei est gemma pretiosissima, quæ ipse est decor et pulchritudo, æque ac culmen sapientiæ, scientiæ ac virtutum omnium. Hæc enim omnibus superponitur, sicut operculum vasi, sicut corona capiti, et sicut caput corpori, quasi omnium complementum, ornamentum, fulcimentum, imo omnium auriga, navarchus, director, rex et princeps, sine quo illas errare, desipere, et in vitia declinare necesse est.

15. BEATUS HOMO, CUI DONATUM EST HABERE TIOREM DEI. — Tigurina, *beatus homo, cui contigit religio Domini*. Causam dat S. Ambrosius vel potius S. Prosper, lib. II De Vocatione gentium, cap. X, scilicet quod ad conversionem, salutem et felicitatem requirantur duo, nimirum gratia quasi domina subjugans sibi voluntatem, et voluntas quasi famula gratiæ obsequens; gratiam autem incipere a timore. « Gratiam quidem Dei, inquit, in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidii, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium: de sua habens mutabilitate, si deficit; de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros

Timor, Dei primo est quasi auriga anime.

Secundo, quasi nauclerum.

Tertio, quasi speculator.

Vers. 15. Beatus timens Deum, cur?

modos, sive occultos sive manifestos, omnibus adhibetur. Et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia; quod autem a multis suscipitur, et gratia est divinae et voluntatis humanae. Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri, vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his bonus consensus alienus est. » Deinde gratiam hunc consensum operari incutiendo timorem, ita docet: « Hunc autem consensum non solum cohortatio praedicantium, et incitamenta doctrinae, sed et metus gignit, propter quod scriptum est: Principium sapientiae timor Domini. Qui quantilibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam ut quem fecerit timentem faciat et volentem, nec solum volentem, sed etiam sapientem. Unde et illud scriptum est: Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Quid enim tam beatificum, quam hic timor, qui genitor eruditorque sapientiae est? In cuius utique devotione devota est et voluntas, quae auctore gratiae eodem proficit timore quo cepit. Cum ergo hic timor etiam per quamdam vim magni terroris immititur, non ibi ratio exstinguitur, nec intellectus aufertur, sed illa potius, quae mentem premebat, caligo discutitur, ut voluntas depravata prius atque captiva, recta efficiatur et libera. »

QUI TENET ILLUM (timorem Dei), CUI ASSIMILATUR? — *q. d.* Timens Deum non tam homo terrestris, quam angelus quidam caelestis, et e caelo in terram lapsus videtur. Tigurina, qui praeditus est illa (religione, id est reverentia, timore et cultu Domini), cuiquam comparari poterit?

Vers. 16. 16. TIMOR DEI INITIUM DILECTIONIS EJUS: FIDEI AUTEM INITIUM AGGLUTINANDUM EST EI. — Ita Romana. Aliqui legunt, *agglutinatum est ei*. Graeca Romana hunc versum delent; eum tamen legunt Complutensia, et Tigurina quae sic vertit, *religio Domini amoris ipsius est initium; fides autem origo conjunctionis cum ipso; alii, timor Domini initium dilectionis ejus; fides autem principium adhaesionis ejus; Syrus, initium timoris Domini diligere eum; et initium fidei ire post eum. Apprehende eum, fili mi, et ne dimittas eum, quia non est sicut ipse.* Sensus est, *q. d.* A timore et cum timore Dei incipit dilectio Dei, augetur etiam et perficitur: quantum enim crescit timor filialis Dei, tantum crescit et Dei amor; adeoque perfectus timor Dei, perfectus est amor Dei. Eodem sensu dixit cap. 1, vers. 16: « Initium sapientiae timor Domini. » Sapientiam enim practicam intelligit, quae includit amorem Dei. Vide ibi dicta.

Quaerit Palacius quomodo timor causet amorem, cum amor causet timorem: amor enim est affectuum omnium primus? Ac respondet timorem causare amorem, ac vicissim ab eo causari et produci. « Sicut vapor, inquit, est causa pluviae, et vicissim pluvia est causa vaporis: ita amor Dei causat timorem eum offendendi, ac vicissim timor et reverentia Dei causat ejusdem amorem. » Timor enim hic filialis intelligitur, qui

Timor
causat
amorem,
et amor
timorem.

parit amorem et vicissim ab eo paritur: hi enim duo affectus conjuncti sunt, quem enim amamus, eundem offendere timemus et reveremur, ac vice versa. Unde Cajetanus in II II, *Quaest. XXII, art. 2*, asserit timorem filialem in se complecti amorem et reverentiam. Ipse ergo est « initium, » Hebr. ראשית *rescit*, id est summa comprehendens amorem. Vide dicta cap. 1, vers. 16 et seq.

Secundo, Jansenius hunc locum explicat de dilectione non nostra, sed Dei, qua scilicet Deus timentes se diligit, *q. d.* Deus incipit eos quasi amicos suos diligere, quos videt se metuere, sibi que fidere, juxta illud: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, *Joan. XIV.* »

Porro, quod sequitur: « Fidei autem initium agglutinandum est ei, » sic intellige, fides, quasi initium, jungenda est timori, ut ipsi queat esse initium dilectionis, *q. d.* Primum donorum et bonorum omnium initium est fides: ex hac enim concipitur timor, qui est causa dilectionis: quia sine lumine fidei Deus cognosci, ac consequenter timeri et amari nequit uti debet. Unde Graeca habent, *fides autem initium est agglutinationis ejus*, uti scilicet per timorem et amorem adhaeremus et arctissime agglutinemur Deo: « qui enim adhæret Domino, unus cum eo spiritus est, » *I Corinth. VI, 17.*

Huc facit illud Apostoli, *Hebr. XI, 1*: « Fides est substantia rerum sperandarum (et timendarum), argumentum non apparentium, » *q. d.* Fides efficit, ut res absentes, quas speramus et timemus, menti quasi praesentes sistantur, eamque moveant ad sui timorem et amorem. Vide ibi dicta. Atque hac de causa Siracides hic mentionem injicit fidei, quia viva fides vivum elicit acuitque timorem et amorem Dei. Vis ergo timere et amare Deum in dies magis et magis, vivacius in dies considera per fidem, quanta sit Dei majestas, ira, misericordia, vindicta; quanta poenae, quas impiis inferet; quanta gloria, quam timentibus et amantibus se preparavit; quam longa sit utrarumque aeternitas: atque ingentes tibi stimulos ad Deum timendum et amandum addis senties. Ex adverso, quod multi non satis timeant, nec ament Deum, causa est fides languida, ac quasi sopita et mortua; quod non satis vivide apprehendant Dei justitiam et misericordiam, gehennam, paradysum, etc. Hisce orandum assidue cum Apostolis: « Domine, adauge nobis fidem, » *Lucæ XVII, 5*. Praeclare S. Chrysostomus, homilia 72 *Ad Populum*: « Illum, ait, insopitum (Dei) oculum nihil, quod a nobis geratur, est quod lateat. Et hoc cogitantes oportet tantam nostram dispensare diligentia, quasi paulo post verborum et actionum, ipsarum quoque cogitationum rationem reddituros. » Unde infert: « Virtus est humana omnia despiciere, et per omnes horas futura cogitare, nulli inhærere praesentium;

sed scire, quod omnia humana umbra sunt et somnium : virtus, quasi mortuum ad hujus vitæ res efficit; ad spiritalia vero sola, vivere et ope-

rari. Sicut et Paulus dicebat : Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. »

TERTIA PARS CAPITIS.

DE MALITIA MULIERUM IMPROBARUM.

Occasione tertie beatitudinis jam recensitæ vers. 11, qua dixit : « Beatus qui habitat cum muliere sensata, » ut eam illustret et demonstret a contrario, transit ad malitiam mulieris insensatæ, indeque colligendum relinquit, quam infelix sit maritus malæ et insensatæ, felix vero bonæ et sensatæ : quanquam non sit hic curiose querenda sententiarum et materiarum connexio : transit enim Siracides ab una ad aliam pro libito, more veterum ethicorum et gnomologorum, uti dixi in præmio.

Vers. 17. 17. OMNIS PLAGA, TRISTITIA CORDIS EST : ET OMNIS MALITIA, NEQUITIA MULIERIS.—Hic versus jam deest in Græco; sed olim in eo exstitisse liquet ex sequentibus, atque ex Nostro, æque ac Syro, qui sic vertit, *omnis plaga non est sicut plaga cordis, et omnes malitiæ non sunt sicut malitia mulieris.* Tò et idem est quod sic : est enim nota comparationis, et combinat duo similia. Idem crebro facit in *Proverbiis*. « Omnis, » id est summa, maxima, acerbissima. Est enallage et catachresis : ponitur enim totum universale pro toto quanto, sive perfecto et superlativo : hic enim gradus, cum sit summus, reliquos comparationis gradus in se vel formaliter vel virtute continet. Sic summus dolor continet cæteros dolores minores, et summa malitia continet cæteras malitias minores. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut summa plaga, summum vulnus, summus dolor est tristitia cordis : sic pariter summa malitia est nequitia mulieris. Vel, sicut omnem plagam feras facilius, quam tristitiam cordis : sic et omne malum potius feras, quam malitiam mulieris. Tristitia cordis est plaga et miseria universalis, claudens in se et superans omnem tristitiam : ita et malitia mulieris omnem et claudit et superat malitiam. Si enim semel se mulier et nequitia tradidit et prostravit, nullam non malitiam admittit; ut, verbi gratia, si adultera est, ab ea expectato veneficia, furta, homicidia. Sic dicitur, *Proverb. iv, 23* : « Omni custodia serva cor tuum : » « omni, » id est præcipua, exacta, summa; nam alioqui etiam oculis et sensibus sua adhibenda est custodia. Et *1 Esdræ v, 7* : « Dario regi pax omnis, » id est plena et plurima.

Hunc esse sensum patet ex sequentibus. Recte comparat malitiam mulieris cum tristitia, tum quia utraque summa est, tum quia malitia mulieris summam viro affert tristitiam et dolorem. Unde Tigurina clare vertit, *summa plaga est mæror*

animi : summaque malitia, malitia mulieris. Ratio prioris est : *prima*, quod mæror immediate totus sit in animo, qui maxime est sensitivus : cæteri enim dolores, ut verbera, vulnera, adustiones, etc., sunt in corpore; et per corpus, quod in se vim sentiendi non habet, quasi refracti, retusi et imminuti, transeunt ad animum, ubi est sedes doloris et sensus. Quare animi cruciatus, qualis est tristitia et mæror, longe acerbior est omni cruciatu corporis, ut patet in damnatis et dæmonibus : horum enim pœna est acerbissima; illa autem est tristitia animi : cum enim corpore careant, corporeos dolores sentire nequeunt. *Secunda*, quod nobilissima pars hominis et animæ sit voluntas : hæc enim quasi regina cæteris potentius, membris, sensibus præest et imperat. Tristitia autem voluntatem immediate affligit, exedit, cruciat, sibi que subjugat, ac per voluntatem cæteras omnes hominis vires, utpote voluntati subjectas, affligit, sibi que subjugat. Quare in corpus ipsum suam vim exerit, illudque cruciat, exedit et consumit, juxta illud : « Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa, » *Proverb. xvii, 22.*

Posterioris ratio est, quod mulier minus habeat rationis et judicii quam vir, qui ratione quasi freno a scelere inhibetur; unde subinde tota agitur passione et concupiscentia, puta libidine, superbia, ira, impudentia, fraude, ut videatur esse furia infernalis. Loquor de muliere, quæ vel natura, vel suo arbitrio et nequitia corrupta est et perversa : nam quæ natura vel exercitio pia est et sancta, sæpe viros superat, tum ob teneriores affectus quos habet mulier quam vir, tum ob pronitatem in devotionem et pietatem; tum quod infirma mundi eligat Deus, ut confundat fortia. Qua de causa S. Agnes, S. Cæcilia, S. Catharina, cæteraque virgines viros superarunt, tum castitate, tum fortitudine, tum charitate, tum martyrio.

Moraliter discite hic, quantum malum sit mala mulier, quamque viris cavenda. Tertullianus, lib. *De Habitu muliebri*, post principium, de muliere loquens : « Tu es, ait, diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis desertrix, tu es quæ ei persuasisti, quem diabolus aggredi non valuit. » Origenes in ea homilia quam in evangelium Chananææ conscripsit : « Mulier, inquit, caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, delicti mater, corruptio legis. » Idem, in tractatu 2 suorum *Commentariorum in Job*, dum

Summa
plaga est
tristitia.
Cur?

Summa
malitia
mulieris
Cur?

Moraliter
de mali-
tia mu-
lieris.

enarrat illud : « Plurimo autem tempore interposito, dixit ad eum uxor ejus, » etc. ; et initio tertii tractatus venuste multa mulierum vitia describit, sicut etiam facit S. Cyprianus in lib. *De Singularitate Clericorum*. S. quoque Chrysostomus in *Matth.* cap. XIX, homil. 32, in enarratione illius loci : *Non expedit nubere* : « Quid, ait, aliud est mulier quam amicitiae inimica, ineffugabilis poena, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum (aut, ut alii legunt, *de-testabile*), mali natura boni colore depicta? » Secundus item philosophus, interrogatus quid esset mulier, respondit : « Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitae captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, conviva fera, sollicitudo confidens, laena complectens, exornata scylla, animal malitiosum, necessarium malum. »

Omitto, quasi falsum et erroneum, ideoque hoc loco indignum, Severianos Archonticosque haereticos adeo mulieres exhorruisse, ut eas opus Satanæ esse dicerent, uti testatur S. Epiphanius, lib. I *Hæresium*, tomo III, sectione 45 in eorum hæresi. Vide S. Chrysostomum, hom. in *Decolatione S. Joannis Baptistæ*, ubi, occasione Herodiadis, mire feminas exagitat. Quocirca idem recte docet tribus modis uxorem male moratam castigandam esse : primum, docendo secundum Deum ; si autem timorem Dei non sentit, improperando, vel ut homines erubescat ; si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat quod præcipit Salomon, duram baculo percute. Ergo primum admone, quia multum proficit doctrina justitiæ ; deinde confunde, quia frequenter pudor frenum est vitiorum ; tertio, justum est ut castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit ut libera.

Tiraquellus vero leg. 9 *Connub.* censet malas mulieres potius castigandas esse a maritis, exemplo vitutis prudentiæ : sæpe enim « peccata mulierum virorum imperitia contrahuntur, » ait Sextus Pythagoricus, ac lenitate, cui misceatur severitas : sicut leones, quos cicurare volunt homines, nec verberibus sunt cædendi : nam verberibus recrudescunt ; nec rursus blanditiis nimium leniendi, ne nimis superbi evadant, teste Philostrato lib. VII, sed blanditiæ minis permixtæ illas facilius ad optatos mores perducunt. Unde Antonius Monachus in *Melissa*, lib. II, cap. xxxiv, ex S. Chrysostomo ait : « Ferrum coquere facilius est, quam mulierem castigare. »

Mystice. Mystice, mulier bona est fides, mulier nequam est hæresis et infidelitas. Rursum, mulier bona est charitas, mulier nequam est concupiscentia, ac præsertim propria voluntas : hac enim nulla mulier est nequior ; hæc enim est causa omnis peccati, ut ait S. Jacobus cap. I, 14, ideoque illa nihil est nequius. Unde sicut mulier nequam est superba, garrula, impudens, ebriosa, rixosa, lasciva, desidiola, etc. ; sic prorsus est et concu-

piscentia. Ita Rabanus : « Sicut major, ait, gratia alia non est, quam charitas vera in lætitia bonæ mentis : ita major plaga non est quam tristitia dolosi cordis in idololatria, seu errore hæreticæ pravitatis. In ejus enim nequitia omnis est malitia. » Quare quæcumque de muliere mala dicta sunt, et dicenda sunt usque ad finem capitis ; hæc omnia, mutato tantum nomine, attribue hæresi, concupiscentiæ, ac præsertim propriæ voluntati, de qua mystice Esdras lib. I, cap. X, 2 : « Si est poenitentia, ait, in Israel super hoc, percutiamus foedus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, et eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini. » Dominus enim sanxit ne faciamus voluntates nostras in die sancto Domini, id est, in tempore nobis ad sancte in hoc mundo vivendum concesso. Unusquisque igitur suam uxorem, id est propriam voluntatem, abjiciat, quam adversus legem faciens in conjugium admisit ; et filios ex ea susceptos, id est vana et inutilia desideria relinquat, non ut solus aut sterilis maneat, sed ut divinæ copuletur voluntati, ex qua filios amabilissimos, nempe vitæ æternæ merita suscipiat. Ita noster Alvarez, lib. II *De Mortificatione hominis interioris*, part. 3, cap. VII.

18. ET OMNEM PLAGAM, ET NON PLAGAM VIDEBIT ^{Vers. 18.} CORDIS : 19. ET OMNEM NEQUITIAM, ET NON NEQUITIAM ^{19, 20 et} MULIERIS : 20. ET OMNEM OBDUCTUM, ET NON OBLUCTUM ^{21.} ODIENTIUM : 21. ET OMNEM VINDICTAM, ET NON VINDICTAM INIMICORUM. — Comparat malitiam mulieris cum qualibet plaga. « Videbit, » id est, sentiet, tolerabit, patietur. Est catachresis : visus enim, quia nobilissimus, hinc pro quolibet sensu sumitur ; *videre* ergo idem est quod sentire et tolerare. Pro *obductum* Græce est *επιμαρτυριον*, id est obductio, afflictio, calamitas, qua homo totus quasi obducitur, id est obvelatur, obtenebratur, obvolvitur, uti dixi cap. II, 2. Sensus ergo est, *q. d.* Quamvis plagam videbit et tolerabit homo ; at plagam cordis, puta tristitiam, non videbit, id est minime tolerabit : ita pariter quamvis nequitiam, at non nequitiam mulierum ; et quamvis afflictionem, at non afflictionem odientium ; et quamvis vindictam, at non vindictam inimicorum. Nam reliquæ plagæ exteriores sunt, et cum ad cor non penetrent, ferri possunt ; at nequitia uxoris, æque ac tristitia, et afflictio odientium, et vindicta inimicorum, interius malum est, et ad cor penetrat, ideoque videtur quasi exorbitans et intolerabilis. Quis ferat Claudii Imperatoris uxorem Messallinam ? Certe Cæsar suam Pompeiam minime tulit, ait Palacius. Unde clare vertit Tigurina, *cedo quamvis plagam, modo non plagam animi : et quamvis malitiam, modo ne malitiam mulieris : cedo quemvis impetum, modo ne impetum odio flagrantium : et ultionem undecumque, modo ne ab inimicis ; et Syrus, omnis plaga non est sicut plaga cordis, et omnes malitiæ non sunt sicut malitia mulieris, et omnes tribulationes non sunt sicut tribulatio odientis, et omnes vindictæ non sunt*

sicut vindicta inimici. Quia cum odientes et inimici sine miseratione affligant et vindicent, inquit Jansenius, nec modum aliquem ponant illati mali aut ultionis, intolerabilis est calamitas et ultio, quæ ab illis irrogatur, et omnibus modis deprecanda. Inter calamitatem autem vel obductionem odientium, et vindictam inimicorum hoc interest, quod illa infertur præter meritum, hæc supra meritum. Nam qui oderunt aliquem, etiam non læsi, nocere illi laborant: et qui inimici sunt, parum læsi, gravius quam oportet sese ulcisci student. Hæc ergo sententia continet malorum quarundam rerum et incommodarum comparationem, ostenditque quid in quoque malorum genere sit extremum et maxime detestandum. Præcipue autem hæc omnia videntur dicta esse ad mulierum malitiam exaggerandam, ac significari illam cordis adferre tristitiam, ipsumque cor vulnerare dolore gravissimo, eandem quoque et obductionem odientium et vindicta hostium esse graviorem, aut cum eis comparandam, tanquam similiter intolerabilem.

22 et 23. NON EST CAPUT NEQUICIS SUPER CAPUT COLUBRI, ET NON EST IRA SUPER IRAM MULIERIS.—

Quia sicut coluber sive serpens (hunc enim significat Græcum ὄφεις) venenum gerit in capite, quod in hominem astute et virulenter evomens vel expirans, eum lædit et interimit: sic mulier nequam capite gestat iram venenatam, quam data occasione in eum, cui irascitur, evomit, nec cessat donec eum lædat et interimat, idque astute per mille artes et fraudes. Græca pro mulieris habent ἐχθρὰς, id est inimici, quasi prosequatur id quod paulo ante dixit: «Omnem vindictam, et non vindictam inimicorum.» Unde Tigurina, ut nullum caput est capite serpentis nocentius, ita non est ira ira inimici pestilentior. Verum de nequitia mulieris hic agitur, non inimici; unde de ea et Syrus sic vertit, non est caput venosius capite serpentis, et non est inimicitia amarior ea que mulieris est. Sic S. Chrysostomus loco mox citando. Palacius per colubrum intelligit serpentem qui Evam, et per eam Adamum decepit, eosque a paradiso ejecit; aut certe caput basilisci, qui videndo occidit. Hugo vero: «Coluber, inquit, est diabolus, quasi colens umbras, » id est peccatores. Job cap. xl: «Sub umbra dormit.» Caput colubri est prava suggestio dæmonis, Genes. iii: «Ponam inimicitias inter te et mulierem; ipsa conteret caput tuum.» Mulier hic est sensualitas sive caro; ira mulieris, concupiscentia carnis. Nequam est suggestio dæmonis; sed nequior est concupiscentia carnis, quia corpus et animam polluit, I Corinth. vi: «Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.»

Rursum per iram accipe iram non subitam, sed continuam mulieris, quæ se malitiæ dedit: talis fuit Athalia, Jezabel, Herodias. Nam Læx et sequentia, ut recte advertit Jansenius, non ob id

a Siracide dicuntur, quod propositum ei sit sexum femineum exagitare, in eumque invectivam texere cum sexus ille a Deo institutus sit, ideoque bonus et laudandus, uti ostendit S. Hieronymus lib. I Contra Jovin. Sed perversarum mulierum pravam indolem, vitiaque acri oratione perstringere voluit, ut juvenes instrueret moneretque, primo, cum quanta discretione et judicio uxor sit diligenda: secundo, quanta prudentia agendum sit cum mulieribus, ne temere irritentur; tertio, cavendum esse ne illarum amori etiam in conjugio quisquam nimis indulgeat, easque perditæ amet, ne ab eis perdat, multo magis extra conjugium. Illustre est illud Simonidis carmen de vituperio mulierum, asserentis mulieres alias formatas ex vulpe, scilicet astutas et dolosas; alias ex cane, scilicet mordaces et rixosas, maritis oblatrantes; alias ex asina, otiosas et desides; alias ex equa, petulcas et lascivas; alias ex simia, philocosmas et fuci amantes; alias et optimas ex ape, industrias, sedulas, operosas, prudentes, hasque a Jove dari maritis ei placentibus.

Porro, apposite mulier mala comparatur colubro, ob magnam utriusque affinitatem in concinnandis dolis, mendaciis, litibus, rixis, cædibus; adeo ut mulier nequam videatur esse serpentina, imo serpens: unde Plinius lib. VII, cap. iii, scribit mulieres aliquando serpentes peperisse. Huc facit quod S. Epiphanius, lib. III Contra hæres., sub finem, in brevi Catholicæ fidei expositione, num. 10, docet Evam significare feminam, Hevam vero cum aspiratione significare serpentem. «Sunt, inquit, Dionysiaci, qui Curetum sacris et carniæ divisioni initiare solent, coronati serpentibus, evantes, et eva eva vociferantes; hoc est, Evam illam quam serpens decepit, invocantes, sive aspirata voce serpentem Hebraica lingua ad fraudem et errorem vocantes. Nam Eva, si tenui spiritu pronuntietur, feminam significat: sin aspiretur, Hebræi hoc vocabulo Heva serpentem intelligunt.» Hoc intellige ex appropriatione et usu loquendi Hebræorum posteriorum, qui forte Hevam vocarunt serpentem, eo quod Heva a serpente seducta, ejusque halitu quasi afflata serpentinos mores (quos in multis Evis, id est feminis, hodie videmus) induerit. Hinc et Syri חֵבִיָּה chevia vocant serpentem, forte a radice חָבַח chavv, id est ostendit, judicavit, eo quod serpens pomum vetitum ostenderit Evæ, Eva Adamo. Alioqui Heva, vel, ut Hebræi dicunt, Chaffa, ex primigenio etymo Hebræo idem est quod mater viventium, sive vivipara, uti ostendi Genes. iii, 20. Idem tradit Eusebius lib. II De Præpar. Evangel. cap. v: «Quid dicam, inquit, de Dionysio, quem Menolem græce, id est latine totum furentem, appellant, cui Bacchæ orgia celebrant, et crudas carnes comedentes sacro furore intantur, Evan, Evan conclamantes? Quæ vox aspirata secundum exquisitam Hebræorum linguam femineæ sexus serpentem (puta serpentem feminam) sig-

Coluber quasi colens umbras est diabolus.

nificat. » Ex Eusebio ergo id ipsum accepit et transcriptit Epiphanius. Hebræorum linguam intellige posteriorem, puta Syriacam : syriace enim serpens vocatur ܟܝܝܢܐ *chevva*, vel *chevia*, ob rationem paulo ante dictam; aut potius a radice ܟܝܢܐ *chaia*, id est vixit, quod serpens agilis sit et vivax. Unde ܟܝܢܐ *chaia* vocatur animal ferum, quale in primis est serpens. Ita Lexica Syriaca. Porro mulieris uti acerba est ira, sic et invidia serpentina; unde illud: « Mulieris livor omnem incendit domum. » Et illud Homeri *Odys.* XI: « Non gravius et caninius aliud muliere; » canis enim est symbolum et speculum iræ ac invidiæ.

Heva
Syriace
vocatur
serpens.

S. Chrysostomus
de malitia
mulierum.

Audi S. Chrysostomum, homil. 15 *ex Variis in Matth. locis*, quæ est decollatione S. Joannis Baptistæ, et ex eo Damascenum, *Parall.* I, cap. LXXVI, hunc locum insigniter pertractantem: « Nulla, inquit, malitia æmulari potest mulierem malam. Attestatur huic verbo meo sapientissimus Salomon » (hic enim liber Siracidis a veteribus vocatur Salomonis, ob causas quas in procemio recensui): « Quia non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris. O malum summum et acutissimum diaboli telum mulier: Per mulierem Adam in paradiso prostravit, et de paradiso exterminavit. Per mulierem mitissimum illum David, ut necem militis sui innocentis Uriæ Hethæi in epistola dolo mandaret, armavit. Per mulierem sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit. Per mulierem fortissimum Samson rasum cæcavit: ut virtute crinili et decoris oculis spoliatus, ludibrio foret hostibus, quibus fuerat ante terrori: cum his captivis molit, quibus dominabatur invictus. Per mulierem castissimum Joseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem illum totius mundi lucernam Joannem capite truncavit. Et quid dicam de hominibus? Per mulierem angelos e cælo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cælum pergebant: per mulierem cuncta omnino prosternit et jugulat, omnes interficit, omnes elidit, repletos ignominia et honore vacuos. Mulier enim impudens nemini parcit, non Levitam honorat, non sacerdotem reveretur, non Prophetæ defert. » Quocirca mali magnitudinem admirans exclamat: « O malum omni malo pejus! mulier mala, sive illa pauper sit, sive dives, duplex malum est. Si habeat facultates malitiæ suæ cooperantes, duplex malum, intolerabilis vipera, immedicabile venenum: scio ego et aspides blandimentis incantantium inligari, et leones, et tigres, et pardos domita feritate mansuescere. Mulier mala, etsi injuriam patitur, etsi honorem accipiat, extollitur: hæc si potentis alicujus uxor sit, non cessat die ac nocte virum suum callidis stimulare sermonibus, blanda nequiter, et importuna violenter, donec mentem extrudat, ut similem sibi faciat maritum; improbis male suadet consiliis, sicut Herodias fecit Herodi. » Et in-

ferius citans Dalilam, quæ Samsonem maritum suum prodidit, et Philisthæis interimendum tradidit: « Dic, inquit, mihi quæ bestia contra masculum suum talia aliquando meditata est? Quæ dracæna vult masculum perdere? vel quæ læena marem suum jugulandum tradidit? Vides ergo quia apte dixit Sapientia: Quoniam non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris. Et ideo quiquis habet mulierem malam, cognoscat quoniam iniquitatum suarum portat mercedem: non caret testimonio veritatis. Audi denuo Sapientiam dicentem: Mulieris malæ et iniquæ portio dabitur pro operibus malis. »

23. COMMORARI LEONI ET DRACONI PLACEBIT (sup-
ple, magis, vel potius mihi: hoc enim est ܟܝܝܢܐ ,
id est approbo, velim, malim), QUAM HABITARE
CUM MULIERE NEQUAM. — Tigurina, *apud leonem et
draconem commorari præoptarim, potius quam habi-
tare cum muliere improba; Syrus, præstat habitare
apud leonem et apud draconem, quam habitare cum
muliere mala in domo; tum quia leo et draco arte
cicurantur, ac humilitate et beneficiis deleniuntur,
uti patet de leone Androclis, qui, ob exemptam
ab eo e pede suo spinam, eum a morte liberavit,
teste Gellio lib. V, cap. XIV. Item vincuntur
innocentia et sanctitate; uti patet in S. Saba, cui
leo ultro speluncam suam concessit, eaque ceden-
dens excessit; et de leone S. Hieronymi, aut potius
Gerasimi, qui ei quasi asinus serviebat, ac morienti
ex dolore commortuus est, uti refert Joannes Moschus
in *Prato Spirit.* cap. CVII. Mulieris autem nequam
nequitia est incurabilis, adeoque si te coram ea
humilies, magis insolescet, et, si benevolus
beneficusque in eam sis, magis exasperatur: tum
quia leones et dracones caveis aut septis includi
possunt, ut nocere nequeant; mulier autem nequam
includi se non patitur: tum quia satius est subito
a leone vel dracone occidi, quam lenta longaque
morte per nequitiam perversæ uxoris cruciari et
confici. Alludit ad *Proverb.* cap. XXI, 19: « Melius
est habitare in terra deserta, quam cum muliere
rixosa et iracunda. » Audi S. Chrysostomum, homil. 15
ex Variis in Matth. locis, et ex eo Damascenum,
Parall. I, cap. LXXVI: « Nulla, ait, in hoc mundo
bestia similis est mulieri malæ; quid inter quadrupedia
animalia leone sævius? sed nihil ad hanc; aut in
serpentibus quid dracone atrocius? sed ne hoc
quidem juxta mulierem malam et linguosam
conferri potest; nam et leo et draco in malo
inferiores sunt. Testificatur huic sermone meo
sapientissimus Salomon dicens: Cohabitare leoni
et draconi melius est, quam cum muliere mala
et linguosa. Et ne putes Prophetam in ironia hoc
dixisse, ex ipsis rebus discite manifestius. Danielem
leones in lacu reveriti sunt; justum vero illum
Nabuthem Jezabel interfecit. Cetus Jonam in ventre
custodivit: Dalila autem Samson circumventum
illecebris, raso etiam capite defor-*

EccL.
XXV.

Ibid.

Vers. 23.

matum, alienigenis tradidit. Dracones et aspides cornutæ Joannem Baptistam in deserto viventem subdita feritate tremuerunt: Herodias vero eidem caput abscidit, et tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. Eliam corvi in morte paverunt, et Jezabel eum post illam redditæ per ipsum terris pluviae gratiam persequabatur, ut pœnam mortis ei redderet, cujus orationibus depulsa generis humani fame et ipsa, licet indigna, vivebat. » Unde post multa concludit: « Mulier jumentum malum, vermis repens, atque in Momo domicilium habens, mendacii filia, Paradisi custodia, Adami expultrix, hostis perniciosa, pacis inimica. » Hæc omnia hoc versu et præced. ex S. Chrysostomo recitata pene ad verbum habet S. Ephrem, tract. *Adversus improbas mulieres*, tomo I. Ex hoc loco suum distichum sumpsit S. Gregorius Nazianzenus in *Sententiis*:

Mala res et dracones, malefica res et aspides:
Duplex malitia mulieris inter feras.

Et idem clarius in *Distichis*: « Horrendi sunt dracones, subdole aspides, utriusque feræ vim mulier complexa est; » et Græci suum illud: « Venenum naturaliter est aspidis mala mulier, feris omnibus immitior mulier mala. » Unde Diogenes conspicuatus duas feminas clam inter se conferentes sermonem: « Sumit, inquit, venenum a vipera aspis mutuo, » uti refert Antonius Monachus in *Melissa*, lib. II, cap. xxxiv. Denique Hugo omnes mulieris noxas hoc disticho complectitur:

Femina corpus, opes, animam, vim, lumina, vocem,
Polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Idem mystice: Leo, inquit, est princeps crudelis, qui palam nocet; draco est hæreficus, qui occulte grassatur: utroque nocentior est, nequitia mulieris. In *Pirke Avoth*, id est, in *Capitulis sive Proverbiis Patrum Hebræorum*, cap. I, dicitur: « Sapientes pronuntiarunt hominem, quoties diutius cum muliere sermocinatur, primo, nocere sibi metipsi; secundo, a verbo legis discedere; tertio, inferni se carceribus ex tunc addicere. »

Vers. 24. 24. NEQUITIA MULIERIS IMMUTAT FACIEM EJUS: ET OBCECAT VULTUM SUUM TANQUAM URSUS: ET QUASI SACCUM OSTENDIT. — Græca Complutensia tantum habent, ὡς ἄρκτος, id est *tanquam ursus*; Romana tantum ὡς σάκκος, id est *quasi saccum*. Noster utrumque legit. Sensus est, q. d. Mala mulier sua malitia et nequitia mutat et obcecat; Græce *αὐροῦ*, id est, obscurat et infuscat vultum suum, alias hilarem et lucidum, ut scilicet instar torvi ursi, ac nigricantis et horridi sacci torva, tetrica, nigricans et horrida marito aliisque appareat, illumque contristet et percellat; ut videatur esse una Erynnys, vel Alecto. Unde Tigurina vertit, *mulieris malitia deformat vultum ipsius, et tanquam ursi faciem ejus infuscat*; ursi enim fusca et torva sunt facie. Alii pro *πρόσωπον*, id est vultum, legentes *ἔρασις*, id est aspectum, vertunt,

nequitia mulieris immutat aspectum ejus, et obscurat vultum ejus, ut saccum ejus, scilicet mulieris: Græce enim est femininum *ἄρκος*; Syrus tamen hæc accipit de marito; unde videtur legisse masculine *ἄρκος*, vertit enim, *malitia mulieris malæ decolorat ipsam faciem mariti sui, et nigram eam faciet, sicut color cilicæ*. Utrumque verum: ira enim et tristitia vultus mulieris maritum pariter efficit iracundum aut melancholicum, ut vultu expallescat, iramque et tristitiam facie pallida, lurida et nigricante præferat.

Nota *ὡς obcecat*: nam, ut ait Plinius lib. VIII, cap. xxxvi: « Oculi ursorum hebetantur crebro; qua maxime causa favos expetunt, ut convulseratum ab apibus os, levet sanguine gravedinem illam. » Causam subdit: « Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum; ideo urgente vi, præcipituri se ex aliqua rupe, manibus eo operato jaciuntur: ac sæpe in arena colapho infracto exanimantur. » Addit Lyranus ursum, si laminam splendentem aspiciat, obceçari. Ita invidia, cujus symbolum est mulier maligna, fulgore prosperitatis viri oculis dolet, hebetatur et excecatur; inde invidia dicitur, *quasi non videns*, pingiturque cæca, quin et alios subinde excecatur, juxta illud vulgo tritum: « Da obolum Belisario, quem extulit virtus, cæcavit invidia. » Ursæ ergo occæcatio symbolice notat occæcationem invidi et invidiæ.

Aliter Hugo, q. d. Ex nequitia mulier scit immutare faciem suam unguentis, fucis et cultu vano, ut videatur pulchra, cum sit turpissima. Unde Ovidius *De Remed. amoris*:

Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui.

25. IN MEDIO PROXIMORUM EJUS (id est, suorum: Vers. 23) Hebræi enim idem pronomen habent absolutum et reciprocum, quod significat tam *ejus*, quam *suum*) INGEMUIT VIR EJUS, ET AUDIENS SUSPIRAVIT MODICUM, — q. d. Maritus audiens alios queri de uxoris suæ morositate et torva facie, verbisque et gestibus asperis, ingemiscit et suspirat, sed modicum et tacite: quia præ pudore et ignominia, quod tam malam habeat uxorem, multum gemere non audet, nec plene suum cordolium aperire, juxta illud:

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Unde pro *μικρόν*, id est modicum, ut legit Noster, Græca jam legunt, *πικρόν*, id est amare, acerbe. Hinc Tigurina vertit, *sedens inter vicinos suos vir ejus, propter ipsam invitus etiam ingemiscit graviter*; alii, *inter proximos suos discumbit* (Græce *ἀντιπαρα*, quod Complutenses vertunt *decidet*; Romana, *concidet*) *vir ejus, et audiens (hæc) ingemiscit acerbe*; Syrus, *in medio proximorum suorum sedet vir stultus, et contra voluntatem suam ingemiscit*.

26. BREVIS OMNIS MALITIA SUPER MALITIAM MULIERIS, Vers. 25. SORS PECCATORUM CADAT SUPER ILLAM. — « Brevis, »

Ursi ob-
cecat-
t. r.
Ursæ?

Græce *μικρὰ*, id est parva. Sic cap. xi, 3, dixit: « Brevis, id est parva, in volatilibus apibus, super malitiam, » Græce *πρὸς κακίαν*, id est *pro malitia, ad malitiam*. Unde Syrus, *multa est malitia, et non est sicut pravitas malitiæ mulieris*.

SORS PECCATORUM CADAT SUPER ILLAM. — *Primo*, Palacius et Jansenius hoc explicant, *q. d.* Obtingat hæc mala sors, puta mulier mala, homini peccatori, non sancto; peccatores pro sua sorte et punitione sortiantur eam, ipsi soli cogantur perferre malitiam uxoris nequam. Hoc enim conjugium est par, dum improbus cum improba conjugatur. Absit tam misera sors a justis, contingat illa peccatoribus: quia nihil eis pejus in vita contingere potest, quam mulier nequam et rixosa. Ita Carolus V dicebat nihil pejus hosti suo imprecari posse, quam uxorem imperiosam. Huc facit illud S. Chrysostomi apud Antonium in *Melissa*, lib. II, cap. xxxiv: « Qui habet uxorem malam, suorum se peccatorum mercedem accepisse intelligat. » *Secundo*, « sors peccatorum » est pœna et gehenna, *q. d.* Puniatur improba mulier pœna condigna vel hic, vel in gehenna. Unde Tigurina vertit, *sors scelerosorum eam opprimat*; et Syrus, *sors delictorum cadat super eam*.

Tertio et genuine, *q. d.* Mulier nequam sortitur maritum, qui eam pro meritis castiget, affligat, contundat: hæc enim sors inducitur hic quasi pœna improbæ mulieris, ad malitiam ejus castigandam et edomandam, vel potius contundendam. Unde Græce est, *sors peccatoris ἐπιπέσει ἀπὸ τῆς*, id est, *incidat illi*, incumbat in illam, opprimat illam, ut vertit Tigurina. Idem docet Salomon *Proverb.* cap. v, 4, et *Eccle.* vii, 27. Idem a Salomone et Siracide didicerunt Plato et Philosophi. Unde Menander: « Thesaurus, ait, malorum est mulier mala. Ignis, et mare, et femina sunt tria mala. Ubicumque mulieres sunt, ibi mala sunt omnia. » Homerus *Odys.* xi:

Nihil femina gravius, nihil pejus.

Terentius in *Heccyra*:

In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.

Philemon apud Stobæum, *Serm.* 66:

Immortale est malum necessarium, uxor.

Euripides, lib. I *Epigramm. Græcor.*:

Furore multo savit iratum mare,
Pronique fluvii, et ignis acris impetus,
Inopia acerba, acerba alia quam plurima:
Sed nihil ita acerbum et noxium, ut mulier mala.

Antonius Monachus (non ille magnus S. Athanasii cœvus, ut vult Trithemius *De Scriptor. Eccles.*; sed alius eo inferior et posterior: citat enim Chrysostomum, Basilium, Nyssenium, Photium, Nilum et Damascenum) in *Melissa*, lib. II, cap. xxxiii, citat Aristippum, qui mulierem parvam, sed formosam, conspicatus, dixit: *μικρὰ μὲν καλὰ, μὲν δὲ*

καλὰ, id est, *parvum quidem pulchrum, sed magnum malum*. Et cap. xxxiv citat Protagoram, qui, rogatus cur inimico filiam nuptui dedisset, respondit: « Quia nihil ei poteram dare deterius. »

27. **SICUT ASCENSUS ARENOSUS IN PEDIBUS VETERANI,** *Ver. 27*
SIC MULIER LINGUATA HOMINI QUIETO. — Tigurina, *sedato, q. d.* Sicut ascensus in arenæ, utpote fluidæ, instabilis et lapidosæ, inquit Rabanus, cumulum, vel in collem arenosum, molestus est pedibus senis debilibus et infirmis; sic pariter uxor loquax, garrula et dicax, molesta est homini tranquillo, silenti et pacifico: illi enim occlamat, obstrepat, obmurmurat, oggannit; itaque ejus quietem turbat, eumque ad jurgia, lites, rixas et pugnas provocat. Rursum sicut difficillime senex ascendet per cliyum arenosum (quia enim senex est, in arena figere pedes nequit), ita vir quietus difficillime linguacem uxorem ferat: quomodo enim querelas tam multas audiet eorum quos uxoris lingua vulneravit? Syrus vertit, *sicut ascensus arenæ in pedibus senis, ita est mulier cujus lingua longa est adversus virum mansuetum*. De ascensu arenæ dixi cap. xviii, 8. Huic facit illud Menandri:

Tempestas in domibus est viris mulier.

Et illud Ovidii lib. II *De Arte amandi*:

Dos est uxoria, lites.

Et Juvenalis, *Satyr.* 6:

Nulla fere causa est, in qua non femina litem
Moverit, etc.
Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet.

S. Hieronymus lib. I *Contra Jovin.*: « Qui non litigat, ait, cælebs est. » Xystus Pythagoræus in *Enchiridio* citatus a S. Hieronymo: « Nubere, ait, et filios procreare possum; scias utrumque. Si autem, tanquam prælium sciens, tamen pugnare vis, et uxorem duc, et filios procrea. » Denique Salomon: « Tecta perstillantia, inquit, mulier litigiosa, » *Proverb.* xix, 13.

28. **NE RESPICIAS** (legit *περὶ τῆς*, jam legunt *περὶ τῆς* *Ver. 21*
ἐπιπέσει, id est *incidat, impingas*) **IN MULIERIS SPECIE,**
ET NON CONCEPTASCAS MULIEREM IN SPECIE, — id est, ob speciem, pata ob formam et pulchritudinem: « Propter speciem enim mulieris multi perierunt, » ut dixi cap. ix, 9.

Primo, hæc sententia accipi potest de muliere extra conjugium, *q. d.* Noli aspicere mulierem pulchram, ne pulchritudine ejus illicitus, eam concupiscas, et cum ea forniceris: oculi enim sunt in amore duces. Unde Tigurina vertit, *ne offendas in pulchritudinem mulieris, nec mulierem libidinose concupiscas*.

Secundo, accipi potest de muliere, quæ quaeritur ad conjugium, ut in uxorem ducatur, *q. d.* Cum quaeris uxorem, noli primario respicere ad illius pulchritudinem, sed ad mores: quia pulchritudo cito deflorescit; unde tunc erit tibi tæ-

Gnomæ
de mali-
tia mu-
lieris.

dio et tormento : et quia pulchræ solent sua pulchritudine superbire, esseque imperiosæ, ac maritis dominari. Denique pulchræ a multis ambiuntur, ideoque adulterii vel crimen, vel suspicionem incurrunt, juxta illud :

Lis est cum forma magna pudicitia :

itaque maritis zelotypiæ, infamiæ, odiorum, et sæpe mortis sunt occasio : hinc Maximus, *serm.* 39. Solon, inquit, rogatus an expediret uxorem ducere, negavit : « Quia, inquit, si duxeris formosam, habebis *κοινή*, id est communem; sin autem deformem, habebis *πένις*, » id est pœnam. Idem Aristippo tribuit Antonius in *Melissa*, lib. II, cap. XXXIV. Quocirca viri prudentes moderatæ potius formæ, quam eximie et excessivæ, sponsas quærent. Hunc sensum sequitur Syrus, cujus verba mox recitabo.

Tertio, accipi potest de muliere, quæ jam facta est uxor, *q. d.* Si habes uxorem, noli continuo respicere ad ejus pulchritudinem, ut propterea immodice utaris ipsa ad explendam libidinem potius quam prolium causa; hoc enim inordinatum, ideoque peccatum est. Unde Græca Complutensia habent : *μη προσπισης εις κάλλος γυναικίς, και γυναικα μη επποθήσης εις τρυφήν*, quod sic veritas, *ne impingas in pulchritudinem uxoris, et uxorem ne concupisceas ad delicias* : *γυνή* enim et uxorem et mulierem significat.

Pulchritudinis descriptio.

Moraliter, disce hic quam illecebrosa, vana et fallax, ideoque cavenda sit species mulierum. « Quid est pulchritudo ? » respondet Socrates : « Est modici temporis tyrannus ; » Theophrastus : « Est facita deceptio ; » Euripides in *Helena* : « Est res infelix ; » Petrarcha lib. I *De Remediis utriusque fortune* : « Est velum oculis, laqueus pedibus, viscus alis, ut non facile vera discernat, nec virtutem sequatur, nec in altum aerem evolet : est hostis domesticus, raptor quietis, materia laboris, tormentum libidinis ; S. Hieronymus : « Est obli-vio rationis ; » Proclus, lib. *De Anima* : « Animæ, ait, deceptæ, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur et depre-reunt ; » S. Chrysostomus *Ad Theodorum lapsus* : « Est gypsum sepulcro inductum, est phlegma sanguine mixtum, pulchre per pellem pellucens ; » detrahe pellem, vide quam putida caro, quale sterquilinum in ventre, quale phlegma per os et nares distillet. Quocirca senex ille apud Joannem Moschum in *Prato Spirit.* cap. CCXVII, dicebat : « Sal, cum ex aqua fiat, si aquam tangat, in aquam resolvitur ; sic monachus, cum ex muliere sit genitus, si mulieri appropinquet, solvitur, atque in id desinit, ut jam monachus non sit. » Maximus vero *homil.* 39 : « Pythagoras, inquit, in ignem et in mulierem incidere, æquale esse dicebat. » Sicut enim ignis calore, sic mulier sua forma et colore virum adurit, juxta illud : « Crit-que videndo femina. »

Præclarus S. Gregorius Nazianzenus, orat. Ad-

versus mulieres se ornantes : « Pandoram, inquit, aiunt, cum ignis a Prometheo furtim sublatus fuisset, vindicandi hujus sceleris causa, mortali-bus advexisse pro bono videlicet atque utili igne, ignem alium malum ac pestiferum : quoque arden-tius hominum animos inflammaret, omni cum pulchritudinis genere a diis instructum et exorna-tum fuisse. Ita cum suum quisque illecebriæ ac fraudis genus in unum contulisset, tum vero con-feratam et cumulatam imposturam hominibus in-vectam esse ; versutam nempe mulierculam, impudentem, dicendi suavitate præditam, pernicio-sum oblectamentum, facem perpetuo ardentem. Pandoræ filia sunt procaces omnes mulierculæ, perfrectæque frontis. At tu, Christi imago, da ope-ram ut pudicitia prudentiaque clareas. » Et infe-rius : « Ab eo tempore, o filia mea, tibi paterna lege cautum est ne pulchritudini tuæ unquam confidas. Omnem formæ elegantiam mihi breve ver affert, eamque hiemis asperitas protinus ex-stinguit. Aut enim eam præmature morbus frangit ac debilitat, aut ipsa certe senectus delet atque obliterat. Hoc vero magis adhuc ridiculum ; vi-deas enim mulierem in deformitatis suæ conscientia adeo insolentem, ut turpitudine sua gloriatur, Danaenque præ se contemnat. » Pandoram hanc graphice depingit Salomon *Proverb.* VII. Et paulo post, quanta sit formæ et pulchritudini ad illicium vis, declarans : « Quidam olim, inquit, ut Poetæ fingunt, inanis et informis Echus amore captus, per montes ac scopulos oberrat. Alius formam suam deperiens, ad amplexandum pulchritudinis exitiosæ simulacrum in fontem insillit. Alius rursus perdit quodam atque insano fluminis cu-juspian amore flagrabat, nec pedem unquam ab adamata ripa referebat, aquam lambebat, mani-bus hauriebat, spumam arripiebat, nec tamen undis ullis amoris ardor exstingui poterat. Tam cæca et præpostera res est amor ! »

S. Gregorio Nazianzeno de more adstipulatur S. Basilius, lib. *De Virginit.* : « Dux, inquit, prævius et pronubus oculorum jactus, est ejus, cujus manus ministræ sunt, tactus. » Hinc a S. Petro II *epist.* II, 14, oculi vocantur « pleni adulterii et in-cessabilis delicti ; » et a S. Bernardo : « Occasio peccati, indicium commissæ culpæ, causa com-mittendæ. » Quin et Seneca, lib. *De Remediis for-tune* : « Oculi, ait, irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum, » maxime luxuriæ. Virgilius, *Ecloga VIII* :

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Et Propertius :

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Idem, lib. I, *eleg.* I :

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

Qui ergo animæ et castitati consultum vult, oca-

Chomæ.
illecebri
oculo-
rum.

los compescat avertatque a feminis, imo procul ab eis quasi basiliscis, qui visu necant, aufugiat, juxta illud Apostoli: «Fugite fornicationem.»

Vers. 29. 29. MULIERIS IRA, ET IRREVERENTIA, ET CONFUSIO MAGNA. — Varia hic lectio varium dat sensum:

Primo, Rabanus hæc jungit cum «*in specie*,» id est, ex specie et forma, mulieris oritur ira, irreverentia et confusio magna.

Secundo, alii delent secundum et, sicque legunt et intelligunt: «Mulieris ira et irreverentia (est) confusio magna,» id est, magnam marito, sibi que et suis affert ignominiam.

Tertio, alii, delentes primum et, sic explicant: «Mulieris ira (est) irreverentia et confusio magna.»

Quarto, Græca et Latina Romana utrumque et legunt: «Mulieris ira et irreverentia et confusio magna,» ut «*magna* referatur ad tria, quæ præcedunt q. d. Mulieris ira æque ac irreverentia, id est, inverecondia et confusio, id est, ignominia quam marito sibi que et suis affert, non est levis et exigua, sed magna et gravis. Si enim mulier sit iracunda et rixosa, irreverenter loquetur, agetque cum marito, eumque indigne tractabit, et magno pudore afficiet: maritum enim tractabit quasi famulum, cum sit ejus herus et dominus, juxta illud Dei mandatum datum Evæ et mulieribus: «Sub viri potestate eris,» *Genes. cap. iii.* Quocirca Græca Complutensia et Romana hunc versum connectunt cum sequenti, uti mox ostendam. Syrus vero connectit cum præcedenti: sic enim habet, *ne commovearis erga speciem mulieris malæ, et etiamsi habuerit divitias, ne concupiscas eam: quia servitus gravis et ignominia prava mulier, quæ intumescit (vel rebellis est) adversus maritum suum.*

Porro, mulieris vitium est ira, indeque impatientia, præcipitatio et furor. Iracundia enim præcipientes feruntur in jurgia, verba et verbera, et ferrum et necem, tam suam, quam suorum. Unde Juvenal, *Satyra 6*:

Quoties, ait, facit ira nocentem

Hunc sexum, rabie jecur incendente, feruntur

Præcipientes, ut saxa jugis abrupta.

Unde et S. Chrysostomus, homil. *De Decollat. S. Joannis*: «Mulier, ait, cum injuria afficitur, insanit.» R. Moyses *Ægyptius* in lib. *Perplexorum III*, cap. *XLIX*, idem dicit, idque tribuit debilitati sensus muliebris. Idemque propemodum tradit Plutarchus in lib. *Dei ἀσπυρίας*, id est *De cohibenda ira*: «Sicut, ait, tumor accidit ex magna plaga in carne, ita in mollissimis animis si quis se præbeat dolori, hoc ipso quod major est imbecillitas, majorem elicit iracundiam, hæcque de causa mulieres iracundiores sunt viris, ægroti sanis, senes juvenibus, infelices felicibus.» Abdicatus item ille medicus apud Lucianum in Dialogo, cui et ipse titulum fecit, asserit facilius feminas, quam

viros, in insaniam prolabi, difficilius que hujus morbi curationem recipere; ea potissimum ratione, quod multum habeant iracundiæ ac levitatis, facileque commoveantur, sintque illis vires corporis exiguæ. Seneca, lib. I *De Ira*, iram vocat «vitium muliebre.» Tritum est illud Telemachi lib. II *Epigramm.*:

Omnis mulier ira: habet autem bonas horas duas,
Unam in thalamo, unam in morte.

Menander: «Plus est, ait, periculi anum lacessere, quam canem.» Hebræorum sententia est nullam iram atrociorē esse ira muliebris: «irritabilis» enim et vindex mulierum genus; » partim ob rationis inopiam, partim ob animi humilitatem. Nam veræ magnitudinis est injurias negligere, nec quosvis homines dignari ira sua, juxta illud: «Non est dignus Cæsaris ira.» Denique vere S. Clemens, lib. II *Constitut.* cap. *XXXVII*: «Ubi est ira, ait, ibi non est Dominus, sed amica Satanæ.»

Causam physicam iræ et furoris mulierum Læ-
vinus Lemnius medicus, lib. IV *De Occultis na-
tura miraculis*, cap. *XIII*, asserit esse earum mens-
trua. Ego, inquit, hujus rei nullam causam pro-
priorem excogitari posse video, quam humorum
virus ac colluviem, quam mulier singulis mensi-
bus ex lunæ decursu congerit atque expurgat.
Ubi enim illam irritari contingit, ut levissime as-
solet, tota illa humorum sentina agitata effumat,
ac per corpus diffunditur, ita ut cor et cerebrum
hujus fuligine ac favillis affici contingat, ac spi-
ritus tum vitales, tum animales, qui iis partibus
deserviunt, inflammari; eoque fit ut mulieres iras-
tæ, juniores præsertim (nam anicula effictæ paca-
tiores sunt ob menses residues) rabiosæ latent
ac vociferentur, complosisque manibus indeco-
ros gestus ac fremitus proferant; et, cum ratio
in iis minus vigeat, judicium debile sit et exile,
mens invalida, acrius efferantur, nec prorsus
impetus animi cohibere possint. Et quo quæque
in eo sexu vilior est, eo magis tumultuatur, atque
effervescit ira implacabili. Hinc plebeis et pro-
stitutis (nam patriciæ aliquando decoro inserviunt,
tametsi plerumque corrugatis naribus obmutes-
cant, nec viros responsione dignentur, *psancken*
Belgæ vocant), quoniam corpus fere obtinent vi-
tiosis humoribus contaminatum, summa impu-
dentia pari malitiæ conjuncta est, ita ut velut fu-
riis agitata, nec consilio, ratione, pudore, mo-
nitis, blandimentis, quibus etiam feræ mitescunt,
coerceri possint, quo minus fremant, atque ab
inanis clamoribus desistant, adeo

Neque jus, neque bonum, aut æquum sciunt,

Melius, pejus; prosit, obsit; nihil vident,

Nisi quod libido suggerit,

ait Terentius *Heautont.*, scen. I, act. IV. Sic sui oblitæ fidem, decus, pudorem, famam, probitatem, pudicitiam, existimationem vilem habent, ac periclitari patiuntur. Hæc Lemnius.

Cor mu-
lieres
iracun-
dæ?

Vers. 30. 30. MULIER, SI PRIMATUM HABEAT, CONTRARIA EST

Mulier
Imperio-
sa viro
contra-
ria.

VIRO SCO. — Syrus, *intumescit adversus maritum suum, et cor quod secum est (vel populi sui, vel gratiæ suæ) abscondit.* Sensus est, q. d. Si uxor ex opibus et nobilitate, quia scilicet viro ditior et nobilior, aut alia de causa primatum et dominium super virum usurpet et obtineat, non erit viro conformis, sed adversa et rebellis, eique contraria volet et imperabit, tum ut ostendat suam præcellentiam et primatum, quia superba est; tum quia appetitus viri et feminae diversi et contrarii sunt, perinde ac appetitus animalis sæpe contrarius est rationali, juxta illud Comici: «Novi ingenium mulierum. Nolunt, ubi velis; ubi non velis, cupiunt ultro.» Mulier enim agitur passione, vir ratione et judicio; passio autem contraria est rationi et dictamini prudentiæ. Qui ergo sapit, quærat uxorem sibi opibus et nobilitate parem, vel inferiorem, non superiorem; ne pro uxore dominam eamque imperiosam accipiat. Unde illud: «Si vis nubere, nube pari.» Græca hæc jungunt versui præcedenti, eumque cum præsentī in unum conflant, hoc modo, *ira et irreverentia et confusio magna mulier, si subministret viro suo; hoc est, ut Tigurina, iracunda, impudens, et perquam probrosa est mulier, quæ viro suo sumptum suppeditat; Vatablus, quæ viro suo præsit, vel sibi vindicat imperium; quod Noster vertit, si primatum habeat; utrumque enim significat Græcum ἐπιχορηγῆς: χορηγῆς enim est, suppedito expensas, suggero, ergo, confero, præbeo, proprie choris sumptum præbeo, ludos publice exhibeo, ludos edo, ideoque in eis chorum duco, primus et princeps sum; unde χορηγῆς est choras sive princeps choreæ, qui choreis præest, suppeditator expensarum et instrumenti ludicri; et χορηγοί sive choragi vocantur chororum societatumque duces, tenentesque primatum, de quibus Aristoteles lib. IV *Politie*. Huc facit illud Philonis apud Antonium in lib. II *Melissa*, cap. XXXIV: «Mulieri parere, contumelia est suprema;» qui enim feminae se subdit, effeminatur, lunamque colit, et ab ea fit lunaticus. Unde Spartianus in *Caracalla* narrat olim in Carrhis (quæ in Scriptura vocatur *Haran*) urbe Mesopotamiæ, lunæ masculæ et feminae unicum simulacrum existisse: qui Lunam coluissent, imperium in uxores impetrabant; qui vero Lunam adorassent, uxoribus se obnoxios volebant.*

Luna et
Lunus
qui?

Ita olim imperabant feminae apud Ægyptios Lyciosque, teste Herodoto: Sauromatæ in universum mulieribus parent. Divites feminae principatum in domo sibi arrogant. Unde Satyricus:

Intolerabilius nihil est quam femina dives.
Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.

Porro, cur indignum et contra naturam Dei que ordinationem sit, ut mulier viro præsit, rationem

dat Rabanus: «Quia, inquit, infirmior sexus fortiori sexui subjici debet, non præponi. Unde in initio mulieri peccanti, et virum seducenti, Dominus dixit: Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Hinc et Apostolus ad Timotheum scribens ait: Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Et cur hoc jusserit, mox causam reddidit, dicens: Adam enim primus formatus est, deinde Eva: et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.»

Genes.
III, 16.

1^a Timo-
th. II, 11.

Jam occasio et stimulus ad primatum uxori est nobilitas et opes, si scilicet ipsa viro sit nobilior aut ditior. Pauper enim ducens divitem «dat seipsum, non illam ducit,» ait Menand. r. «Et non uxorem, sed dominam habet, cujus est famulus et servus,» ait Anaxandrites apud Stobæum *serm.* 66; unde Martialis, lib. VIII *ad Priscum*:

Opus lo-
te comi-
no tur
vires.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

Clare Aristoteles, lib. VIII *Ethie*. x: «Dominantur uxores, inquit, propter amplitudinem patrimonii.» Et Comicus: «Argentum dote accepi, imperium vendidi.» Unde Antoninus Imperator passus est adulteria Faustinae uxoris: «Quia, inquit, si hanc dimitto, dos reddenda est;» pro dote enim acceperat imperium. Quare sapienter S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II: «Qui suavitatem quærit conjugii, inquit, non tam superiorem censu ambat, non monilibus ornatam, sed moribus: offendit plerumque virum, si se uxor nobiliorem noverit. Hæc proxima superbiæ est. Sara non facultatibus ditior, non genere splendidior erat; ideo virum imparem non putabat, ideo quasi parem gratia diligebat, ideo non censu est retenta, non parentibus, non propinquis, sed virum proprium, quocumque pergeret, sequebatur: externa adiit, sororem se ejus asseruit.» Omnium ergo sapientium consilium est ducendam esse parem, non superiorem. Citat eos Tiraquellus, leg. v *Connubiali*, num. 16.

31. COR HUMILE, ET FACIES TRISTIS, ET PLAGA COR- Vers. 31
DIS (perperam Jansenius et alii legunt *mortis*) MULIER NEQUAM, — q. d. Hæc tria mala irrogat viro suo mulier nequam, scilicet cor ejus facit humile, id est, dejicit, sternit, affligit; faciem ejus efficit tristem, ut dejecto et mæsto incedat vultu: quale enim est cor, talis est et facies, cor enim suos affectus per faciem prodit et enuntiat. Denique *plagam* et quasi vulnus lethale cordi ejus infligit, dum illud tanto dolore et tristitia sauciat, ut non raro viro mortis sit causa. Unde Tigurina, *cor afflictum et vultum tetricum crucemque animi creat mulier improba; Syrus, tenebræ et plaga cordis mulier.*

Vers. 32. 52. MANUS DEBILES ET GENUA DISSOLUTA MULIER, QUÆ NON BEATIFICAT VIRUM SUUM, — *q. d.* Mulier improba, quæ sua modestia et probitate non beat, sed sua insolentia et nequitia infelicem efficit virum, hæc vires viri enervat, omne virile robur uti cordis, ita et corporis ei eripit, ut nec manibus operari, nec genibus incedere ei libeat; sed animum despondens, chiragricus et podagricus, imo stupidus et quasi apoplecticus evadat: robur enim operandi est in manibus, ambulandi in genibus; unde ait Isaias cap. xxxv: « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate; » et ex eo Paulus *Hebr.* xii: « Remissas manus et genua debilia roborate. » Vide utrobique dicta. Tigurina paulo aliter legit, *mulier improba creat manus remissas et genua resoluta, nec virum suum beabit.* Rursum, *et beatificabit* exponi potest, honorabit, beatum prædicabit. Unde Syrus verit, *dissolutio manuum et fractio genuum mulier, quæ non exhibet honorem et reverentiam marito suo.*

Denique pro *et beatificabit*, id est non beabit, vel beatificabit, nonnulli legunt, *et paraclitum et consolatorum et consolabitur virum suum in angustia.*

Uxor virum suum carioris aut telerat. Sapienter S. Chrysostomus, homil. 27 ex *Variis* in *S. Matth.* locis, et Auctor *Imperfecti*, homil. 22 in *Matth.*: « Uxor, inquit, neminem debet sapientiore, fortiore, formosiore reputare quam virum suum; etsi sit alter sapientior, fortior, formosior, tamen coram oculis ejus talis apparere non debet. Perfectum enim odium, et perfectus amor judicium rerum non cognoscit; » sed quæ amat, judicat optima; quæ odit, pessima. « Sic et omnis anima christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, ut nihil sit in mundo, quod amplius amet, quam eum, aut in tantum. Pro quanta autem parte plus aliquid amaverit, pro tanta parte minus amat Deum. »

Mystice. Mystice, uxor cujusque est ejus professio, religio, ars, status, officium. Quare cuique Religioso, sua religio præ cæteris omnibus, videri debet optima sibi que congruentissima; grammatico sua grammatica; rhetori sua rhetorica, philosopho sua philosophia, fabro sua fabrilis, agricolæ sua agricultura, etc., videri debet optima, suæque indoli et moribus convenientissima, juxta illud cap. xl, 18: « Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, et in ea invenies thesaurum. » Et illud S. Pauli I *Corinth.* vii, 20: « Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. » Isocrates apud Maximum, *serm.* 13, rogatus « quis in hominibus esset dives? » respondit: « Qui sua sorte contentus est. » Nam, ut ait S. Chrysostomus apud Antonium in *Melissa*, part. I, *serm.* 36: « Qui se superiores respicit, nunquam videre potest quam dives sit. Verum oportet sua sorte contentum esse, et Deo gratias agere. » Sic Martha sua sorte contenta sit, et Magdalena sua.

Vers. 33. 33. A MULIERE INITIUM FACTUM EST PECCATI, ET PER

ILLAM OMNES MORIMUR: — quia Eva, seducta a serpente, prima peccavit, deinde Adamum seduxit: itaque omnes posteros eodem peccato inquinavit, illudque, ac consequenter ejus pœnam, puta mortem præsentem et æternam, reipsa in posteros per propaginem et generationem transmisit. Siracides, ut ostendat quam antiquum et grande malum sit mulier, producit Evam matrem omnium, *q. d.* Olitatum et cum mundo natum est hoc mulieris malum: Evam enim matrem sequuntur ejus filie. Vide dicta *Genes.* iii.

Secundo, *q. d.* Ex Evæ peccato, puta ex peccato originali et concupiscentia, cujus initium et causa fuit Eva, omnia reliqua peccata prognata sunt, prognascuntur et prognascuntur usque ad finem mundi, imo omnia quæ per totam æternitatem committuntur a damnatis in gehenna. Ita Syrus, *a muliere*, inquit, *inceperunt peccata, et per eam omnes nos morimur*

Tertio, *et per illam omnes morimur*, si formaliter et præcise, ut sonat, accipias, significat propter Evæ peccatum præcise, omnes posteros ejus contrahere peccatum originale, indeque mortis fieri reos. Quare probabiliter hinc colligunt nonnulli Theologi ex Eva sola peccante, etiamsi Adam non peccasset, omnes tamen posteros contracturos fuisse peccatum originale: licet alii contrarium sentiant cum S. Thoma, III, *Quæst.* LXXXI, art. 5. Vide ibidem Scholasticos. Quocirca S. Augustinus, lib. I *De Peccat. merit.* cap. xvi, et alii ex hoc loco contra Pelagianos probant traducem peccati originalis. « In *Ecclesiastico*, inquit, scriptum est: A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. Sive autem a muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet: quoniam mulier ex viro est, et utriusque caro una est; unde scriptum est: Et erunt duo in carne una. Igitur jam non duo, inquit Dominus, sed una sunt caro, » *Matth.* xix, vers. 5 et 6.

Moraliter hic docet Siracides quam cavendum sit a muliere, utpote quæ tot millionum hominum, totiusque generis humani ruina exstitit. Unde S. Cyprianus *De Singular. Cleric.*: « Separamini, ait, a contagione pestifera, etc. Aculeus peccati facta est forma feminea, et mortis conditio, non aliunde surrexit nisi de muliebri substantia. Quod Salomon ad nostram sollicitudinem memorat dicens: A muliere factum est initium peccati, et propter hanc omnes morimur. Inde mortales tenemur, nec teneri timemus. »

34. NON DES AQUÆ TUE EXITUM, NEC MODICUM, NEC MULIERI NEQUAM VENIAM PRODEUNDI. — Hæc sententia, et similes multæ in Proverbis, proverbialiter per comparisonem accipiendæ sunt, *q. d.* Sicut non expedit aquæ in vase conclusæ vel modicum dare aut permittere exitum per rimam aliquam: quia alioqui sensim tota effluit; sic pariter non expedit nequam mulieri, puta uxori, filie, ancillæ, etc., vel in modico indulgere, ut ei veniam

An Eva sola peccans filios infelicis peccato originali?

des prodeundi quo ei libuerit : sic enim sensim omne tuum maritale, vel paternum, aut herile jus et dominium excutiet, ut se in libertatem vindicet, ac deinceps se cohiberi et ad officium suum reduci non patietur. Nam nulla pene alia re magis gaudent mulieres quam libertate; et, ut ait Cato Censorius apud Livium, lib. XXXIV : « Omnium rerum libertatem, imo licentiam desiderant. » Quin et S. Chrysostomus, lib. III *De Sacerdotio*, asserit viduas tum paupertatis, tum ætatis, tum sexus nomine, immodicam sibi libertatem usurpare. Græca breviter et generaliter habent, *ne des aquæ exitum, nec mulieri potestatem*; Complutenses, *μη δεῖς διεξόδου ἕσται, μη δεῖ γυναικὶ πονηρῆ παρρησίας ἐξέσθαι*, id est, *ne des transitum aquæ, neque mulieri malæ libertatem exitus*. Est proverbium cum sua explicatione. Unde Tigurina, *cave aquam vel minimum sinas erumpere, id est improba mulieri ne patefacias viam licentiæ*; Syrus, *ne des aquis exitum, neque mulieri faciem et dominium, vel potestatem et imperium (dare faciem, Syris est corridere, hilarem et blandum se alicui ostendere); sicut enim rimula aquæ quæ abijt et multiplicatur, ita mulier mala incedit et peccat*.

Porro hanc sententiam Palacius præcedenti recte connectit, *q. d.* Si Eva fuit seminarium malorum in orbe omnium, quia non fuit a viro cohibita, erit pariter uxor tua in domo tua malorum omnium causa : tantum in malo mulier potest. Cohibe igitur et confine uxorem in officio : quod si nequam illa est, nulla ratione permittas eam domo exire. Ut enim cisterna aqua plena, si vel modicum ei foramen feceris, universa tibi prodit et perit : ita peribit tibi mulier nequam, si facultatem exeundi illi concesseris. Impudicarum enim est vagari et circumcursare, juxta illud de meretrice : « Garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, » *Prov. VII, 14*. De pudica vero ait David *Psal. CXXVII, 3* : « Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. » Galenus, lib. XI *De Usu partium*, docet naturam pilos viro contra frigus addidisse, feminae negasse, quod domi se continere debeat. Præclare S. Gregorius Nazianzenus in suo illo *Monitorio* mulierem alloquens :

Non multum extra vestibula mitte pedem, neque ad delectationem,

Nec ad popularem immodestam turbam : hæc enim pudorem

Auferet et prudentibus, oculos vero oculis miscet :

Pudor enim abiens, omnium genitor malorum est.

Et in Elegiis quas contra ornatas mulieres dictavit :

Mos est mulieribus (res pretiosa) domi manera

Plurimum, et divinis alloqui sermonibus.

Hoc idem mulieribus sancit S. Chrysostomus, homil. 60 in Joann. et homil. 10 in *Epist. S. Pauli ad Timoth.* et lib. *De Sacerdotio*, cap. III : « Virgi-

nem, inquit, oportet undecumque tanquam muro circumseptam esse, et toto anno perraro domo egredi, idque demum cum inexcusabiles ac necessariæ causæ urgebunt. »

35. SI NON AMBULAVERIT AD MANUM TUAM (id est, si ductum manus tuæ, id est, directionem, jussum et imperium tuum sequi nolit : manus enim significat potestatem, ducatum, auctoritatem), CONFUNDET TE IN CONSPECTU INIMICORUM — per suam obstreperam contumaciam, audaciam, rebellionem improbosque mores, quibus te faciet ludibrium hostibus et æmulis tuis; præsertim quando, te inscio, deflectet ad alios, cum iisque fornicabitur et adulterabitur : huc enim duceat eam libertas, mobilitas animi et curiositas. Nam, ut ait Plutarchus, lib. *De Curiositate* : « Adulterium est curiositas alienæ voluptatis. » Græci, hanc sententiam cum sequenti truncantes, in unam contrahunt hoc modo : *Si non procedit tibi ad manum, reseca eam a carnibus tuis*. Honestæ enim et morigeræ uxores solent cum viris ad manum collaterales procedere : quæ id non faciunt, superbæ, immorigere vel inhonestæ sunt. Complutenses addunt, *da et dimitte*, id est, da ei libellum repudii. Sic et Syrus, *nisi ipsa sit veniens post te, carnem tuam (uxorem, quæ est caro tua) abscinde, da et dimitte e domo tua*. Hinc et Rabanus, addens copulam et, hunc versum cum sequenti ita combinat : « Si non ambulaverit ad manum tuam, et confundet te in conspectu inimicorum, a carnibus tuis abscinde illam, » etc. Quæ lectio magis quam nostra placet Jansenio. Verum nostram confirmant cætera Biblia, et stabiliunt Romæ correctæ.

Præclare S. Ambrosius, lib. III, epist. 25 *Ad Eccles. Vercell.* : « Mulier, inquit, viro deferat, non serviat; regendam se præbeat, non coercendam. Indigna est conjugio, quæ digna est jurgio. Vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vitæ honoret, participet ut coheredi gratiæ. » Quin et Plutarchus in *Moral.* : « Ut philosophi, inquit, colentes principem, se reddunt nobiliores, non illum : sic uxores, subdentes se viro, laudem consequuntur; conantes autem imperare, deterius audiunt, quam quæ subjiuntur. » Et rursus : « Ut geometræ negant moveri lineas et superficies sine corpore, sed una cum corporibus moveri; sic uxor et in seriis et ludicris, in fletu et risu, in lætis et tristibus, accommodet se marito. » Et Stobæus, *serm. 70* : « Sicut, inquit, speculi ex auro gemmisque constructi nulla fuerit utilitas, nisi formam sibi objectam repræsentet; ita neque divitis uxoris fructus ullus est, nisi vitam exhibeat marito similem, et ingenium concors. »

36. A CARNIBUS TUIS ABSVINDE ILLAM, NE SEMPER TE ABUTATUR, — *q. d.* Si UXOR SIT obstrepera, immorigera, vaga ad libitum, « a carnibus, » id est, a corpore tuo, scilicet a toro maritali, abjice eam, ne semper tuo affectu, modestia, licentia, patientia abutatur. Unde Complutenses et Syrus

Mulier
vidua li-
bertatis.

Impudi-
ca est
vaga.

Laus
mulie-
ris, viro
obser-
quentia.

habent : *Da, et dimitte illam, q. d.* Da illi libellum ut eam ableges. Tigurina et Vatablus : *Fac eam abscindas a corpore tuo; da* (libellum repudii), *et eam repudia.*

Libellus
repudii
solvebat
nuptium

Nota: Olim apud Judæos licebat maritis dare libellum repudii uxoribus, aliamque ducere; per libellum enim repudii solvebatur vinculum matrimonii (unde Græca habent, *δελιουον*, id est, dissolve), uti ostendi *Deuter. xxiv, 1*; libellum autem hunc dare poterant ob improbos mores uxoris, si scilicet esset rebellis, contumax, incorrigibilis: Christus autem hunc libellum sustulit, *Matth. xix*, initio, tantumque viris permittit divortium tori

(puta, uxores dimittere e domo), idque ob solam fornicationem, ut, ea dimissa, aliam ducere non liceat.

Porro, Siracidi contrarium consilium dedisse videtur Ben-Sira; rogatus enim de mala uxore dimittenda, respondit: « Os quod cecidit in sorte tua, rode; » quare alius est Ben-Sira a Siracide, uti in Prologo ostendi. Quanquam hac in re conciliari possint, ut non sint contrarii, nimirum: « Os sortis tuæ rode, » si illud rodere queas; sin autem, abjice illud: nimirum, si uxor corrigi aut tolerari possit, retine eam; sin autem incorrigibilis et intolerabilis evadat, dimitte illam.

FINIS TOMI IX.



